WIDENER LIBRARY
HX JVCC

Digitized by Google

BP 431.1.2

700
14

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE

ROBERT TROUP PAINE
TO
HARVARD COLLEGE.
A LEGACY
IN HIS NAME BEING APPLIED
IN PART TO AN ANNUAL INCREASE
OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Robert Troup Paine to Harvard College

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXLIX

Bibl: Abbat:

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

Banth: 1755.

LIPSIÆ,

Proſtant apud B. LANCKISII hæredes, & MICH. BLOCHBERGERUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

M D C C X L I X.

149M #65-18

Digitized by Google

~~29.108~~
BP 431.1.20
1879, April 9.
Paine bequest.

Digitized by Google

Lecturis Salutem!

Ut ſua cuique in omni vitæ genere recte actorum conſcientia adverſus capitales illos candidæ virtutis hoſtes, invidiam & obtrectandi libidinem, fortiſſimi eſſe loco munimenti ſolet; ſic in tali, quale hoc noſtrum eſt, publico magis, quam privato, munere verſantibus, & honeſtam literati judicis perſonam ſuſtinentibus, ſi ſui ita omni tempore memores officii fuerint, ut cuilibet dictorum factorumque reddere rationem poſſint, nihil unquam eſt a malæ mentis hominum ſive accuſationibus inſanis, ſive minis terribilibus, periculi timendum. Sane, rerum humanarum prorſus eſſe ignarum, nec, quantum a bonis mali diſcrepent, ſatis habere cognitum, oportet, ſi quis, ad bene de literis merendum laudabili conſilio converſus, ſua, ſive utilitati publicæ inſerviendi, ſive in id, quod verum eſt, inquirendi, ſolertia, illud ſe aſſecuturum haud difficile, confidat, ut communi eorum, quos ſuorum aut factorum ſpectatores, aut lectores ſcriptorum, habet, omnium conſenſu laureis ac coronis dignus judicetur. Nam, ſi fieri non poteſt, ut virtutem amet, qui tota vita ſua longe ſe ab ea averſiſſimum oſtendit, fruſtra etiam, qui virtuti ita ſunt dediti, ut nihil ſcriptorum, niſi in quo impreſſa ejus ſint veſtigia, ſuis exire manibus patiantur, eo nomine ab his, qui, ſi ex ſuo ageretur arbitrio, ipſo ejectam hanc orbe terrarum vellent, gratiam laudemve exſpectant. Jam vero, cum eorum, quos in hoc orbis univerſi theatro ſuam agere fabulam videmus, pars longe maxima in æſtimandis rerum hominumque pretiis ſua unice commoda, eaque interdum valde ſordida, ſpectare, pauciſſimi vero juſtum debitumque meritis deferre honorem, ſoleant, ſatis hinc patet, ſi quis veræ illius, perfectæque, ac perennis, gloriæ ſit cupidus, non ei, quam ſint multi, quos ſuæ aut doctrinæ, aut induſtriæ, laudatores habet, ſed quam boni illi ſint ſapienteſque, laborandum. A nobis, & noſtri ſimilibus, qui, vulgari nomine Ephemeridum ſcriptores appellari, minime indecorum ſibi putant, jure hoc poſcitur, ut, veterum morem Areopagitarum imitantes, obligatis velut oculis cauſarum, ad literas pertinentium, ſeveri ac religioſi judices ſedeant, non Autores librorum, ſed libros ipſos, tanquam nullo editos parente, ſpectent, non, ut quemque ſibi amicum, aut hoſtem, habent, ita amice eum, aut hoſtiliter, tractent, teſtimonia virtutis & doctrinæ non vendant ſordide, ſed liberaliter diſpenſent, nec ſententiam de ſcriptis novis, niſi talem, ferant, quam ipſi vero & prorſus incorrupto judicio ferendam cognoverint. Talem eſſe decet, quisquis, in literario hoc otio, aut, ut verius dicamus, in hoc ergaſtulo, vivere, jucundum putat, ne, ſi ſecus res ſuas geſſerit, vitio creatus judex dicatur, plusque detrimenti afferre bonis literis, quam commodi, judicetur. Id igitur agenti, ut recte ſuo munere ſungatur, ut vere omnia, nihil ſimulate, eloquatur, ut doctos æque ac indoctos digito oſtendat, tantum abeſt, ut pulchrum ac præſtabile

Digitized by Google

exiſtimari, quicquid eſt librorum novorum, poſſit, ut is reprehendendi materiam ſæpiſſime, raro admodum laudandi, inveniat. Ea enim literarum, quocunque oculos convertas, facies eſt, ut hoc etiam in genere thyrſigeros multos, paucos cernere Bacchos, liceat, nec ita orbis eruditus Dorvilliis, Valckenaeriis, Weſſelingiis, *ſicut* Verburgiis, Schrœderis, Reitziis, *horumque ſimilibus, abundet. In quibus illos, cum nihil unquam vulgare, nihil mediocriter doctum, nihil non egregium ac ſingulare, dederint, nec facile daturi deinde ſint, fas & æquum eſt, iis, quas merentur, hoc eſt, exquiſitis, laudibus ornari; hos, cum puerilia tantum ac nugatoria ſcribant, hisque nati ſint ſcribendis, nemo non, qui puerorum more caſtigentur, dignos judicat. Iidem vero anne, ita caſtigati, monitoribus ſuis pro præſtito hoc officio gratiam habebunt? Hiſne recte adminiſtratæ provinciæ teſtimonium tribuent? Suasne maculas, & quicquid eſt nugarum, agnoſcent? Id quidem a tali hominum genere, quale illud eſt, exſpectare nunquam liceat. Hos potius ſi audias, nihil ipſorum ſcriptis doctius, nihil ab omni parte limatius, nihil denique perfectius, contra vero reprehenſoribus illis nihil inveniri turpius, nihil ſocietati humanæ moleſtius, nihil magis deteſtabile ac execrandum, poteſt; quin eo ſe abripi malæ mentis ſtimulis patiuntur, ut cum abjectiſſimis omnium mortalium nefario fœdere conjungi, & factis talibus, quæ in communi vita vere infamia habentur, commaculari, quam non ulciſci, quas famæ ſuæ, profecto nulli, illatas putant, injurias, malint. In tale igitur, ac talium hominum, quisquis noſtrum, ferente ita fato ſuo, odium incurrerit, is certe, ſi fortunæ eo nomine in ſe iniquitatem accuſet, ſi fortiter tolerare hanc calamitatem, ſi generoſum pectus opponere improbitati, neſciat, hoc ipſo illis, quicunque ſunt, ſimilem, &, cum laudari a malis cupiat, dignum ſe, quem oderint boni, oſtendat. Nos, qui dudum eam nobis ipſi legem diximus, ut viribus, quæcunque nobis datæ a natura eſſent, ad defendendas a barbarie bonas literas, & coercendum, quo nihil eſt intolerabilius, indocti vulgi faſtum, uteremur, ſi tantum roboris ad hunc diem habuerunt arma noſtra, ut ſe aliqui illorum, quorum manibus laureolas, indigniſſime olim occupatas, extorſimus, ad extremam rabiem redactos ſenſerint, nec ulla turpitudini ſuæ, niſi in malitia & improbitate, refugia invenerint, eam rem & valde nobis jucundam, & ita glorioſam, profitemur, ut tantum incrementi attuliſſe literis, quantum illorum famæ per nos fuerit detractum, nobis ipſi videamur. Nec habent illi, cur, quales nos vellent ipſi, tales nos futuros deinde, ſperent, &, illud aliquando impetraturos ſe, confidant, ut, ſuis ſive clandeſtinis inſidiis, ſive publicis incurſionibus, loco moveri virtutem noſtram, patiamur, quippe qui, recte agentes, neminem timemus, & ita omni tempore ignavum quemque veræ eruditionis hoſtem ex ſuo merito tractabimus, ſicut viciſſim liberam omnibus, in res noſtras inquirendi, facultatem permittimus, &, ſi quis in manifeſto crimine nos deprehenderit, is ad pœnas ſuſtinendas, aut, ſi æquitati locus detur, ad veniam petendam, nos paratiſſimos habebit.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLIX.

S. D. N. BENEDICTI XIV OPERA, IN DUOdecim Tomos diſtributa. Tomus I & II, quibus continentur de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, Liber primus & ſecundus; editio tertia auctior & caſtigatior, ad uſum Academiæ Liturgicæ Conimbricenſis.

Romæ, ex officina Nic. & Marc. Palearini, 1747, 4 maj. Tom. I Alph. 3, Tom. II Alph. 3 plag. 10.

Splendidiſſima, ut dicamus, quod res eſt, & ex omni parte commendabilis Operum ſummi Eccleſiæ Romanæ Præſulis editio ſub prelo ſudat, cujus prima hic oculis Lectorum ſubjiciuntur initia, omni laude, & ornatiſſimis congratulationibus, excipienda. Nos, pro pietate, literatiſſimo Principi debita, laudatiſſimi hujus inſtituti, in gloriam & Maximi Pontificis, & literarum, ſuſcepti, rationes exponemus, tanto majori cum voluptate hoc labore defuncturi, quo juſtius exiſtimamus, quicquid in literis ſummum & egregium magnus ille Italiæ ſacræ arbiter præſtitit, omni, ſi qua futura eſt, poſteritati ſtudioſiſſime commendari. Tanta *Benedicti XIV* in literas ſunt merita, tanta eſt doctrinæ, qua, ut in omni pæne ſtudiorum genere, ita in rerum ſacrarum maxime Hiſtoria, mirifice excellit, dignitas & amplitudo, ut nulla ſit provincia, nulla civitas, nec Academia ulla, aut Societas, quæ

 non

Digitized by Google

non maximum hunc eccleſiæ Romanæ rectorem eo nomine in cœlum usque laudibus efferat, & in eo prædicando quendam quaſi principatum affectet. Nihil igitur mirum, ex ultimis Luſitaniæ finibus catervatim ad *Benedictum*, ſagaciſſimum & prudentiæ fama celeberrimum Principem, advolare Eccleſiæ Romanæ cives, uberrimis beneficiis ab ipſo ad certamen pietatis provocatos, jamque publica, & in ſe præclara, hujus pietatis documenta edituros. Principalem iſtam *Benedicti XIV* munificentiam experta fuerat aliquot annis ante Liturgica Academia Conimbricenſis Canonicorum Regularium S. Crucis, cujus Academiæ nomine publicum jam grati animi ſpecimen daturus eſt *Emmanuel de Azevedo*, Societati Jeſu adſcriptus. Is, venia a Pontifice ſummo impetrata, in uſum Academiæ, Operum omnium *Benedicti* typis iterandorum, & *Tomis XII* abſolvendorum, conſilium prorſus nobiliſſimum cepit. Præcipuum illorum Operum jure habetur illud *de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione*, quippe rara & multiplici doctrina expolitum, quod ita hic exhiberi cœptum eſt, ut duo priores Libri *Tomum I & II* Operum conficiant. Species illorum externa & interna jam olim a nobis non male, ut ſperamus, delineata eſt in his *Novis Eruditorum Actis A. 1740 Menſ. Octobr.* & *A. 1741 Menſ. Januar.* unde Lectores noſtri facile repetent, quæ lectu digniſſima in tanta egregie dictorum copia videri poſſint. Accedit autem jam demum huic Operi nova S. Rev. Editoris Præfatio, cujus æque ac reliquorum, quæ jam recens ſunt addita, nobis habenda ratio eſt. Præfationi ipſi præmiſſa eſt Epiſtola *Emanuelis* ad *Benedictum XIV*, dedicandi cauſa ſcripta, plurimum & gravitatis, & elegantiæ, & venuſtatis, habens. De doctrina laudatiſſimi Principis ita ex vero ſcribit: *Mirum eſt, unum hominem aut ſcientia comprehendere, aut memoria retinere, aut ſcripto complecti, tantas res, tam varias, tantis difficultatibus atque obſcuritate & diſſenſione Autorum impeditas, potuiſſe; unum tot vetuſta & poſteriorum ætatum monumenta inſpicere, ſcriptores legere, libros diverſi adeo argumenti, exterarum linguarum, editos remotiſſimis regionibus, noſſe, ſoler-*

ter

Digitized by Google

ter examinare, quæ ſcitu utilia proponebantur, amplecti, reſpuere ac refutare contraria. Augetur hujus rei admiratio ex graviſſimis muneribus, quibus præeſſe longis inde a temporibus juſſus eſt *Benedictus*, poſtquam eas artes, quibus nobilium juvenum ætas ad ingenuum ſive corporis habitum, ſive cultum animi, formari conſuevit, ſolide perceperat. Hinc Jurisprudentiæ traditus, eam penitus pernoſcere, & ejus myſteria ſcrutari, ſuum eſſe duxit, ex quo inter Conſiſtorialis aulæ Advocatos cooptatus, atque ad fidei promotoris dignitatem evectus, ſacræque Congregationi Concilii Tridentini Interpretum a ſecretis eſſe juſſus eſt. In hac vitæ conditione, & in his a ſacra antiquitate alienis fere ſtudiis, admiranda eſt opera, a *Benedicto* in ſacrorum Canonum, & Hiſtoriæ ſacræ, tam veteris, quam novæ, cognitione collocata; quibus in ſtudiis etiam tum fuiſſe totum ſcimus, cum in auguſtiſſimum ampliſſimorum Patrum Collegium allectus, primo Anconitanam, deinde Bononienſem, eccleſiam regendam ſuſcepiſſet. Nec nunc inter concatenatos Apoſtolicæ ſedis labores doctiſſimorum ſcribendorum operum curas abjicit; cui rei indicio eſt liber compoſitiſſimus *de Synodo*, inter Apoſtolatus labores, furtim quaſi, ipſo *Benedicto* teſte, abſolutus. Quæ omnia, ut in unum colligerentur corpus, non ſolum ob perſonæ dignitatem, ſed ob rei etiam gravitatem, utilitatem, & neceſſitatem, digna eccleſiæ Romanæ ſociis, & quidni omnibus? quam maxime videbantur. Has *Emmanuelis* ad *Benedictum XIV* literas aliæ *Benedicti* ad *Emmanuelem* ſequuntur, modeſte, prudenter, atque diligentiſſime, perſcriptæ, in quibus, præter alia, a Sanctiſſimo Patre ſplendor literarum, in Academia Conimbricenſi effulgens, celebratur, & in Deo fiducia ponitur, fore, ut Congregationis hujus alumni, aliique adoleſcentes, ſedulam porro in utraque facultate operam ponant, & laborum aliquando fructus eximios percipiant. Collaudat deinde Pontifex Max. diſtributionem *Operum*, in *Tomos XII* faciendam, & approbat Vitas aliquot Sanctorum, a Clariſſ. Editore in Latinam linguam ex Italica converſas. Tandem efflagitat, ut in *primo* Operum *Tomo* impriman-

mantur Apoſtolicæ ſuæ literæ, in forma Brevis ad *Facciolatum*, Virum Celeberrimum, datæ, qui ſuam alteri *de Canonizatione Sanctorum* editioni operam impendit, nec, ſi rumor ad nos vera attulit, ſatis ſe æquum in judicio de noſtris ſtudiis ferendo præbuit. Tum ſpectanda nobis exhibetur Pontificis Maximi imago, æri affabre inciſa, cum addita hac Inſcriptione:

BENEDICTO. XIIII. P. O. M.
QUOD
ACADEMIAM. LITURGICAM
MAGNO. LUSITANIAE. TOTIUS. BONO
CONIMBRICAE. INSTITUERIT
EDITIBUS. LIBERALITER. ATTRIBUTIS
PERPETUAM EFFECERIT
SUO. ET. APOSTOLICAE. SEDIS. PATROCINIO
COMMUNIVERIT
CANONICI. REGULARES. REFORMATI
CONGREGATIONIS. SANCTAE. CRUCIS
POSUERUNT.

Excipiunt hæc pietatis monumenta literæ, a S. Rev. Editore ad auditores Liturgicæ Academiæ Conimbricenſis perſcriptæ, in quibus is multa de conditione univerſitatis iſtius, & de viris doctis ſuæ Congregationis, diſſerit. De Academia Conimbricenſi in univerſum ſcribit, eam propter auditorum frequentiam eſſe nobilem, & tanta Magiſtrorum copia ornatam, ut cum præclariſſimis totius Europæ eo nomine videatur comparanda. Septem Magiſtri, ut ipſe dicit, tradunt Theologiam, ſeptem Jus Canonicum, decem civile, quinque Medicinam, duo Anatomiam & Chirurgiam, unus Muſicam, quinque Mathematicam & Philoſophiam, duo Rhetoricam, duo linguas Hebraicam & Græcam, novem humaniores literas & Grammaticæ rudimenta, præter eos, qui honorificentioribus in Academia muneribus funguntur, & centenarium numerum exſuperant. Omittendum hic loci id ea de cauſa non putavimus, ut Lectores noſtri Luſitaniæ de literis auſpicato redeuntibus gratulentur. Huc accedit Pontificis Romani gratia, qua uberiores Academiæ Liturgicæ reditus attribuit, non ſolum ut Magiſtris quatuor perpetuo inſtructa ſit, ſed ut auditorum etiam diligentiæ remunera-

neratio ne deſit, utque ſplendor Academiæ conſervetur. De ipſa vero novæ liturgicæ ſcholæ ratione hic longiores literæ *Benedicti* leguntur, ex quibus harum rerum cupidi habebunt, quo exſatientur. Denique recenſio *XII Tomorum Operum Benedicti XIV* ſplendide edendorum additur, quorum *quatuor* priores de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum Canonizatione, agent. *Tomus quintus* exhibebit Acta Canonizationis, ab eodem Pontifice Max. celebratæ; *ſextus* dabit Appendices lectu digniſſimas; *ſeptimus* documenta, huc pertinentia, ſuppeditabit; in *octavo* Index copioſiſſimus rerum præcedentium occurret; *nonus* Commentarium de S. S. Miſſæ ſacrificio continebit; *decimum* occupabit Commentarius de Feſtis Chriſti Domini, ſanctiſſimæque ejus matris; cui acceſſio fiet nonnullorum Sanctorum, de quibus officium & Miſſa celebrabitur in Bononienſi diœceſi; *undecimus* repræſentabit Inſtitutiones eccleſiaſticas, a SS. Patre, cum Bononienſi, tum Anconitano Epiſcopo, editas. Ultimus denique, ſeu *duodecimus*, *Tomus* librum diu multumque expetitum *de Synodo* comprehendet. Hæc ſunt, quæ ſcire intererat Lectorum. Nos communibus orbis & Chriſtiani & literati plauſibus noſtros jungimus, immortalia Summi Pontificis, quo fortaſſe melior & bonis artibus faventior nunquam exſtitit, in omne genus literarum merita venerantes, & S. Rev. Editoris, illa ad ſeram poſteritatem transmittendi, ſtudium præclarum iis laudibus proſequentes, quibus qui bona & utilia conantur, jure meritoque ſunt condecorandi.

PROVERBIA SALOMONIS. VERSIONEM integram ad Hebræum fontem expreſſit, atque Commentarium adjecit, ALBERTUS SCHULTENS.

Lugduni Bat. 1748, 4 maj.

Alph. 3 plag. 18.

Admirationem & ampliſſimas laudes meretur *Alb. Schultenſii*, magni et incomparabilis Viri, ſtrenua & indefeſſa induſtria, de ſacris literis, Hebræis præcipue, & quæ his famulantur, Arabicis, bene merendi. Poſt editum *Commentarium in Jobum*, de quo in his *Actis* expoſitum *Anni* 1737

Menſe Martio fuit, jam exhibet nobis præter ſpem & exſpectationem noſtram alterum V. Teſt. librum ingenii ſui face illuſtratum, *Proverbia Salomonis*, librum haud multo minus, quam *Jobus* erat, impeditum, & ab interpretibus male acceptum. Et ſane, quamvis non pauca Vir Cel. aliis reliquerit exaſcianda porro & perficienda, multa tamen & ipſe nova, præclara, erudita, ſua perſona et fama digna, protulit tam in verſione, quam in Commentario, quo, ſi ea ſimul in uſum vocentur, quæ per *Jobeam* operam, et alia ſua opera, ſparſit Vir Cel. facile vicem integri Hebræi Lexici suppleat. Nam non *Salomonis* tantum conciſam ſapientiam, quæ multum negotii fecerat interpretibus, exponit, ſed & data ſumtaque occaſione multa alia loca Vet. Teſt. declarat. Quo fit, ut eorum nemo, qui verſare et intelligere ſacrum Codicem ſtudent, hoc immortali opere, promtuario Hebrææ eruditionis, abſque damno carere queat. Qui Arabicas literas amant, vehementer lætabuntur, earum oſores hoc illuſtri documento confuſos & profligatos fuiſſe, quod, quantum Arabica valeant ad interpretationem Sacri Codicis, luculenter demonſtrat. Perrexit & hic Vir Cel. eadem, qua jam olim inſtituerat, via, regia quidem & unice recta, ſed quam tamen ante ipſum pæne nullus attigit, plurimi ſubtimidi quaſi & e longinquo proſpectarunt. Omnem ſcilicet Hebrææ linguæ peritiam hauſerunt maj[illegible] noſtri ex impuris Rabbinorum fontibus, Dei donum, Arabicam linguam, quam non ſine Numine ad nos transmiſſam, & per confertos voluminum globos diffuſam, credunt, gratique de domini manu acceptant, qui pretium ejus intelligunt; linguam, in cujus conſervatione luculentiora deprehendunt iidem divinæ providentiæ & ſollicitæ circa verbum ſuum curæ veſtigia, quam in conſervata, quæ vulgo jactatur, Sacri Codicis integritate; linguam, quæ ſola poteſt opem & lucem Hebraicæ præſtare, abſque qua, qui hanc attrectant, nihil agunt: eam itaque negarunt Hebraizantium plurimi, ſeu male docti, ſeu impudentes, utilem ſibi eſſe; quod profecto non eſt, niſi medio die, cum ſudum cœlum eſt, tenebras cauſari; alii dubitarunt, num ejus linguæ ſtudium operæ

præ-

pretium in re ſua faciat; alii, agnoſcentes quidem incredibilem ejus vim, at turpi tamen ſocordia poſitis in medio bonis uti noluerunt; qui uſi tandem ſunt, non multum præſtiterunt, præter egregiam voluntatem, laudabile, peritia defecti & ſubſidiis. Noſter autem *Schultenſius*, ex quo linguæ hujus vim & præſtantiam ex vero cœpit æſtimare, in eaque ſola theſaurum, quem quærebat, ſanctæ linguæ intelligentiam, deprehendit, ſe conſecuturum eſſe, tam exarſit in ejus ſtudium, tam eam felice cum ſucceſſu per tot annorum ſeriem excoluit, ut non tantum inter Arabizantes ætate noſtra principatum adeptus ſit, ſed &, quod majus & optabilius eſt, reconditos verbi divini ſenſus, & a ſeculis ignoratos, in plenam lucem extulerit. Quod, ut ad ſeculi noſtri gloriam & felicitatem pertinet, ita dubium non eſt, quin alia quoque docta & bene nata ingenia tam præclari exempli ad imitationem accendat. Non poſſumus diſſimulare, nos quidem noſtra ex parte privatim id ſæpius optaſſe, ut placeret ſummo Viro, inſtitutam in *Saladini* vita telam perſequi, id eſt, rempublicam literariam e ditiſſima, qua circumfuſus eſt, gaza pluribus inſtruere ſubſidiis, e quibus pleniorem cum rerum in Oriente geſtarum notitiam, tum linguæ Arabicæ copiam & uſum, id eſt, opes acciperent docti homines, quibus Codicum manuſcriptorum uſus negatus eſt, quas poſſent deinceps in ſacros uſus transferre; quandoquidem pauciſſimi proſtant in inſtructiſſimis Bibliothecis boni & utiles Codices Arabici, &, qui typis editi proſtant, cum pauci ſunt, tum deterioris notæ. Verum tamen, cum Theologus ſit *Schultenſius*, qui Dei verbum theſauris omnibus carius habet, donandum hoc ejus perſonæ murerique omnino eſt, quod ſacrorum curam & emolumenta ceteris rebus omnibus antehabeat.

Opus, de quo narrare cœpimus, illo *Jobæo*, noſtra quidem e ſententia, multo eſt præſtantius, utilius, magis doctum & maturatum. In illo *Jobæo* diligentem laudes, & ærumnoſum miſereris compilatorem ſententiarum, per immania interpretum volumina ſparſarum; id, quod in eo novum & ab ingenio *Schultenſiano* profectum eſt, ex oneroſo acervo, vix &

cum

cum labore, tanquam e ſepulcro, protrahas. Hic autem, ad *Proverbia*, parcius in rem vocati interpretes; contra vero, quod novum, doctum, ſolidum, eſt, in anguſtiora ſpatia contractum; id quoque, quod a Cel. Viro ſolo exſpectatur & impetrari poteſt, Arabicarum divitiarum uberior proventus hic conſpicitur. De cetero idem & hic, qui in ceteris Clariſſ. Viri operibus, tenor, idem originationum acerrimum & pæne immodicum ſtudium, ad quod fatalis procul dubio quædam neceſſitas magnum ingenium, tanquam ad ſcopulum, appegit. *Avenarium*, *Guſſetium*, alios, quos opinionum ſuarum vertigo in transverſum egerat, caſtigat Noſter haud raro ſatis acerbe, neque id immerito. At & nos viciſſim veremur, ne ipſe quoque, ubi grandium dictionum luculentos ignes conſpexiſſe ſibi viſus eſt, haud raro paludoſos quosdam & erraticos affectatus fuerit. Verſio Latina, Hebræo textui appoſita, ſimilis eſt illi *Jobææ*, &, pæne dixerimus, interdum obſcurior. Non uno in loco Hebræa Latinis planiora ſunt, &, ni e ſuppoſito Commentario horum ſenſus colligatur, diffidimus quemquam fore, qui eum percipere valeat. Accedit quodammodo hæc interpretatio ad eam, ſi quibus nota eſt, quam *Jeremias Hœlzlinus Apollonio Rhodio* addidit. Noſtrum nunc eſt, ſpecimina quædam proferre, e quibus de illius operis ratione conſtet. Utemur libertate ea, quam Vir Clariſſ. in Præfatione dedit hiſce verbis: *Eidem modeſtæ & honeſtæ libertati, qua aliorum ſententias ſub examen miſi, meas quoque examinandas non ſolum permitto, ſed & committo. Area Domini nobis perpurganda, ut non niſi ſolidum nitidumque ibi granum remaneat. Paleas quoque meas evannari lætus ſpectabo. Cauſa agitur* veritatis. *Decus & pondus* Verbi *ut ſuper* Candelabro *reſplendeſcat, candide & cordate ſub oculis* ſummæ ſapientiæ, *quæ* Academiis *religionisque ac virtutis ſeminariis præſidet, connitendum.* Verba, non cedro, ſed magno animo, digna, quæ nos quoque animabunt, ut & horum quædam *granorum* dente critico exploremus; reliqua, quoniam magnum id opus eſt, quod paucis pagellis comprehendi nequit, ad peculiare opuſculum ſepoſituri, in quo ſimul

ſimul quoque *Jobo* ſuam lucem & dignitatem reddere pro virili noſtra connitemur.

Capite I, verſu nono, vertit לוית חן *corollam gratioſam* ex Arabico لوي, *verſu 25* תפערו *diſturbaſtis.* אויל ſemper vertit *craſſus*, כסיל *elumbis*, רש *pannoſus*, מחסור *raſa indigentia*, חסר *ubertas*, omnia ex eodem fonte. *Capite II, verſu 21*, יותרו *nervabuntur. Integri in terra nervabuntur*, id eſt, tentoria pangent, nervos irroborabunt in terra. *Capite III, verſu 8*, damnat facilem & aptam *Clerici* conjecturam, quæ ab aliis Scripturæ locis quoque confirmatur, לבשרך; ut eſt tenax ſcriptorum, & in tuendis etiam improbabilibus ſupra fidem artificioſus, & qui obſcuriſſimos ſenſus utcunque incruſtare, mendas agnoſcere, in medio poſitas relinquere, caliginoſa nube diſertæ circumlocutionis involvere, quam cautam & neceſſariam emendationem admittere, mavult. Pari modo rectum pertendit *Cap. III, verſu 15*, פביים, idemque eſſe, atque פנינים, quod Maſoretæ iſti ſubſtituunt. *Verſu 26* vertit יהי בכסלך *erit firmitas lumborum tuorum*, ex Arabicæ linguæ indole, cui particula ب ſæpe conditionem rei notat. Sic & alibi ex eadem evincit, particulam ל ſignificationem certiſſimæ aſſeverationis interdum habere. *Verſum 30* ſic reddit: *Ne litem homini intendas gratis*, אם לא גמלך רעה, *eo quod nihil tibi mali facturus ſit.* Quam perobſcuram ſententiam ſuppoſita nota hunc in modum ediſſerit: *Quia mitis, placidus, benignus, eſt, qui injuriam injuria repulſurus non ſit propter inſignem bonitatem.* Confert ſcilicet verbum גמל cum Arab. غمل quod ex ejus ſententia *fovere* ſignificat. Non urgebimus, caſcam & pæne ignotam eam vocem eſſe. Nam ad talia non raro confugiendum eſt Hebrææ linguæ cultoribus. Id tantum dicemus, iſtud verbi potius *induere*, *amicire*, *obvolvere*, notare, & rectius conferri cum Hebræo potuiſſe verbum جمل, *congregare.* Quo facto facile potuerat loci verus ſenſus deprehendi, is nempe: *ne litem homini intendas abſque cauſa; ſi non*, (id eſt, ſi hoc præceptum non obſervaris, ſin minus,) *coacervabit*

B *tibi*

tibi (homo, adverſarius,) *malum.* גמלך · جملك poſitum pro גמל לך جمل لك. Hæc ipſa vis quoque obtinet in illo, quod Vir Clariſſ. confirmandæ ſuæ opinionis gratia in Commentario allegat e *ſecundo Libro Chronic. XXII: Ecce Ammonitæ & Moabitæ* גמלים עלינו *ut veniant & expellant nos ex hæreditate tua.* Vertitur (ſic ait Vir Clariſſ.) *rependunt, retribuunt nobis* — ſenſus flagitat: *fovent ſuper nos*, pro *ſubulcerato pectore odia adverſus nos coquunt.* Largimur, interpretationes ſuperiores loco non reſpondere. Sed & in hac, ut in permultis aliis *Schultenſianis*, ſigillum veritatis, ſimplicitatem, deſideramus. Videant alii, num in *fotu* odium & exulceratum animum inveniant, & num ſenſus id hic loci flagitet. Simplicius eſt & aptius, quod eadem Arabica vox جمل ſuggerit. تجملوا علينا *coeunt contra nos integris globis*, vel *turmatim*, inſtar torrentis, qui adſcitis undecunque undis fervidus fertur. „Nervoſe quoque (pergit Vir „Clariſſ.) ac ſuccincte *Devt. XXXII, 6: An Domino* חגמלו „זאת *confovebitis hoc, populus inſipiens.* Tantam *vim cor„ruptionis*, tantamque perverſitatem, contumaciam, rebellio„nem, *impio pectore coquetis.*„ Si ſic licet interpretari, poſſunt omnia ex omnibus extundi. Neque videmus rationem, cur a recepta interpretatione: *An rependetis ita*, recedatur. Quæ ſi ulla ſit ſat gravis, potuerat majore cum ſpecie Arabicum اتجملوا تلك arceſſi, quod, ſi quis audeat ſtilum *Schultenſianum* imitari, ſonabit ad verbum ſtrictiſſime: *An hoc pinguedine ſuffarcinatum facietis Domino?* ἆρα γλαφυρώτετε, (λιπαριἆτε,) τῦτο τῷ θεῷ. Ut nos in lingua vernacula dicimus, *jemand was weiſs machen*, *alicui aliquid album facere*, pro *palpum obtrudere*; ſic Arabes dicunt *alicui aliquid pingue, nitens, læve, facere*, aut *proponere*, quod alias tetrum adſpectu, macrum, & rugoſum, eſt. Foret ergo ſenſus loci ex hoc adſpectu: An hunc tuum agendi deteſtabilem modum Deo, tanquam puero, aut hebeti, ut pulchrum & juſtum approbabis, populus inſipiens?

Porro

Porro *Capite IV* vertit Vir Clariſſ. סלסלה *circumſcribitor eam* (ut vitis flagellis ſuis) *& attollet te.* Commendatio eſt ſapientiæ. Pulchra profecto dictio, quæ, quamvis autori ſuo minus, ut e Commentario conſtat, nobis tamen ita ſatisfecit, ut credamus, eam cum ceteris omnibus, in hoc Opere propoſitis, de certitudine, elegantia, dignitate, & ſimplicitate, certare. *Capite V, verſ. 14,* בתוך negat id, quod videtur, eſſe, ſed perhibet, infinitivum eſſe verbi בתך, ideoque vertit, *proſciſſio comitii.* *Capite VI, verſ. 3, Fili mi, eripitor, cum veniſti in manus ſodalis tui, vade* התרפס ורהב רעיך *exculcato temet, atque cogitationes tuas conterreto.* Poſtremum hoc, ne cujus cogitationes conterreat, in notis ita emollitur & explanatur: *Formidinem incute tuis cogitationibus, id eſt, tibi ipſi formidoloſus inſta & incumbe.* Ad tam formidoloſas anguſtias redigit ſuperſtitionis ſervitus literarum idololatras. Multo planius, ſimplicius, ad captum vulgi propius, eſt ורהב, *& multiplica cogitationes tuas.* *Verſu 13* deſcribitur irriſor his verbis: *Vellicat oculis ſuis,* מלל ברגלו, *pedibus ſuis male urit, tondet digitis.* Secundum membrum ſic explicatur, an confunditur magis, in Commentario: *Coquens quaſi quid ſubcineritium.* Quid rei hoc ſit, quod irriſor ſub pedibus coquat ſubcineritium, & quomodo, non intelligimus. Talis, e noſtra ſententia, hic deſignatur irriſor, qui audiens a ſocio dictum, quod ſubſannat, verſus tertium oculis vibrat, capite nictitat, radit terram calceo, radit menſam, aut ſtringit aſſidentem, digito. مل eſt inter alia jactitare corpus febricitans ab uno latere in alterum præ anxietate. Hinc مل رجله *reciprocare* pedem huc illuc cum quadam celeritate & inconſtantia, quemadmodum faciunt petulantes illi juvenes ſtudioſi, qui ſolum radendo calceis magiſtrum explodunt.

Eodem *Capite verſ. 27* היחתה איש אש vertit Vir

B 2 Cel.

Cel. *an commarginabit quis ignem in gremium ſuum, & veſtes ejus non comburentur?* Erunt, qui rationem interpretationis æque atque novitatem verbi *commarginare* mirabuntur. Notat id Viro Clariſſ. extremitatem fimbriæ utriusque panni, ſuperioris & inferioris, introrſum revolutam conſuere. Vernaculo ſermone *ſäumen*. Non dicemus nunc, ne maligni videamur, quos facetos jocos hæc idea ſuggerere poſſit irriſoribus; indicabimus tantum, quid præclaro Viro miram hanc & plus quam *Æſchylæam* figuram objecerit. Contulit eaſcum verbum Arabicum حتي per T bis punctatum cum Hebræo חתה. Potuerat Vir Clariſſ. iſta περιαγωγῇ, iſtis ſubtilitatibus, ſuperſedere, ſi ſimplicitatis, quæ veritatis ſigillum eſt, amantior, de verbo حثي per T ter punctatum cogitaſſet, quod eſt *aggerere in acervum apicatum*, ſeu *conicum*, ἐπισωρεύειν; & quidem ab Arabibus fere tantum de *pulvere* adhibetur; ab Hebræis autem videtur fere tantum de *prunis* & *cineribus* uſurpatum fuiſſe. Hæc iſtius verbi حثي ſignificatio in *Golii* Lexico quidem non exſtat, quod mireris, eſt tamen unica fere, & frequentiſſima, poſſemusque ejus rei, ſi locus hic pateretur, plus decem exempla comportare. Interea, ne precario hæc fingi pro more ſuo clament illi, de quibus Vir Clariſſ. amare non uno loco queritur, (habet enim eorum aliquos in vicinia ſua,) illi nempe, qui ultra *Golium* non ſapiunt, apponemus unicum tantummodo locum ex *al Hamaſa*, ubi Scholiaſtes ſic ait:

الحثي ان ترفع يدك بالتراب او غيره — والحاثياء تراب
يجمعه اليربوع من هذا — قال الشاعر
الم تر اني ابني على الليث بيته واحثي
عليه الترب لا اتخشع

חתה: *eſt coacervare pulverem, aut alias res, manu ſurſum adducta. Inde quoque* חאתיאת *dicitur ille colliculus, quem talpa ſuper cavea ſua egerit. — Ait Poeta:*

Annon

Annon vides, quomodo ſtruam ſuper leone (viro forti) *domum ſuam æternam, & אחתי עליהם exaggerem ſuper ipſo tumulum glebæ, absque humilis triſtitiæ trepidatione.*

Capite X, verſ. 2, יועילו vertitur: *arcem non præſtant theſauri improbitatis. Verſu 3* הות *cupiditatem vaſtam impiorum impellit in præceps. Cap. XI, verſ. 2,* צנועים, quod alii *modeſti* reddunt, hic ſonat *exaſciati, manſueſacti, a* صنع. *Verſu 7, cum moritur homo improbus, etiam ſpes tenax dolentiſſime diſperit.* Hoc grande & appoſitum dictum appellat Vir Clariſſ. ut pæne omnia ſua hujus commatis. Num אונים *dolentiſſime* notare queat, ex indole linguæ viderint alii. Nobis interea placet *prævaricatorum* reddere. Etiam cenſeant alii, num *verſu 14 in ſpiſſa compactione conſiliatoris* melius ſit vulgato, *in multitudine conſiliatorum.* ברב יועץ *verſu 27* ſic exhibetur: *Non ciebit remiſſio fraudulenta venationem ſuam, & opulentia hominis gravis, acre. Verſu 28, in itinere juſtitiæ vita, & via aggerata immortalitas.* Sic incruſtatur apertum vitium, vis infertur genio linguæ. *Cap. XIV, 3,* ſequitur interpretes, ubi maxime debuerat ab ipſis recedere. *In ore craſſi eſt* חטר *virga ſuperbiæ, at labia ſapientum eos ſubſtricte cuſtodiunt.* Debuerat hic in mentem veniſſe خطر חטר, verbum Arabicum, quod Græcis κυβεύειν, σαλεύειν, ταλαντεύειν, αἰωρεῖσθαι, Latinis *fluctuare, præceps & temere cæco impetu ruere,* reſpondet. Dicitur de homine ſuperbo, in inceſſu vacillante, fluctuante, tollutim eunte, totum corpus quatiente; item de camelo cæcutiente & furioſo, qui ruit inſano cum impetu, neſcius, quo eat. Eſſet ergo ſenſus: *In ore ſtulti eſt ὁ σάλος* (vel ὁ κλόνος) *τῆς ἀλαζονίας: at labia* &c. Paulo poſt *verſu 7* potuerat Arabiſmus magna cum gratia adhiberi. לך מנגד לאיש כסיל vertitur conſueto modo: *Ito e regione ad virum elumbem.* Atqui מנגד eſt participium منجد, ὦ γεννᾶιε, ὦ ἀνδρεῖε. *O vir ſtrenue, qui arduam virtutis viam calcas, ito ad pigrum.* Splendidiſſima quoque

 lux

lux potuerat iſta pulcherrimo, ſed hactenus obſcuriſſimo, accendi. יליץ אשם *ſtolidis interpretem* (conciliatorem) *agit delictum, at inter rectos gratia.* Sic vertitur. Gratiam his nullam ineſſe, quisque ſponte cernit. Divinus Autor absque omni dubio dixit: *Stulti,* (quantum ad eos attinet,) *ardet ignis eorum. At inter commodos & faciles eſt benevolentia, humanitas.* Vulgare eſt in omnibus dialectis, *rixam, iram,* cum *igne* comparare. Conf. *Cap. XXVI, 22.* Nos vernaculo ſermone eandem pæne ideam ſic reddimus: *Bey ungeſchliffenen Leuten brennt es gleich in allen Gaſſen,* id eſt, ſtulti & importuni, ubi ſimul ſunt, pacem colere nequeunt, ſed protinus in altercationem & tumultum *exardent.* יליץ eſt Arabicum يلطي Memorabilis etiam eſt interpretatio *verſus 23* ejusdem *Capitis; In univerſitate nervi intenſi nervatio, at verbum labiorum tantummodo ad raſam indigentiam.* Etiam illa *verſu 26 Cap. XVI: Anima importuni importuna ipſi; ſane clitellas impoſuit ei os ſuum. Verſus 30* redditur: *Stipans oculos ſuos* eſt *ad ſupputandum ſubverſiones,* conferturque verbum Hebraicum עצה cum Arabico عصى, cujus primus ſignificatus perhibetur eſſe *ſtipare.* Καὶ τοῦτο μὲν ταύτῃ ἐχέτω ὅπῃ θέλει. Id tamen certum eſt, verbum iſtud Arabicum huc fruſtra fuiſſe applicatum. Hebraicum enim non iſti, hoc quidem in loco, ſed alteri غضى, reſpondet, & עצה עיניו eſt idem, qui Arabibus مغضي عينيه, *deprimens, humi figens, oculos ſuos.*

Sed, ne nimii ſimus, (quis enim in libro tanti momenti memorabilia omnia exhauriat?) bona Lectoris cum venia locos tantummodo illos pertractabimus, quos Vir Clariſſ. in Præfatione tanquam inſignia quædam præ ſuperioribus interpretibus ſua κατορθώματα, & eminentes quasdam quaſi gemmulas, exerto digito demonſtravit. Sunt illi *Cap. XVIII, 8, Cap. XXV, 10, Cap. XXVI, 6-10.*

Scilicet *Cap. XVIII, 8,* exſtat vox alibi nuſpiam reperiunda כמתלהמים. *Verſum* ſic exhibet Vir Clariſſ.: *Verba rancore ſuffecti tanquam avide deglutita* cruſtula; *& illa deſcendunt* in

in penetralia ventris. Et poſſet omnino ea verſio ſic ſatis ſe approbare, quamvis ei non pauca adverſentur. Nobis tamen videntur, inſcitia librariorum, in unam vocem duæ diverſæ colliquatæ fuiſſe כמתלה מים, كمثلة ماء, *ut hauſtus aquæ*. Hic locus ſi forte non ſatis perſuadeat contumacibus, librarios, qui ſacrum codicem identidem exararunt, iiſdem vitiis obnoxios fuiſſe, & laboraſſe, quibus alii, en dabimus in tranſitu alium, tam clarum, tam potentem, ut nemo futurus ſit, qui contra eum hiſcere audeat, niſi qui forte luculentæ veritati pertinaciſſime velit obluctari. Eſt is *Cap. XIX*, *3*, qui ſic exhibetur: *Craſſities hominis lubricat viam ejus;* ועל יהוה יזעף לבו *& ſuper Jehovam æſtuans dirumpitur cor ejus*. Hæc pro verbo Dei venditantur? Credat, qui velit. Nos diſpeſcemus vocabula ſic: עלי הוה, *& ſuper* (propter) *vaſtam cupiditatem vanarum rerum* homo *rumpit*, lacerat, *cor ſuum*, vel *rumpitur*, crepat, *cor ejus*. Conf. *Cap. X*, *v. 3*. Id eſt, ſtultus homo perverſe inſtituit res ſuas, & vanarum rerum gratia edit cor ſuum, & abbreviat dies ſuos. Jam progredimur ad *Cap. XXV*, *v. 5*, *6*, qui locus modo allato ſimillimus eſt. Unus enim eorum & is quoque eſt, quales in ſacro Codice plures exſtant, qui clara voce clamant, ab injuria & inſcitia librariorum ſe contaminatos eſſe, negantique ſuperſtitioni & contumaciæ os obturant. Clariſſ. *Schultens* locum ſic vertit: *Contende contentionem tuam cum ſodale tuo, & arcanum alterius ne reveles*, פן יחסרך שמע, *ne turgidus erumpat in te audiens id, & virulenta tua infamia haud avertatur*. Quid in his, non divinum, ſed vel humanum tantummodo, ſapiens & admirabile ſit, non intelligimus. Et, quamvis *turgorem* huc attulerit Vir Clariſſ. tamen eo grandior non evadit oratio, quæ ſenſu caret. Si quis liber & integer a terriculamentis opinionis, quam inſania Judæorum credulitati noſtræ obtruſit, ad hunc locum conſiderandum modo attentionem attulerit, intelliget continuo, ſapientem Regem, a Deo actum, debuiſſe ſic ratiocinari:

nari: ne revela per vehementiam iræ, per trepidationem altercationis, arcanum, quod de pari tuo noſti; ne par tuum, id audiens, viciſſim revelet arcanum, quod de te novit, & ita honeſta tua fama abeat, neque rurſus ad te revertatur. Ducit hoc ratiocinium, facile, ſanum, neceſſarium, ad facillimam loci emendationem. Exciderunt duæ literulæ in confinio duarum pæne earundem. Scripſit, ut nobis quidem videtur, *Salomo* פן יחסר סרך كيلا يحسر سرك *ne denudet ſecretum tuum.*

Tandem & ultimum locum videamus. *Cap. XXVI, 6,* ſic vertit: *truncans pedes; cruditatem potans; mittens mandata per manum elumbis.* Nos quidem putemus, loci ſenſum eſſe: *Excidium virorum eſt tyrannis; diſſipatio* (diſturbatio, everſio negotiorum,) *eſt committere negotia in manum pigri,* vel *ſtulti*. Æque tragica hæc non ſunt, atque illa. Sed ad ſimplicitatem & ſoccum quaſi gnomarum propius accedunt. Rationem interpretationis dare, loci hujus non eſt. *Verſus* 7 adhuc eſt τραγικώτερος interpretatio: *Situlas agunt crura ex claudo, & ſententia in ore elumbium.* Qui hæc non intelligunt, viderint, num e Commentario melius ſapiant, in quo egregia de verbo دبي & פסח afferuntur, & de vera ſignificatione vocis *Paſcha* diſſeritur, quæ, non in *tranſitu*, ſed in *amplitudine, ampliatione, liberatione,* conſtituitur. *Verſum 8* vertit: *ut illigare gemmam in tumulum lapidati, ita qui dat gloriam elumbi.* Derivat nempe מַרְגֵּמָה a رجم. Nos putemus, a رغم derivandum eſſe, & locum ſic vertendum: *Ut ſpargere gemmam in cœnum, ita eſt dare bonorem ſtulto. Verſum 9* ſic vertit חוח עלה *ſpina adſcendit in manu ebrii, & ſ.n e tia in ore elumbium.* Viderint alii, num *Salomonem* in his agnoſcant. Vix fieri poteſt, ut עלה hic *adſcendit* notet. Nobis idem videtur atque Arabicum غولة, *repentina & ſimul totalis perditio* eſſe. Et, hoc ſuppoſito, erit ſenſus: *Ut aculeus ſubitaneæ deſtructionis,* (qui ipſo ictu & tactu occidat,) *in manu ebrii eſt, ſic eſt ſapiens dictum in ore ſtulti.*

Finem

Digitized by Google

Finem non inveniremus, ſi cetera, quæ in verſione, & in Commentario, bona juxta malaque occurrunt, vellemus perſequi. Scatet opus eruditione Hebræa, Arabica, Græca, Latina, quod ſubjecti indices demonſtrant. Paſſim enim Noſter in etymologias Græcas & Latinas excurrit, & *Bentlejum* aliosque coram tribunali critico damnat. *Pag.* 54 deducit *pius* a *πῖαρ*: *pag.* 403 *lætus* a *lævigatione*. Hebræarum etymologiarum hoc ſit ſpecimen: *Pag.* 116 אני *navis, claſſis navigationi deſtinata, quæ maturitatem exſpectat.* Mirum, quare *navis* potius *maturitatem exſpectans* dicta, quam uva, pomum, arbor, puer, puella. Hæc Arabica etymologica *pag.* 55 etiam faceta eſt. Qui veteribus *Oxus* audiebat fluvius, is in Orientalium libris سيحان appellatur. Vir Clariſſ. non reputans ſecum, id Turcicum nomen eſſe, ſibi viſus eſt Arabicam radicem ساح, *ſpatiatus fuit*, *obambulavit*, in eo deprehendere. Fluvium enim illum *ſpatiatorem* eſſe. Quaſi ceteri fluvii congelati eſſent.

Quandoquidem ad hunc locum devenimus, adſpergamus pauculas quasdam non inutiles obſervationes ad Arabica, quorum hic uberrima ſeges effloruit. *Pag.* 304 *col. a lin.* 6 exſtat vox مولدة. Hanc vertit Vir Clariſſ. *eſt natum verbum*, gloſſulam hanc addens: *Innuit*, *eſſe ὀνοματοπεποιημένον*, *atque ex ſono ipſo effictum.* Longe aliud eſt. Notat iſta dictio: *Verbum eſt novum*, *novi commatis*, aliunde non admodum diu in Arabiſmum invectum; ſimilitudine ab illis Arabibus ducta, quos مولدون ἐπιγόνȣς appellabant, ex ingenuis Arabiſſis & Æthiopibus natos; quales fere penes nos ſunt *les Meſtiches*, ex Europæis patribus & Indis matribus nati. Eadem ſimilitudo ad proverbia & gnomas traducta fuit; & al Meidanenſis Parœmiographus Arabs unicuique *Capiti*, poſt expoſitas veteres, ingenuas, ex puro thoro natas, parœmias, ſubjungit. الأمثال المولدون parœmias τὰς ἐπιγόνȣς, τὰς νόθȣς, quæ antiquis iſtis indigenis poſt *Muhammedem* per

Islamiſmum acceſſerunt, & per commercium exterarum gentium tanquam e ſecundis & improbis nuptiis ſuccreverunt ſpuria ſoboles. Ut nova talia & ſpuria verba notant Arabum Grammatici; ſic viciſſim notant alia كلمات مماتات, *verba morti*, oblivioni, *data*, caſca, obſoleta. *Pag. 307* exhibetur locus ex *alHamaſa*, qui, ut videtur, non conſilio, ſed per errorem, perperam excitatur. Nempe adducit eum Vir Clariſſ. ut inde ſignificationem verbi فرث adſtruat, quam Hebræo פרש *Cap. XXIII verſ. 34* credit reſpondere. At neque in loco iſto Arabis Poetæ يفرث, ſed يفرش, legitur, neque reſpondet iſtud verbum Hebræo, ſed فرس, cujus verbi notionem & uſum ſi paulo attentius conſideraſſent doctiſſimi Viri, *Bochartus* & noſter *Schultenſius*, non potuerant non detegere, quale ſit illud ſeculis ignoratum animal צפעני, de quo *Salomon* ibi loquitur. Poſtulat dignitas rei, ut tandem aliquando proferamus ex Arabum libris, qualenam illud ibi deſignatum animal fuerit, & ſimul leviculam mendam a Sacro Codice abſtergamus. Locus ſic habet: *Extremum ejus ut ſerpens mordebit &* כצפעני יפרש *ſicut baſiliſcus jecur diffindet.* Sic vertit Vir Clariſſ. ex hypotheſi צפעני *baſiliſcum* eſſe, qua in re *Bochartum* ſecutus eſt, & פרש reſpondere Arabico فرث. Qua in utraque re fallitur. פרש فرس eſt dilaniare prædam, articulos ejus inuncatis unguibus diſcerpere, & oſſa comminuere, quod in baſiliſcum non cadit. Vix dicitur de lupo, urſo, tigride; fere tantum de leone, & de צפען, vel צפע, ضبع & ضبعان *hyæna*, quæ animal noſtrum eſt. *Salomon* ergo dicit: *ut ſerpens mordebit, & ut hyæna mas comminuet oſſa,* וכצפען יפרש Quæ hic de voce ضبعان, & de فرس, poſſemus & deberemus afferre, quoniam locus non patitur, alii occaſioni reſervamus. Id interim notabimus, poſt camelum aliud animal æque memoria celebratum apud Arabes, & poſt leonem æque

æque terribile, æque exoſum, non eſſe, atque eſt **hyæna**, flagellum illud Arabum, hominumque pariter atque camelorum peſtis. Quæ *pag. 355, b*, in fine leguntur, leviculo errore hiſtorico, eoque gemino, laborant. Ibi producit Vir Clariſſ. aliquod poeticum dictum alicujus, quem *Kabitzam, filium Yaſi, regem Hira, ante Muhammedem*, appellat; lapſus & in nomine viri, & in ejus ætate; quod *παρόραμα* quomodo potuerit Viro Clariſſ. excidere, miramur. Nam clare in Codicibus exſtat *Ijas*, filius *Cabiſæ*; & *Tebrizius*, ad eum locum commentator, diſertis verbis ait: وفي ولاية اياس بن قبيصة بعث النبي, *ſub præfectura Ejaſi, filii Cabiſæ, miſſus a Deo, ut Propheta, fuit Muhammed.* Ergo, cum quadrageſimum ætatis annum ageret *Muhammed*, (prætenſa enim ejus miſſio in eam ætatem incidit,) præfuit *Ejas al Hira*, non ut rex, ſed ut legatus regum Perſarum. Adhuc diligentius definit ejus ætatem *Hamzah Iſfahanenſis*, qui in indiculo Principum *alHira* ſic ſcribit: اياس بن قبيصة الطاي ومعه النخيرجان الفرسي في زمن ابرويز ولسنة وستة اشهر من ملك اياس بعث النبي وذلك لستة عشرة سنة من ملك ابرويز ومحمد بن حبيب يقول لعشرين سنة من ملكه *Ejas, filius Cabiſah, vir Thajita, & cum eo alBohairagan, vir Perſa, fuerunt tempore Abarwizi. Cum annus unus & ſex menſes de imperio Ejaſi præteriiſſent, excitabat & legabat Deus ſuum Prophetam; anno decimo ſexto Abarwizi, aut, ut Muhammed, filius Habibi, perhibet, anno ejuſdem Principis vigeſimo.* Si quid intelligimus, videtur Vir Clariſſ. qui linguæ Arabicæ majorem, quam hiſtoriæ, operam huc usque dedit, id quod ejus ſcopo conveniebat, dum linguam hanc ad antiquitatem evehere ſtudet quam poteſt remotiſſimam, ſpeciem antiquitatis omnem ſollicite corradere, & ibi etiam invenire quærens, ubi nulla eſt. Quod cauſam ejus, in ſe bonam & ſolidam, adverſariis,

 ubi

ubi tale quid deprehendant, non poteſt non ſuſpectam facere. Cujus tandem Autoris illa ſit, quam *pag. 442 col. b. c. fin.* citat Vir Clariſſ. *Hiſtoria Perſia manuſcripta*, non magis dixerimus, quam ſi *Hiſtoriam Belgii typis impreſſam* citaſſet.

PLATONIS DIALOGI V. RECENSUIT, NOtisque illuſtravit, NATH. FORSTER, A. M. Collegii Corporis Chriſti Socius.

Oxonii, e typographeo Clarendoniano, 1745, 8 maj.
Alph. 1 plag. 4.

Quinque Dialogi *Platonis*, quos Clariſſ. Editor in hunc faſciculum coegit, ſunt illi vulgares, *Euthyphron*, *Apologia Socratis*, *Crito*, & *Phædo*, qui conjungi plerumque ſolent: ſpectant enim ad *Socratis* exitum, & unum quaſi drama conficiunt. Præmiſſus eſt, tanquam prologus, ille Dialogus, qui *Amatores* inſcribitur. In exhibendo textu Vir Clariſſ. editionem *H. Stephani* ſecutus eſt, ejusdemque, & ſuas, & *Zach. Mudge*, qui Eccleſiæ Cathedralis Exon. Præbendatus eſt, emendationes textui ſubjecit infra Latinam interpretationem, quæ *Marſ. Ficini* eſt. In notis exhibentur variæ lectiones omnium *Platonis* editionum, aut ſi quis alius ſcriptor ex his Dialogis fragmenta quædam allegat, quod *Euſebius*, *Stobæus*, *Jamblichus*, *Theodoretus*, *Cyrillus Alexandrinus*, non infrequenter faciunt. Præterea exponuntur hiſtorica & critica, quantum ſatis ſit; nihil certe omittitur, quod ad ſenſum Autoris declarandum faciat. Commentarius in *Phædonem* illa ſe peculiari commendat dote, quod excerpta quædam ex *Olympiodori* adhuc inedito in illum Commentario exhibet. In fine habentur Indices gemini, unus vocum & phraſium præcipuarum, alter Atticiſmorum & Platoniſmorum inſignium. Hanc viam primus ingreſſus eſt Clariſſ. *Taylorus* in ſuo *Lyſia*, non ſine laude; ceteri deinceps hunc ſecuti ſunt. Emendationes Angli ſunt, ut Criticorum omnium eſſe ſolent, utriusque generis. Bonarum ſpecimen abſque ſollicito delectu dabimus, *Pag. 67. b.* recte editur ἦν ἐκ ἔχω ὅ, τι λέγω loco vulgatæ ᾗ. *Pag. 85 antep.* ἵππων

πων μὲν παῖδας ἡγοῖτο καὶ ὄνων, loco vulg. ἢ καὶ ὄνων. *Pag. 108 ult.* editur ὐκ ἔσθ᾽ ὅ τι μᾶλλον ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. In notula ſubjecta expungitur μᾶλλον, at in notis ad libri calcem ſepoſitis legendum cenſetur ὅ τι ἄλλο, procul dubio recte. *Pag. 138, 2,* ὐτ᾽ εἰ ἄλλο ὅ τι ἂν πάσχειν, pro vulgata, cui εἰ deeſt. *Pag. 201, 11,* in illis: ἐρέγεται τῦθ᾽ ὅ ἐςιν ἴσον καὶ αὐτῦ ἐνδεέςερα ἐςιν, delet quatuor a prima voce proxima vocabula. *Pag. 230, 3,* ἢ δή. pro vulgata ἤδη. E notis ea nobis viſa fuit maxime memorabilis animadverſio, quæ *pag. 333* habetur de *carmine Cyprio*, cujus partem huc transferemus: *De poematis hujusce natura, argumento, & unde nomen acceperit, non minor, quam de autore, inter eruditos controverſia eſt — Sin meam in re obſcura ſententiam poſt tot tantosque viros proferre liceat, hæc ex antiquorum locis, quæ de hoc poemate agunt, elici poſſe exiſtimo:* 1) Κύπρια ἔπη *cum* μικρᾷ, *uti vocatur*, Ἰλιάδι *(quacum nonnunquam male confunduntur,) hactenus convenire, quod utraque non integram belli Trojani ſeriem, ſed partes duntaxat omiſſas ab* Homero, *tractent. —* 2) *Belli* Trojani *primordia cauſasque ab ovo usque gemino repetitas in* Cyprio *carmine enarrari. Res vero Iliade poſteriores & ad claſſis Agamemnoniæ reditum perductas* μικρᾶς Ἰλιάδος, *Autorem verſibus mandaſſe. —* 3) Κύπρια ἔπη *exinde nomen ſuum ſortita videntur, quod Ledæ cum Jove concubitum,* Cypriæ *Deæ cum Pallade ac Junone diſcidium,* Helenæ *raptum utrumque, caſusque alios, ad Venerem potiſſimum ſpectantes, præcipue tractarent.*

Ut *Olympiodori* ſpecimen huc apponamus, vix opus videtur eſſe, cum neque numero, neque argumenti excellentia, illa excerpta emineant, & aliunde jam conſtet, qualis ſit ejus in *Platone* enarrando methodus. Cum itaque reliquum nihil habeamus de hoc libello dicendum, qui & ab externo ornatu, & ab interno valore, ſatis per ſe ſplendet, nihil judicamus utilius, quam ſi & noſtram *Platoni* ſymbolam conferamus, & in IV priores Dialogos emendationum ſpicilegium non magnum exhibeamus. *Pag. 3* itaque *lin. 4* corruptum eſt ἐρώμενον, Quod patet. Monet Clariſſ. Editor in notula, ἐῤῥωμένον legendum

 eſſe;

eſſe; at rectius eſt ἐρωτώμενον. *Pag. 8 lin.* 4 τίνα δ' αὖ. *Pag.* 26, 5, lege ἀπέκτεινεν ἀδίκως, ἀνδροφόνου. *Pag.* 27 penult. προὐκαλούμην σαυτόν. *Pag.* 28, 10, πᾶν τὸ ἐναντίον. *Pag.* 37, 4, ὥσπερ στασιάζουσί γε. *Pag.* 65, 4, εὐτελῶς. *Pag.* 67 ult. ἑται-ρές τε ἦν καὶ ξυνέφ. *Pag.* 72, 2, αὐτῷ αὐτῶν. *Pag.* 75, 6, ξυν-τεταμένως. *Pag.* 83, 6, τούτων. *Pag.* 97, 2, μὴ ὑπείκων δὲ τὸ σῶμα καὶ τἄλλ' ἂν ἀπολοίμην. *Pag.* 136 antep. βέβαιος εἶναι καὶ φανερός. *Pag.* 138, 8, ἑκόντων ταῦτα πράττειν, ἀλ-λὰ μὴ ἀκόντων. Ad *Phædonem* animadverſa reſervabimus alii occaſioni.

ESSAY D'ODONTOTECHNIE, &c.

id eſt,

TENTAMEN ARTIS DENTARIÆ, SIVE Diſſertatio de Dentibus artificialibus, in qua, eorum uſum, oſtenditur, æque commodum pariter ac amplum eſſe, ac dentium naturalium, per MUTONUM, Chirurgum Dentarium.

Pariſiis, apud Antonium Budetum, 1746, 12.
Plag. 8.

Hujus libelli, qui, tum quia materiam exponit, cujus permagna utilitas eſt, tum quia ita conſcriptus eſt, ut etiam ab artis ignaris facile intelligi queat, utique laudari meretur, *quinque Capita* ſunt. Eorumque *primum*, dum, quæ ex dentium defectu incommoda oriuntur, recenſet, permagnam ſimul earum partium utilitatem exponit. Sunt vero inter ea incommoda, præter id, quod in ciborum mutationis læſione
Pag. 5 & 9. conſiſtit, præcipue hæc: ſermonis, multoque magis vocis & cantus, læſio, ſalivæ inter loquendum effluxus, vel potius ejaculatio, & labrorum pariter atque buccarum difformitas,
7 ſeq. quæ, qua parte dentes perditi ſunt, introrſum cedunt. Hæc
8 - 16. omnia ex dentium præcipue adverſorum defectu oriuntur,
17 ſeq. quibus ab incidendo nomen eſt. Salivæ vero effluxus æque ac aeris aliquanto liberior ingreſſus in os, qui pariter adverſorum

ſorum dentium jacturam ſequitur, aliud, idque non leve, in-
commodum parit, oris nempe fauciumque ſiccitatem, cibo-
rumque minus perfectam ſolutionem. Hæc tamen noxa ex Pag. 19 ſeq.
molarium inprimis jactura proficiſcitur, qui, niſi bene tri-
tos in ventriculum cibos demiſerint, ut fere crudus chylus
maneat, peſſimæque indolis morbi oriantur, efficiunt. Ut 21 ſeq.
vero hæc incommoda ſemper accidant, tamen non in omni-
bus æque magna ſunt, quoniam adverſorum defectum labio-
rum longitudo, molarium vero buccarum craſſities ac robur
aliquantum corrigit. Leviora etiam hæc incommoda in iis 23 ſeq.
ſunt, quibus in utraque maxilla dentes omnes deficiunt, quo-
rum tum munere gingivæ duriores factæ funguntur. Ubi 26-30.
vero vel unus tantum, ſive ſuperioris, ſive inferioris, maxillæ
dens perditus eſt, brevi oppoſiti dentis jactura fit, qui amplius
non repreſſus, ex alveolo exit, atque mobilis fit, præcipue
gingivis, quæ dentes firmant, a tartaro læſis atque conſumtis.
Cui animadverſioni ſimilis potuiſſet de ejusdem maxillæ den-
tibus addi, quorum alter alterum tuetur ac continet. Quæ
quo certiora omnia ſunt, eo magis etiam patere debent, quæ
in altero *Capite* de utilitate artis ſpurios dentes ſubſtituendi
proponuntur. Sunt tamen fere levia argumenta, quibus
Mutonus utitur, & nemo facile dubitabit, non a quovis den- 37 ſeq.
tario Medico hanc artem ſic exerceri poſſe, ut ſpurii dentes
eundem ac veri naturalesque uſum præſtent, non vero potius
varia incommoda pariant. Primum vero fabricam ſpuriorum 40 ſeq.
dentium non ignorare oportet, eorumque magnitudinem, pa-
riter ac gingivarum capacitatem, maxillæ craſſitiem, & labio-
rum poſitum, proximorumque dentium ſtatum ita examina-
re, ut, an continere ſpurium poſſint, intelligat, quo etiam fili
materia pertinet, quo ſpurius adſtringi debet, quæ non ſemper
eadem eſſe poteſt. Alias enim animadverſiones illi deſide- 42 ſeq.
rant, qui radice inſtructi, ſine filo ponuntur, quorum uſum
plerique ſine cauſa damnant. In *tertio Capite Mutonus* ea
tollit, quæ ſolent contra horum dentium uſum objici. Ea-
rumque objectionum novem ſunt, ad quarum primam, quæ
de dolore eſt, qui ex gingivis ſectis, earumque vulneribus im-

miſſis

Digitized by Google

miſſis ſpuriis dentibus, oriri debent, reſpondere opus vix eſt.
51 ſeq. Solent enim ſpurii dentes gingivis, iisque durioribus factis, ſimpliciter imponi, quodque ii, qui radice inſtructi ſunt, intrant hac parte ſinum perditi, hic tamen, quoniam nervo ad dentem pertinente deſtructo, ſine ſenſu eſt, nullum ex ea radice do-
52 ſeq. lorem concipit. Altera objectio noxam ſpectat, quam ſpurius dens debeat naturalibus inferre; quæ tamen nunquam niſi medentis culpa fit, ſi vel dentem ex ſpongioſa materia fecerit, per quam facile corrumpere afficereque vicinos poſſit, vel male poſuerit, ut vicinos, aut, ſi nimis longus eſt, oppoſitos, lædat. Plures etiam naturalium dentium læſiones ſive per internam cauſam fiunt, ſive per munditiei neglectum, eæque læſiones ſine dubio ſpuriis dentibus, etiam non poſitis, factæ
Pag. 60-65. eſſent. Nihil de iis objectionibus dicemus, quas ſolent de lapſu ſpuriorum dentium facillimo, vel inter loquendum, fa-
66. cere, quas experientia ſolvit; neque in dentibus ſpuriis ipſis
69 ſeq. aliquid eſt, quod animam fœtidam reddat; minus negari poteſt, quod de colore horum dentium objicitur, qui tamen, niſi dentes ex materia minus idonea facti ſunt, prorſus non & ab iisdem tantum cauſis mutatur, quæ etiam in naturales
72 ſeq. agunt. Pleroſque autem, quo minus artificialibus dentibus utantur, pudor impedit, qui ex metu oritur, ne alii ſpurios hos dentes dignoſcant, quos tamen *Mutonus* tum hoc, quod nos vitia potius aliorum, quam quæ ſecundum naturæ ordinem ſunt, animum attendimus, tum memorabili aliquo ex-
78. emplo, refellit. Requiritur autem, ut, qui opus habiturus ſit ſpuriis dentibus, naturales, qui læſi ſunt, præcipueque adverſos, non tam tolli ſinat, quam carie exeſos prope gingivas frangi, ut ſpurius radice inſtructus dens poſſit naturalis reli-
79. ctæ in alveolo radici eo commodius imponi. Neque vero vi magna adhibita ſed filo involuta, imponitur, quod, ubi humi-
80 ſeq. dum ſuxerit, protinus intumeſcit. Oportet vero etiam ſpurium dentem, ubi naturalis perditus eſt, protinus imponere, tum ut eo citius ferre diſcat æger, tum ut cariei ad radicem ulterior progreſſus impediatur, & labiorum buccarumque difformitas evitetur. Mechaniſmus arte factorum dentium in

quar-

quarto Capite exponitur. Solent autem hi dentes non ſolum in perditorum locum, verum etiam ibi, poni, ubi ſpatium quidem, nunquam vero dens, fuit, etſi hoc magnam artificis diligentiam deſiderat. Ex ſpuriis dentibus maxime firmi illi ſunt, quibus, radicis loco, tenue ex auro factum acumen prominet, quod illi naturalis dentis radicis foramini immittitur, per quod vaſa ad dentem proferuntur, quorum tamen quod ſupereſt, debet ante cinnamomi eſſentia impoſita deſtrui. Si radix a carie multum læſa eſt, præſtat ſpurium dentem ſimul filo firmare, quod alterum genus ſpuriorum dentium facit. Idque notius eſt, quam ut poſt ea, quæ jam dicta ſunt, multa addere debeamus. Addemus tamen hoc, poſſe per ejusmodi filum plures dentes ſpurios imponi, modo aliquot ſatis firmi naturales dentes ſuperſint. Tertium genus elatere firmatur. Simplex, vel duplex, eſt, tot partibus factum, quot naturales dentes ſunt. Ponitur enim, his omnibus perditis, in inferiore maxilla, ſine nexu, in ſuperiore cum nexu, ad dentes naturales inferioris. Duplex ex duplici ordine conſtat, communibus elateribus nexo. Qua parte gingivis reſpondet, concavum eſt, & his labiiſque pariter ac buccis non aliter ac oculus ſpurius retinetur atque movetur. Primis diebus dentibus parum commode, paulo poſt etiam ad maſticationem, utimur. Qui duplicem ejusmodi machinam habent, ſi ad eſum uti non poſſunt, ſimplicem debent prandii & cœnæ tempore inferiori maxillæ imponere. Hoc genus dentium poni poteſt ſic, ut multo firmiores ſint, etſi ex naturalibus unus ſupereſt, modo machina illa loco hujus dentis perforata ſit. Inter ſpurios dentes refertur etiam lamina, quæ denti verſus palatum inclinato, ſi tolli commode non poteſt, imponitur, ut dentes vicinos æquet. Accidit etiam, ut, gingivis deſtructis, dentes, præcipue adverſi, vacillent. Hos etiam medentes, tanquam ſpurios, filo, vel aliter, firmant; interdum etiam nuper lapſorum dentium radices reſecant, ut poſſint, tanquam ſpurios, alveolis & gingivis clauſis, imponere. Si ſpatium, quod inter duos dentes eſt, a parte gingivarum paulo anguſtius eſt, quam ab oppoſita, dens imponitur, qui utrinque elaterem habet, & Gal-

83 ſeq. 85 ſeq. Pag. 89 ſeq. 92 ſeq. 103 ſeq. 105 ſeq. 107 ſeq.

Digitized by Google

Pag. 108-119. Gallis *dent à coluiſſe* nominatur. Interdum ex unius homi-
nis maxilla nuperrime evulſus dens in alterius maxillam
transponitur, ex qua eodem tempore naturalis evulſus eſt.
Idque propter radices non niſi cum adverſis ſuccedit. Opor-
tet vero utriusque dentis radices potiſſimum noſſe vel ante-
quam evelluntur, neque caries negligenda eſt, quæ ſi dentem,
cui alius ſubſtitui debet, deſtruxit, præſtat horum nihil face-
re; neque ſuccedit facile curatio, ſi vitium in humidis corpo-
120 ſeq. ris eſt. Hæc transplantatio nominatur. Replantatio deni-
que eſt, ſi dentes, ictu excuſſos, reponimus, & filo firmamus,
ſi carioſum dentem movemus, ut nervus rumpatur, tumque
firmatum plumbo implemus, ſi denique dolentem dimo-
128 - 130. vemus ſic, ut nervus laxetur. Spurii dentes ex hominibus,
bobus, hippopotamo, aliisque animantibus, deſumuntur &
fiunt. Humani ſani eſſe debent, in bovinis canalis clauſus,
140 ſeq. per quod vaſa feruntur. Nunquam vero ex auro fiunt, cu-
jus tamen varius uſus eſt in mollium ac facile tritu lædendo-
rum dentium conſervatione, qui nempe aureo quaſi amictu
inveſtiri debent, quod tamen vix, niſi in molaribus, locum
143. habet. *Quintum Caput* de cura ſpuriorum dentium eſt. Non
aliter ac naturales curandi, præcipueque ſæpe ſiccandi, ſunt,
quod fieri poteſt, ſi nolis eximere, labris diductis, & lingua
147 ſeq. retracta, aeri libero exponendo. Ad noxam avertendam,
quam ſucci corporis corrupti inferre queunt, nihil aqua tepi-
150 ſeq. da præſtantius eſt, qua dentes ſæpe abluere oportet. Reliqua
ad uſum parvorum bacillorum pertinent, quos, ex ligno ſic
factos, ut utrinque penicillos referant, Autor non ſine cauſa
radici malvæ, &c. præfert, ſed præparationem tacet, & ad co-
157 ſeq. ralliorum ſimiliumque durorum corporum uſum, quem, ne-
que male, rejicit.

THEOREMATIS COTESIANI DE OBJECTI, mediantibus quoicunque lentibus, aut, ſpeculis viſi, diſtantia apparente, demonſtratio analytica, Autore ABRAHAMO GOTTHELF KÆSTNERO, Lipſ. Math. Prof. Publ. Extraord. in Academ. Lipſ. Facult. Philoſ. Aſſeſſ. J. U. C.

Re-

Digitized by Google

Rogerum Coteſium; cum præmature obiret, Newtonus funebri elogio proſecutus eſt, brevi illo, ſed, ſi laudantis perſonam ſpectes, neſcio, an non omnium, quæ ulli eruditorum unquam contigerunt, maximo: *If Mr. Cotes had lived, we might have known ſomething* *. Fuit vero inter plura, quæ reperit, egregia ultimum, propoſitio, quæcunque de lentium ſpeculorumque quotcunque conjunctorum augendi imminuendive vi cognoſci poſſunt, brevi & elegantiſſima formula complectens. Eam *Smithius* in excellenti *Opticæ Syſtemate* demonſtrare conatus eſt, ** ſed tum, ut pleraque in hoc opere, ſynthetice magis, quam analytice, tum ita, ut mihi quidem, forte quod hebetiori paululum ſum ingenio, ad indefinitum numerum formulam porrigi, non ſatis patere, fatear. Conſtat, harum regularum eam eſſe naturam, ut, mutationibus certa quadam lege factis, quod de dato quopiam rerum numero enuntiatur, ad alium quemvis applicari poſſit. Jam *Smithius* de tribus lentibus theorema perſpicue ſatis oſtendit, eoque ipſo pauciores complectitur; ſed, ut eandem legem in pluribus obſervari credamus, inductione perſuadere magis, quam demonſtratione cogere, videtur. Igitur, cum in iis, quæ de lumine viſioneque Matheſis docet, ita explicandis ab aliquo tempore occupatus fuerim, ut non ſaltem vera eſſe, quæ docentur, evincere, ſed etiam, qua arte reperiri potuerint inventa, inventis vero addi alia queant, inveſtigare allaborem, daturus aliquando, ſi providentiæ vires otiumque mihi largiri placeat, Geometriam Lucis analytice expoſitam, non potui non & hujus Theorematis analyſin tentare. Qua in re, quid mihi ſe obtulerit, ſi proferam, rem non omnino ingratam Mathematum cultoribus facturum me arbitror, cum & pulchra ſit *Coteſii* formula, & *Smithii* demonſtratio, cum ipſo ejus libro, paucis apud nos innoteſcere poſſit.

D 2 Diſſ.

* *Smith compleat Syſtem of Optiks. Rem. 465.*

** *Art. 247.*

Definitio.

TAB. I Fig. 1. Si ſit FP axis quotcunque lentium, vel ſpeculorum, & ex objecti PL puncto L veniens radius LF, dum tendit ad punctum F, a lente Ct refringatur in tH, producatur autem Ht, ad occurſum cum recta per L axi parallela, in *li* demiſſo perpendiculo *lp*, erit Hp, *diſtantia apparens* oculo in H objectum per lentem Ct conſpicienti, exſiſtente HP diſtantia vera. Similiter ſi incidens *ts* radius a lente Bs refringatur ad I, ut ad oculum jam non in H, ſed in I, poſitum perveniat, productus autem refractus Is parallelæ prædictæ occurrat in λ, & ſit $\lambda\pi$ perpendiculum in axem, erit $I\pi$ *diſtantia apparens* per duas lentes. Item, ſi *sr* a lente Ar refractus oculo in O occurrat, & Or producta, parallelæ in Λ, erit $O\Pi$ diſtantia apparens pro tribus lentibus. Et in genere, ſi per punctum objecti extremum, a quo veniens radius per quotcunque lentes ad oculum refringitur, axi agatur parallela, & radius, qualis ultimo refractus ad oculum pervenit, producatur, donec parallelæ huic occurrat, ab occurſus autem puncto in axem perpendiculum demittatur, erit diſtantia inter oculum & concurſum hujus perpendiculi cum axe, *diſtantia apparens*. Idem de ſpeculis valet, pro axe lentium ſumendo axem ſpeculorum, & pro radio ultimo ad oculum refracto,

Fig. 2. ultimum ad oculum reflexum. Quo poſito, ſi radius LF a ſpeculis Ct, Bs, Ar, reflectatur in lineas tH, sI, rO, erunt rurſus Hp, $I\pi$, $O\Pi$ diſtantiæ apparentes, pro oculo in H, vel I, vel O, objectum unius, duorum, trium, ſpeculorum ope vidente.

Fig. 1, 2. *Corollarium.* Diſtantia apparens ad veram eſt ut magnitudo vera ad apparentem. Nam, ſi pertingat radius ex L veniens poſt quotcunque reflexiones, aut refractiones, in oculum ad O, erit $\Lambda O\Pi : LOP =$ magn. app. ad veram. Cumque exigui ponantur hi anguli, ſumi poſſint LP, $\Lambda\Pi$ pro arculis centro O deſcriptis, ut ſit ratio prædicta $= \frac{\Lambda\Pi}{O\Pi} : \frac{LP}{OP} = OP : O\Pi$ ob $L\Lambda$ axi parallelam.

Scholion. Inde perſpicitur, ſi *diſtantia apparens* cognoſcatur, etiam *magnitudinem apparentem* ſciri. Unde, ſi prior facilius

lius concinna generalique formula exprimi poteſt, ad alteram inveſtigandam erit adhibenda. Moneo vero, quod & figuræ per ſitum radiorum refractorum & reflexorum indicant, ponere me in analyſi lentes convexas & ſpecula cava. Quorum oppoſita ſi ſumantur, focorum valores negativos fieri notum eſt.

Propoſitio I. Lemma.

Data lente, vel ſpeculo *Ct* foci λ, reperire diſtantiam CF, quam terminat punctum F ad quod tendere debet radius *Lt* F ut ad oculum in H poſitum refringatur, vel reflectatur: hoc eſt, reperire punctum F *oculo* H *reſpondens* *.

Sol. 1. Poſita diſtantia puncti radientis in axe lentis ante lentem $= D$, ſemidiametris convexitatum anterioris & poſterioris reſpect. $r.\ \rho.$ & diſtantia puncti concurſus poſt lentem $= \phi$ eſt ex notiſſimo Theoremate *Halleiano* **, $\phi = p. D. r. \rho: (D. (r+\rho) - p. r. \rho)$ ubi $p = n: (m - n)$ & $m: n$ ratio refractionis. Jam, ſi ſit λ focus principalis, eſt pro eo $D = \infty$ & $\lambda = p. r. \rho: (r+\rho)$. Unde $\lambda. (r+\rho) = p. r. \rho$, & $\phi = D. \lambda. (r+\rho): D. (r+\rho)$ ſeu $\phi = D. \lambda: (D - \lambda)$. Hæc quidem ſi radii a puncto ante lentem poſito in illam incidant, ſi vero ad punctum poſt eam tendant, fit D negativum & $\phi = D. \lambda: (D+\lambda)$ unde $\lambda \phi: (\lambda - \phi) = D$, ſeu in figura $\lambda\, CH: (\lambda - CH) = CF$. Q.E.I. TAB. I Fig. 2.

II. In Speculo, ex theoremate *Dittoniano* *** ſi ſemidiameter ſpeculi ſit $= r$, erit $\phi = \frac{r.\ D}{2D - r}$ hoc eſt $= \frac{\lambda.\ D}{D - \lambda}$, ſeu poſito D negativo cum radii tendunt poſt ſpeculum, $\lambda D: (D + \lambda)$ poſito $\lambda = \frac{1}{2} r$, ut eſt in ſpeculo cavo. Ex qua formula, quæ cum illa, quam ante pro lente reperi, eadem eſt, ſequitur idem $D = \lambda \phi: (\lambda - \phi)$.

Corollar. Ergo $\frac{\phi}{D} = \frac{\lambda - \phi}{\lambda} = 1 - \phi : \lambda$.

* *Hug. Dioptr. Prop. 26. & ſeqq.* hac voce utitur.
** *Miſc. Cur. Vol. I. pag. 350.*
*** Ex *Tranſact. Anni 1705* habetur in *Act. Erud. A 1707.*

Digitized by Google

Propoſitio II.

Datis quotcunque lentibus focorum datorum, datisque illis poſitione, & objecto & oculo, invenire diſtantiam per omnes lentes apparentem.

TAB. I Fig. 1. *Sol.* 1. Detur unica lens Ct, foci c, per quam ſpectetur objectum PL ab oculo in H poſito, radium Lt F in tH refractum excipiente, erit (ex *Lem.*)

CF = c. CH : (c — CH). Jam

FC: Ct = FP: PL

Ct: CH = pl: pH unde ordin. & ex æquo

FC: HC = FP: Hp. Eſt ergo

$$Hp = \frac{HC}{FC}.\quad FP = \frac{HC}{FC}.\quad (FC + CP) = HC + \frac{HCP}{FC}$$

(ubi HCP notat rectangulum ſub HC, CP,) ſed HC : FC = (c — CH) : c = 1 — CH : c. Igitur Hp = HC + (1 — CH: c). CP = HC + CP — HCP: c = HP — HCP: c

2. Sint jam duæ lentes Ct, Bs oculus in I, eſt IB : Bs = Iπ : $\pi\lambda$ & Bs : HB = pl: Hp unde rurſus ord. & ex æqu. IB : HB = Iπ: Hp & Iπ = $\frac{HB}{IB}$. Hp.

Fig. 3. 3) Sint lentes quotcunque D, C, B, A, *cet.* focales illarum diſtantiæ d, c, b, a, *cet.* & a puncto L objecti PL incidat in primam lentem radius LF, tendens poſt refractionem in lente D, ad G punctum, isque a lente C exceptus refringatur ad H, & tunc exceptus a lente B refringatur verſus I, & occurrens lenti A ab ea refringatur ad O, & ſic porro. Occurrant autem radii ita refracti rectæ per L axi parallelæ in iis punctis, unde demiſſa in axem perpendicula ſecant eum in Q, R, S, Π cet. punctis reſpective, erunt GQ, HR, IS, OΠ. cet. diſtantiæ apparentes pro oculo in G, vel H, vel A, vel O, cet. conſtituto, objectum per unam, duas, tres, quatuor cet. lentes ſpectante, facileque patet, hæc ſemper ita continuari poſſe, dummodo ſemper radius in eo ſitu, in quem refractione ultima ad oculum detorquetur, producatur ad occurſum cum recta per L axi parallela, ab hoc autem occurſus puncto perpendiculum in axem demittatur. Jam ex *Art.* 2 *Sol.* patet, fore

HR

$$HR = \frac{HC}{GC} \cdot GQ, \quad IS = \frac{IB}{HB} \cdot HR = \frac{IB}{HB} \cdot \frac{HC}{GC} \cdot GQ$$

$$\sigma\pi = \frac{OA}{IA} \cdot IS = \frac{OA}{IA} \cdot \frac{IB}{HB} \cdot \frac{HC}{GC} \cdot GQ,$$ unde facile lex aliqua progreſſus colligitur. Quodſi enim dividatur diſtantia puncti concurſus, radii per quotcunque lentes anteriores, ex earum, per quas omnes objectum ſpectatur numero refracti, a lente, in qua ultimo refractus fuit, per diſtantiam ab hac eadem lente, puncti ejus, ad quod, antequam in illa ultimo refringeretur, tendebat, hocque fiat pro ſingulis lentibus, factum autem ex omnibus his quotientibus, ducatur in diſtantiam apparentem objecti per unicam lentem, omnium nempe primam, ſi ab objecto numerentur, conſpecti, habebitur diſtantia apparens objecti per quotcunque lentes viſi. Id autem generale eſſe patet, cum non nitatur niſi translatione *Art.* 2, a duabus lentibus ad plures, quam fieri poſſe, inde patet, quia ſi ſint tres lentes ut A, B, C, objectum PL per omnes tres eodem modo videbitur, ac *pl* videretur per duas B, A, remota tertia ad C, cujus omnis effectus eſt radium ex L venientem LF ita inflectere, quaſi ex *l* veniens in poſteriores duas incideret. Sicque, ſi quatuor eſſent lentes, una adhuc ante lentem A poſita, PL ita per omnes quatuor conſpiceretur, ut $\pi\lambda$ per duas ultimas remotis C & B, ſicque patet, ſemper caſum plurium lentium reduci ad duas. TAB. I. Fig. I.

4) Eſt ergo ex *Art.* 1. $GQ = GP - GDP : d$, idque pro HR reperiendo duci debet in HC: GC, hoc eſt ex *Coroll. Prop. I*, in $(c - HC) : c$ ſeu in $1 - HC : c$, ſed GQ reſolvitur in $GC + CP - (GC + CD) . DP : d$, cujus ſingulæ partes in HC: GC ducendæ ſunt. Fit ergo

$$GC . HC : GC = HC$$

$$CP . (1 - HC : c) = CP - HCP : c$$

$$- \frac{GC . DP}{d} \cdot \frac{HC}{GC} = - HC . DP : d$$

$$- \frac{CDP}{d} \cdot (1 - HC : c) = - CDP : d + HCDP : cd$$

$$\overline{HR = HP - HCP : c + HCDP : cd}$$
$$- HDP : d$$

5) Por-

5) Porro $IS = \frac{IB}{HB} HR$, hoc eſt $(1 - IB : b). HR$, Reſolvatur ergo HR ita, ut partes ejus aliæ HB contineant, aliæ non, prioresque ducantur in $IB : HB$, reliquæ in $1 - IB : b$. Eſt autem

$$HR = HB + BP - (HB + BC). CP : c + (HB + BC). CDP : cd - (HB + BD). DP : d.$$

Valor hic, ſi prædicto modo in $IB : HB$ ducatur, quæ partes ipſius HR ante factorem HB continebant, jam factorem IB continebunt, nullam ceteroquin mutationem perpeſſæ, reliquis autem partibus in $1 - IB : b$ ductis ex

$$\begin{array}{rl} HR = & HB + BP \\ & - HB.CP : c - BCP : c \\ & - HB.DP : d - BDP : d \\ & + HB.CDP : cd + BCDP : cd \end{array}$$

obtinebitur

$$\begin{array}{llll} IS = & IB & + BP & - IBP : b \\ & - IB.CP : c & - BCP : c & + IBCP : bc. \\ & - IB.DP : d & - BDP : d & + IBDP : bd \\ & + IB.CDP : cd & + BCDP : cd & - IBCDP : bcd \end{array}$$

Hoc eſt, colligendo terminos, quorum diviſores ſunt iidem

$$\begin{array}{lllll} IS = & IP & - IDP : d & + ICDP : cd & - IBCDP : bcd \\ & & - ICP : c & + IBDP : bd & \\ & & - IBP : b & + IBCP : bc & \end{array}$$

6) Rurſus, ut habeatur $OII = \frac{OA}{IA} . IS = (1 - OA : a). IS$, exprime IS, ut ſequitur

$$\begin{array}{lll} IS = IA. & 1 & + AP \\ & - DP : d & - ADP : d \\ & - CP : c & - ACP : c \\ & - BP : b & - ABP : b \\ & + CDP : cd & + ACDP : bc \\ & + BDP : bd & + ABDP : bd \\ & + BCP : bc & + ABCP : bc \\ & - BCDP : bcd & - ABCD : bcd \end{array}$$

Intelli-

Digitized by Google

intelligitur autem IA ductum in ſingulos columnæ primæ terminos. Jam prima hæc columna ducatur in OA : IA, & non aliam mutationem ſubibit, quam ut obtineat factorem OA loco factoris IA, reliqua autem columna multiplicata in (1 — OA : a), totus ipſius OΠ valor fiet

OA. 1	+ AP	— OA. + AP : *a*
— DP : *d*	+ ADP : *d*	— ADP : *ad*
— CP : *c*	— ACP : *c*	— ACP : *ac*
— BP : *b*	— ABP : *b*	— ABP : *ab*
+ CDP : *cd*	+ ACDP : *cd*	+ ACDP : *acd*
+ BDP : *bd*	+ ABDP : *bd*	+ ABDP : *abd*
+ BCP : *bc*	+ ABCP : *bc*	+ ABCP : *abc*
— BCDP : *bcd*	— ABCDP : *bcd*	— ABCDP : *abcd*
I.	II.	III

Ubi, ſi columnas per indices infra ſcriptos deſigno, patet, columnam III eſſe II ductam in — OA : *a* ſubintelligo enim, ut ante IA, ſic jam OA, in ſingulas columnarum, quarum termino ſupremo ad latus ponitur, partes ductum. Hic igitur ſi rurſus colligantur partes diviſorum eorundem, habetur OΠ =

OP — ODP : *d*	+ OCDP : *cd*
— OCP : *c*	+ OBDP : *bd*
— OBP : *b*	+ OADP : *ad*
— OAP : *a*	+ OACP : *ac*
	+ OABP : *ab*
— OBCD : *bcd*	+ OABCDP ; *abcd*
— OACDP : *acd*	
— OABDP : *abd*	
— OABCP : *abc*	

7) Jam, quam communem legem, diſtantiarum apparentium formulæ *Artic.* 1, 4, 5, 6, ſequantur, facile patet. Prima cujusvis pars eſt diſtantia vera. Reliquæ oriuntur ex ſegmentis axeos, inter punctum, in quo oculus ponitur, lentes, & objecti punctum in axe poſitum, contentis, omnimode

 com-

combinatis, & diviſorum loco focos illarum lentium, a quibus ſegmenta, quamvis partem conſtituentia, fiunt, aſſumentibus. Modus autem, quo oriuntur, ita generatim exprimi poteſt: Si lens proxime ad oculum poſita ſit *prima* A, hanc ſequantur aliæ B, C, D, . . . F . . . H . . . K . . . M numero m, ita ut inter D & F, nec non F & H atque H & K quotcunque ſint intermediæ, M vero ſit ultima omnium, denique focales lentium diſtantiæ ſignentur literis minuſculis, ejus quælibet lentis, ad quam ſpectant, terminus generalis diſtantiæ apparentis ſic exprimitur:

Fiat ſumma ex diſtantia oculi a lente prima, & diſtantiis lentium primæ a ſecunda + ſecundæ a tertia, cet. usque ad lentem F: hæc ducatur in ſummam ex diſtantia lentis F a prima eam verſus objectum ſequente, + diſtantia inter hanc lentem primam, & ſecundam a lente F verſus object. + diſtantia inter hanc lentem ſecundam & tertiam, & ſic porro, donec ad H lentem perveniatur: hoc factum rurſus ducatur in diſtantiarum a lente H ad ſequentes eodem modo acceptarum ſummam usque ad lentem K, & ſic continuetur, adjungendo ſemper alium factorem, compoſitum ex ſumma diſtantiarum a lente quavis, ad quem usque pertigerat factor proxime præcedens, ad lentem ſequentium quamvis, & huic factori alium, qui ſit ſumma diſtantiarum ab ea lente, in qua præcedens factor ſubſtiterat, ad aliam ſequentium, & ſic porro, ultimus vero factor ſit ſumma diſtantiarum a lente ea, ad quam penultimus pertigerat ad lentem objecto proximam, & ab hac ad objectum. Ex his factoribus natum productum fiat dividendus, cui ſubſcribendus diviſor ſit itidem factum, ex focis lentium illarum, ad quas ſinguli dividendi factores pertingerent, formatum, ut adeo primus diviſoris factor ſit *f* alter *h*, & ſic porro, adeoque, ſi ultimus dividendi factor incipiat a lente K, vel in ea terminetur penultimus, (hoc eſt, ſi ultimus dividendi factor ſit ſumma diſtantiarum a lente K usque ad M & ab hac ad P.) ultimus diviſoris factor ſit *k*. Signentur jam diſtantiarum ſummæ in dividendo obviæ, punctis extremis, ad quas terminantur, ea ſcilicet, ab oculo ad lentem F,

dica-

Digitized by Google

dicatur OF, & ab F ad H dicatur FH, &c. ſummæque omnes concipiendæ antequam a lente H ad lentem K perveniatur, deſignentur H . . . . . K, ubi K eſt lens ea, quæ terminat factorem penultimum, inchoat autem ultimum. His omnibus poſitis intelligetur termini generalis expreſſio ſequens $\frac{OF.\ FH.\ H\ .\ .\ .\ .\ K.\ KP}{f.\ h\ .\ .\ .\ .\ k}$

Hanc formulam continere quæ in Articulis 1, 4, 5, 6, reperta ſunt, attendenti patebit & illuſtratur his exemplis:

Ex. 1. In formula *Art. 6,* reſpondeat C ipſi F, eſt OF = OA + AB + BC. Cum ergo unica lens ſaltem ſequatur coeunt H & K in D, cumque ſit $f = c$, $h = k = d$ abit terminus generalis in OCDP : *cd.*

Ex. 2. Si F ſit B, poteſt H eſſe primo C, tuncque oportet, ut K ſit D & term. gener. fit OBCDP ; *bcd;* deinde cum H etiam eſſe queat D, & ſimul K erit D, fitque term gener. = OBDP: *bd.*

Ex. 3. Si F ſit A, ſignificabit H primo B, tuncque K erit vel C quod dabit term. gen. = OACP ; *abc,* vel D quod dat. term. gen. OABDP : *abd*; deinde, ſignificante H ipſum C, erit K neceſſario D, & term. generalis fit OACDP; *acd.*

8) Sumo, hunc terminum generalem valere pro oculo in O poſito, objectum per lentes A, B, C, . . . M, numero *m* conſpiciente. Dico, ſi hoc ſit, ſimili termino generali, adeoque eadem lege, exprimi diſtantiam apparentem oculo in V conſtituto, objectumque per lentes numero $m + 1$ ſpectanti, accedente ſcilicet ad priores alia adhuc Z, foci *z*, cujus ope radius a prioribus lentibus omnibus ad O punctum refractus, ad V detorqueatur.

Patet vero, eſſe OA = OZ + ZA. Cum ergo in termino generali ſuppoſito ſit OF = OA + AF erit OF = OZ + ZA + AF, & terminus generalis fit $\frac{(OZ+ZF)\,FH.\ H\ .\ .\ .\ K.\ KP}{f.\ h\ .\ .\ .\ .\ k}$

Si autem diſtantia apparens O per lentes *m*, de qua verum *Co-*

teſii theorema ſupponitur, dicatur δ, & diſtantia apparens oculo V per lentes $m+1$, de qua idem theorema oſtendi debet ex hac hypotheſi, vocetur Δ, erit ex ante dictis $\Delta = \frac{VZ}{OZ}\,\delta = (1 - VZ : z).\,\delta$. Separetur ergo δ in duas *Sectiones*, quarum *prima* in ſingulis ſuis partibus contineat factorem OZ, *ſecunda* eum non contineat, ut factum eſt in ipſius IS expreſſione ſub initium *Art. 6* data, ubi I, A, reſpondent in præſenti ipſis O, Z. Quo facto, ex termino generali ipſius δ, ſimiliter in duas tales partes ſeparato, ſit terminus generalis *Sectionis primæ* $\frac{OZ.\ FH.\ H\ \ldots\ K.\ KP}{f.\ h\ \ldots\ldots\ k}$ & *ſecundæ* $\frac{ZF.\ FH.\ H\ \ldots\ldots\ K.\ KP}{f.\ h\ \ldots\ldots\ k.}$, ut terminus generalis Sectionis ſecundæ idem ſit cum termino generali Sectionis primæ, niſi quod habet ZF loco ipſius OZ. Terminus generalis *Sectionis primæ* ductus in $VZ : OZ$ dat $\frac{VZ.\ FH.\ H\ \ldots\ K,\ KP}{f.\ h.\ \ldots\ldots\ k}$, quod productum generale expandendo per ſingulos ipſorum F, H, ... valores, oritur *columna prima*, qualis habetur in primo ex valoribus ipſis OΠ, *§. 6.* expreſſis. *Sectionis* vero *ſecundæ* terminus generalis ductus in $(1 - VZ : z)$ dat $+\frac{ZF.\ FH.\ H\ \ldots\ K.\ KP}{f.\ h.\ \ldots\ldots\ k}$
$-\frac{VZ.\ ZF.\ FH.\ H\ \ldots\ K.\ KP}{z.\ f.\ h\ \ldots\ldots\ k}$

Ex harum partium prima oritur columna *ſecunda*, & ex altera, columna *tertia*, ſimiles ſecundæ & tertiæ in valore ipſius OΠ *§. 6* modo citato.

Summa autem terminorum generalium columnæ I & II, hoc eſt terminus generalis ſummæ harum columnarum, eſt $\frac{VF.\ FH.\ H\ \ldots\ K.\ KP}{f.\ h.\ \ldots\ k}$, ſimilis, ut patet, termino aſſum-

aſſumto generali ipſius δ, ſi in hoc loco O ſcribatur V, & abſoluturus pro Δ formulam, formulæ pro δ ſimillimam, niſi præter ſegmenta in axe lentium communi ab A, B, . . . M facta adhuc accederet hic lentis Z cum axe interſectio. Hac vero id efficitur, ut, abeunte termino generali pro δ in $\frac{VF.\ FH\ H\ldots K.\ KP}{f.\ h.\ \ldots\ k}$, debeat etiam F ſignificare poſſe Z, & adeo *f* ſignificare poſſe *z*. Quod, ut fieri queat, obtinetur producto ex — VZ: *z* in terminum generalem Sectionis ſecundæ, qua id omne, quod in $\frac{ZF.\ FH.\ H\ldots K.\ KP}{f.\ h.\ \ldots\ k}$ ad hanc ſuppoſitionem ſpectat, continetur.

Denique patet, terminum generalem, ſive quemvis, columnæ III, oriri, ſi generalis, ſive quivis columnæ I, ducatur in — ZF: *z*. Hocque modo numerus focorum, quorum productum diviſorem cujusvis columnæ primæ termini conſtituit, ſemper foco *z* augetur. Sumta ergo in formula pro δ etiam hac conditione, ut terminus quivis ſit negativus, ſi focorum numerus in diviſore ſuo ſit impar, vel *o*, poſitivus contra, ſi ſit par, eadem conditio etiam in formula pro Δ obſervatur, cum ii quidem termini, qui non plures focos in diviſoribus habent, quam termini ipſius δ, ex quibus multiplicatione per VZ: OZ oriebantur, ſigna ſua retineant, in aliis vero, ex terminis *Sectionis ſecundæ* formulæ pro δ, multiplicatione per — ZF. *z* oriundis, aucto numero focorum unitate, conditio paritatis & imparitatis ſimul cum conditione ſigni, ob multiplicationem per negativum factam, in oppoſitum tranſeat, adeoque hæc etiam lex, ſi de formula pro δ vera eſt, de formula pro Δ ſit valitura.

9) Ex his igitur patebit, eadem lege, qua diſtantia apparens per lentes *m*, ex poſitu oculi, lentium, & objecti, definitur, definiri etiam diſtantiam apparentem, ſi, manentibus reliquis, nova autem lente poſt reliquas accedente, oculus jam objectum per $m+1$ lentes ſpectet. Ut igitur, ſi de quatuor lentibus, ut verum eſt, verum ſumatur theorema *Coteſianum*,

 ſub

ſub initium *Art. 9* explicatum, verum etiam ſit de quinque, & hinc de ſex, & ſic porro ſine fine, cum, poſito, illud pro dato aliquo aliquo numero valere, ſequatur, ut valeat pro numero hoc unitate aucto. Cavæ autem lentes, convexis intermixtæ, nullam aliam mutationem poſtulant, quam ut foci illarum ſumantur negativi. Et ex hoc quidem theoremate generatim deduci poſſunt, quæ de *area viſibili*, de *diſtinctione apparente*, de *quantitate lucis*, ad oculum perveniente, & ſimilibus in teleſcopiis & mirroſcopiis, quæruntur. Hæc vero nec brevibus expediri poſſunt, nec huc ſpectant, ubi Opticam docere animus non eſt. Pauca tamen, ut applicatio formulæ pateat de diſtinctione apparente addam.

TAB. I Fig. 1. Cum a puncto L objecti non unicus radius, ſed innumerorum faſciculus, in objectivam lentem incidens, per reliquos omnes transmittatur, conſequens eſt, ut, manentibus objecto & lentibus, & dato objecti puncto L, datus quidem radius ad nullum alium, quam ad datum poſitione oculum O, in axe pertingat, poſſit vero & alius oculus ut Ω ab eodem puncto L alium radium ex innumeris, quos in objectivam lentem emiſerat, accipere. Qualis autem hic radius ſit, definitur, cogitando, quod ex data diſtantia apparente OΠ pro oculo in O, detur, ope perpendiculi ΠΛ, punctum Λ, & adeo poſitio radii ΛO in hunc oculum pervenientis. Igitur, ſi ex formula *Coteſiana* quæratur diſtantia apparens ΩΠ pro oculo in Ω poſito, ducendo per π rectam axi perpendicularem, dabitur λ, & adeo λΩ radius in oculum Ω perveniens. Cum igitur radiorum ex L venientium, & per lentes omnes transmiſſorum, alius ſit λΩ, alius ΛO, conſequens eſt, ut radii, ex L venientes, in puncto *l* communi ipſarum λΩ, ΛO, interſectione imaginem ipſius L puncti forment, ſitque adeo demiſſum perpendiculum *lp* imago objecti, ſive ut afficiat objectum oculum per lentes ita, ut afficeret *lp* oculum nudum. Ut igitur reperiatur *p*, quo dato dabitur *pl* & *l* per interſectionem cum OΛ, inferatur $\Omega p : pl = \Omega\pi : \pi\lambda$ & $pl : pO = \Pi\Lambda : \Pi O$, unde ob $\Pi\Lambda = \pi\lambda$, eſt ordin. & ex æqu. $\Omega p : Op = \Omega\pi : O\Pi$ & $Op - \Omega p : O\Pi - \Omega\pi = \Omega p : \Omega\pi$,

Fig. 4.

ſeu

TAB. I. ad Nov. Act. Erud. A. 1749.

Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.





Fig. IV.



Digitized by Google

Digitized by Google

ſeu $O\Omega : O\Pi - O\pi = \Omega p : \Omega\pi$; unde ob reliqua omnia data datur Ωp.

Cor. 1. Quia locus alter oculi Ω non definitus eſt, ponatur is eſſe ſtatim poſt lentem ultimam A, ut ſit $\Omega\pi = A\pi$, & formula pro $A\pi$ habeatur ex formula pro $O\Pi$ ponendo ſaltem $OA = o$. Quo facto, manifeſtum eſt, eſſe $A\pi$ = columnæ ſecundæ valoris diſtantiæ apparentis, ut hanc columnam ſecundam definivi in *Art.* 7 ſolut. reliquæ enim duæ columnæ continent factoris loco diſtantiam oculi a lente ultima, quæ hic evaneſcit. Ita, ſi exempli loco adhibentur caſus 4 lentium, & diſtantiæ apparentis primus valor inter eos *Art. 6* ſolut. expreſſos, fiet

$$A\pi = AP - ADP : d + ACDP : cd - ABCDP : bcd$$
$$- ACP : c + ABDP : bd$$
$$- ABP : b + ABCP : bc$$

Cor. 2. Si radii parallele in oculum incidant, ſeu OA, $\Omega\lambda$ ſint parallelæ, ob $\lambda\Omega\pi = AO\Pi$ & $\lambda\pi = A\Pi$ erit $O\Pi = \Omega\pi$, vel $= A\pi$ in hypoth. præſ. Deſignando vero tres columnas, quas *Art.* 7 oſtendi valorem diſtantiæ apparentis componere, indicibus ſuis I, II, III, eſt $O\Pi = I + II + III$ & $A\pi = II$. Ergo $II = I + II + III$ vel $I = - III$. Præterea vero ex conſtructione harum columnar. *Art.* 7, patet, eſſe $III = - II$. $OA : a$, hoc eſt, tertiam columnam oriri ex ſecunda in $- OA : a$ ducta. Ergo $- III. a : OA = II = A\pi$, & hinc ob $- III = I$ eſt $I. a : OA = A\pi = O\Pi$. In exemplo eſt $O\Pi$, vel $A\pi$,

$$= a. \left\{ \begin{array}{lll} 1 - DP : d & + CDP : cd & - BCDP : bcd \\ - CP : c & + BDP : bd & \\ - BP : b & + BCP : bc & \end{array} \right\}$$

Cor. 3. Si ex formula pro pluribus lentibus ſtatim deduci debeat formula pro paucioribus, ponantur extremarum foci infiniti. Nam, poſito hoc, hoc eſt, poſito $pr\rho : (r + \rho)$ (vid. *Prop. I*) infinito, ſeu $r = - \rho$, ponitur lens talis, cujus ſuperficies poſterior refractionis a priore factæ effectum rurſus tollat, ut idem ſit, ac ſi radius nullam refractionem eſſet perpeſſus. Igitur ex formula pro IIII lentibus *Cor. 2*, fit pro tribus $A\pi = a. \left\{ \begin{array}{l} 1 - CP : c + BCP : bc \\ - BP : b \end{array} \right\}$ facto $d = \infty$ pro

pro duabus $A\pi = a.(1 - BP:b)$ facta $c = \infty$ pro una $A\pi = a$ facta $b = \infty$.

Cor. 4. Si P diſtet infinite, ut in teleſcopiis, ut haberi poſſint BP, CP, cet. omnes æquales ipſi OP, eſt in exemplo IIII lentium

$$A\pi = o\pi = a.\ OP.\ \left\{\begin{array}{l} -1:d + CD:cd - BCD:bcd \\ -1:c + BD:bd \\ -1:b + BC:bc \end{array}\right\}$$

$$\text{pro tribus} = a.\ OP.\ \left\{\begin{array}{l} -1:c + BC:bc \\ -1:b \end{array}\right\}$$

pro duabus $= a.$ OP. $- 1:b$, hincque pro poſito $b = \infty$ fit $a.$ OP. $- 1:\infty$, hoc vero non evaneſcit. Nam, ſi ex puncto P infinite diſtante radii parallele in lentem unicam incidentes parallele exire debeant, eſſe oportet focum lentis infinitum, adeoque $r = -\rho$, quo ipſo non tantum infinitus fit, ſed infinitum negativum, ob numeratorem ejus $pr\rho$, qui jam fit $-pr^2$. Ergo hoc caſu $a = -\infty$, unde $o\pi = -\infty$. OP. $- 1:\infty = +$ OP, ut decet. Utique enim per talem lentem in qua refractio a priore ſuperficie facta per poſteriorem rurſus deſtruitur, oculus objectum eo modo videt, quo nudus illud contemplaretur. Hæc vero diſtinctius explicare volui, ut pateat, quomodo attenta omnium conſideratione paradoxa quædam, veluti $o\pi = a.$ OP. $- 1:\infty$, evitentur, formularumque cum veritate univerſalis & exactiſſimus conſenſus perſpiciatur,

Cor. 5. Cum ex dictis detur diſtantia apparens, dabitur per ea, quæ ab initio ſcripti hujus monui, ratio magnitudinis veræ ad apparentem. Ita, cum in teleſcopio duarum lentium ſit $o\pi : OP = (a. - 1:b) : 1$ (*Cor.* 4), ſeu in ratione $-\frac{a}{b} : 1$, hoc eſt, $-a:b$, erit magnitudo vera ad apparentem in hujus rationis reciproca $-b:a$, adeoque ut focus lentis ocularis ad focum objectivæ. Everſe autem objectum ſpectabitur ob ſignum $-$ alterutri ipſorum b, vel a, præfigendum. Sed, ſi b ipſum ſit negativum, hoc eſt, lens ocularis cava, ut in tubo Batavo, tollitur ſignum $-$, & objectum ſpectatur erectum.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio III.

Objecti PL mediantibus quotcunque ſpeculis viſi, reperire diſtantiam apparentem.

Sol. Sint ſpeculorum Ct, Br, Ar, focales diſtantiæ, hoc eſt, quartæ diametrorum partes reſp. c, b, a, axis communis PBCA, excipiat vero radium ab objecti puncto L venientem oculus, ſi unica in ſpeculo Ct contingat reflexio, in H, ſi duæ in Ct, Br, contingant in I, ſi tres in Ct Br, Ar, fiant, in O poſitus. Occurrantque radii reflexi tHr rAr, rO, rectæ per L axi parallelæ in l, λ, Λ, erunt demiſſis lp, $\lambda\pi$, $\Lambda\Pi$ perpendiculis, Hp, $I\pi$, $O\Pi$, diſtantiæ apparentes pro oculis, in H, I, O, conſtitutis.

Patet vero, ut in ſpeculo primo Ct ab oculo in H poſito objectum erectum videatur, hoc eſt, punctum ſpeculi, a quo reflexus radius ad oculum pervenit, ad easdem axeos partes ſitum ſit, ad quas jacet L, unde venit radius, debere radium Lt, in ſpeculum incidentem, tendere ad F punctum poſt ſpeculum ſitum. Quodſi enim axi ante ſpeculum inter P & C occurreret, in ſpeculum demum poſt tranſitum cum axe ad partes puncto L. oppoſitas incideret. Eſt er. in *Coroll. Prop. I*, $D = CF$ $\varphi = CH$, $\lambda = c$, & $CH : CF = t - CH : c$. Jam $Ct : HC = lp : Hp$ & $CF : Ct = FP : PL$ unde ordin. & ex æqu. eſt $CF : HC = FP : Hp$ & $Hp = \frac{HC}{FC} . FP = \frac{HC}{FC} . (FC + CP) = HC + (t - HC : c) . CP = HC + CP - HCP : c$.

2) Excipiat jam alterum ſpeculum Br, radium a priori reflexus tr infra axem, adeoque everſam objecti imaginem oculo in l conſtituto ſiſtat. Eritque rurſus $I\pi : \pi\lambda = IB : Br$ & $pl : Hp = Br : BH$, unde $I\pi = \frac{IB}{HB} . Hp$ & ſimiliter ob $O\Pi : \Pi\Lambda = OA : Ar$ & $\pi\lambda : I\pi = Ar : IA$ eſt $O\Pi = \frac{OA}{IA} . I\pi$ lexque ea generalis jam obſervatur, quam in *Prop. II Art. 3.* de lentibus oſtendi.

F 3) Quia

Digitized by Google

3) Quia vero ex puncto H ante ſpeculum Br poſito radius in illud incidit, in theor. *Ditton. Prop. II.* $\varphi = \lambda D : (D - \lambda)$ eſt $D = BH$, $\varphi = IB$, $\lambda = b$, unde $BI = b. BH : (BH - b)$ & $IB : HB = (IB - b) : b$, ſeu $= IB : b - 1$. Separetur Hp in duas ſectiones, quarum prima omnes terminos factorem HB continentes complectatur; fient illæ

$$- HB + BC + CP$$
$$+ HB.\ CP : c - BCP : c$$

Cum ergo tota Hp duci debeat in $IB : HB$ (*Art. 2*), ducatur ſectio prima in fractionem hanc, hoc ipſo modo expreſſam, altera in $-1 + BI : b$ prodibit

$$I\pi = IB. \begin{matrix} -1 & -BC - CP + IB.\ (BC+CP) : b \\ + CP : c + BCP : c & - BCP : bc \end{matrix}$$

intellecto IB ducto in ſingulos terminos ad dextram ſibi immediate poſitos, tum eum, qui in eadem linea eſt, tum qui in inferiore. Hic autem primus ipſius $I\pi$ valor ita ſecundo modo exprimitur:

$$\begin{matrix} - IB & + (IB + BC).\ CP : c & - IBCP : bc \\ - BC & + IB.\ (BC + CP) : b & \\ - CP & & \end{matrix}$$

4) Ubi jam reperiri debet $O\pi$, ſeu $\frac{OA}{IA}$. $I\pi$ (*Art. 2*), ſeparetur $I\pi$ in duas ſectiones, quarum una factorem IA contineat, altera non, & ob $IB = AB - IA$ prodibit

$$IA. \begin{matrix} + 1 & - AB - BC - CP \\ - CP : c & + (AB + BC).\ CP : c \\ -(BC + CP) : b & + AB.\ (BC + CP) : b \\ + BCP : bc & - ABCP : bc \end{matrix}$$

Cumque rurſus I, unde incidunt radii in Ar, ſpeculum ante illud ſitum ſit, eſt $OA : IA = (-1 + OA : a)$ & ducta ipſius $I\pi$ ſectione prima in $OA : IA$ altera in $(-1 + OA : a)$ habetur

OA.

$$\begin{array}{lll}
OA.\,1 & +AB+BC+CP & +OA.-(AB+BC+CP):a \\
-CP:c & -(AB+BC).CP:c & +(AB+BC).CP:ac \\
-(BC+CP):b & -AB(BC+CP):b & +AB.(BC+CP):ab \\
+BCP:bc & +ABCP:bc & -ABCP:abc
\end{array}$$

ſive:

$$\begin{array}{lll}
OA & -(OA+AB+BC.)CP:c & +(OA+AP).BCP:bc \\
+AB & -(OA+AB).(BC+CP):b & +OA.(AB+BC).CP:ac \\
+BA & -OA.(AB+BC+CP):a & +OAB.(BC+CP):ab \\
+CP & & -OABCP:abc
\end{array}$$

5) Hæc quidem iis, quæ in lentibus facta ſunt, adeo ſimilia exiſtunt, ut pateat, totam fere, quæ de lentibus data eſt, demonſtrationem huc transſcribi poſſe. Nam, quod diſtantiæ inter duas quasque lentes, immediate ſe ſubſequentes, in directum ſemper progrediantur, adeoque diſtantia inter primam & ultimam lentem ſummæ diſtantiarum inter quamvis & ejus ſequentem ſit æqualis, id hic quidem aliter ſe habet, ubi diſtantiæ a quovis ſpeculo ad proxime ſequens, & ab hoc ad id, quod proxime poſt hoc ſequitur, alternatim verſus dextram & ſiniſtram cadunt, ſed hic diſtantiarum ſitus demonſtrationem non ingreditur. Unico tamen caſus lentium a ſpeculorum caſu differt, quod in lentibus ſemper poſuerim radium ad punctum poſt lentem poſitum tendere, in ſpeculis, id ſaltem de primo ſuppoſuerim, in reliqua ſpecula, radii a puncto ante ſpeculum poſito incidant. Unde fit v. g. in ſpeculis $OA : IA = (OA : a - 1)$ quod in lentibus erat $(1 - OA : a)$ *(Prop. II Art. 5)*.

Sit jam Ar ſpeculum non tertium, ſed indefinite m tum, & ad punctum Z locetur ſpeculum $m+1$ tum, foci z, quod radium ab Ar acceptum reflectat in oculum in V poſitum; ſitque δ diſtantia apparens oculo in O per m ſpecula, Δ vero diſtantia apparens oculo V ope ſpeculorum $m+1$, eritque $\Delta = \frac{VZ}{OZ}.\,\delta$ & $VZOZ = -1 + ZV : z$.

ſumto ergo termino ipſius δ generali OF. FH. H . . . . K. KM : $f. h \ldots k$, qui perinde ut in lentibus intelligitur, poſita ſaltem *ſpeculorum* voce in locum *lentium*, & notato, quod OF non ſit, ut in lentibus, unica linea verſus eandem plagam continuo protenſa, ſed ſumma rectarum alternatim verſus dextram & ſiniſtram cadentium; erit $OF = OA + AF$ intellecta rurſus per AF ſumma diſtantiarum inter ſpeculum A & ſibi proximum, interque hoc & quod illi proximum eſt, & ſic porro, donec ad F ſpeculum perveniatur; ſed $OA = ZA - OZ$ Er. $OF = - OZ + ZA + AF = - OZ + ZF$, & terminus generalis abit in generales duarum ipſius δ ſectionum

$$- OZ.\ FH.\ H \ldots K.\ KM : f.\ h \ldots k \ \&$$
$$- ZF.\ FH.\ H \ldots K.\ KM : f.\ h \ldots k$$

quorum primus ductus in VZ : OZ dat terminum generalem columnæ I ipſius Δ

$$- VZ \ldots FH.\ H \ldots K.\ KM : f.\ h \ldots k$$

alter ductus in $- 1 + ZV$: z dat terminos generales columnæ

ſecundæ $- ZF.\ FH.\ H \ldots K.\ KM : f.\ h \ldots k$
tertiæ $+ VZ.\ ZF.\ FH.\ H \ldots K.\ KM : z.\ f.\ h \ldots k$

ut colligendo term. generales col. I & II. ob $VZ + ZF = VF$, fiat generalis ipſius Δ terminus

$$- VF\ \ FH.\ H \ldots K\ \ KM : f.\ h \ldots k$$
$$+ VZ.\ ZF.\ FH.\ H \ldots K.\ KM : f.\ z.\ h \ldots k$$

ubi patet, id ſolum peculiare eſſe ſpeculis, ut partes ipſius Δ oppoſita ſigna habeant ſignis partium ipſius δ, eosdem focos in diviſoribus continentium. Nam ex OF. FH. H . . . K. KM : $f.\ h \ldots k$ fit $-$ VF. FH. H . . . K. KM : $f.\ h \ldots k$; unde in formulis expanſis levis quoad ſigna inter formulas pro lentibus & ſpeculis naſcitur differentia, ceteris omnibus iisdem manentibus.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTAZIONE SOPRE DUE ANTICHE tavolette di Avorio &c.

id eſt,

ANNIBALIS OLIVIERI DISSERTATIO ad Eminentiſſ. Cardinalem ANGELUM MARIAM QUIRINIUM, de Diptycho hujus eburneo.

Piſauri, ſine indicio anni & typographi, 4.

Plag. 5.

Eminentiſſimus Cardinalis *Quirinius* poſſidebat olim, deinceps autem Bibliothecæ Vaticanæ, cui ſumma cum laude præeſt, donavit, Diptychon eburneum, templi, columnarum, juvenis viri & fœminæ, aliarumque rerum, ſculptis imaginibus inſigne, de quo Rev. Abbatem *Olivierium* ante tempus aliquod ſententiam rogabat. Reſpondebat is, ſibi videri monumentum ævi *Antoniniani* eſſe. Eruditus vero Romæ religioſus, P. *Baldinius*, deinceps ad ætatem *Theodoſio* & *Arcadio* inferiorem, ad *Pauli II* tempora, cui donatum id olim fuit, deprimebat, triplici poriſſimum argumento uſus: primo, quod multa ſint in genere in architectura ibi ſculpta, quæ a boni & eruditi ſeculi guſtu abhorreant; ſecundo, quod in ſpecie columnæ ibi conſpiciantur ſpiraliter ſtriatæ, vel potius excavatæ, & tympanum, ſeu area, quam relinquunt arcus concurrentes, exhibeat concham; quorum neutrum obſervare liceat in antiquis operibus; tertio, quod Diptycha conſularia ante *Theodoſium* cognita & in uſu non fuerint. Convellere hæc argumenta, ſuamque opinionem aſſerere, ſtudet Clariſſ. *Olivierius* hac Epiſtola; & ad primum quidem obſervat, & exemplis demonſtrat, pictores, ſculptores, architectos omnes,etiam optimarum ætatum,tam non fuiſſe religioſos,quin contra artis ſuæ regulas peccarent, aut ab iis ſaltem diſcederent de conſilio. Ad ſecundum reſpondet Noſter, cum in aliis ſignis *Neptuni* Deorumque marinorum occurrant conchæ, neque hic male collocatam eam fuiſſe; præſertim cum *Veneris* tem-

templum hoc in Diptycho ſua ex opinione repræſentetur. Veteres tholis, ſeu tympanis, templorum addere ſymbola ſuæ deſtinationi congrua conſueviſſe. Sic in templo *Julii Cæſaris* ſtellam in numis conſpici, in templo *Jovis* fulmen. Uſum concharum in architectura tam recentem non eſſe, quam prima fronte videatur; quod ex allatis exemplis pateat. Exempla quoque columnarum ſpiraliter ſtriatarum ex optima ætate producit. Concedit tandem tantiſper, quaſi veritatem cognitam, Diptycha conſularia labentis imperii Romani tempore demum introducta fuiſſe. At, hoc Diptychon, de quo agitur, conſulare fuiſſe, negat. Ante Diptychorum conſularium uſum eboris frequentiſſimum fuiſſe non in ſculpturis tantum & picturis, & incruſtandis vaſis atque parietibus, ſed etiam in ſcriptis exarandis, unde pugillares eburnei. Talis pugillaris involucrum fuiſſe hoc Diptychon, judicat, quandoquidem cauſa non ſit dubitandi, quin talia involucra ſculpturis variis exornata fuerint. Periiſſe quidem ipſos pugillares, aut intus ſive in ebore, ſive in membranis, ſcripta; ſupereſſe tamen involucrum. De argumento intus ſcriptorum ſcita eſt Noſtri conjectura. Putat, hos pugillares continuiſſe epithalamium carmen in nuptias *M. Aurelii Antonini* & *Fauſtinæ*, quod ipſis Romanus aliquis nobilis gratulaturus exhibuerit; nuptias illas ſplendidiſſimas fuiſſe, numisque, tabulis, & ſcriptoribus vetuſtis, maxime celebratas; exacte convenire juvenum utriusque ſexus, qui ſculpti hic exhibentur, imaginem cum imaginibus *Antonini* & *Fauſtinæ*, quæ in numis & gemmis conſpiciuntur, ceteras omnes figuras Diptychi *Quiriniani* nuptias deſignare. Prima quidem tabula juvenem nudum, ſeu *Antoninum*, ſponſum notare; ſic etiam in aliis monumentis exhiberi ſponſos; ſtolatam vero fœminam, ſponſam, ſeu *Fauſtinam;* canem ante pedes ſtratum eſſe fidei conjugalis ſymbolum; *Cupidinem* aperte nuptias indicare, qui arcu armatus tædam adverſus *Fauſtinam* teneat; & fœminam flammeo nuptam, quæ amoris pleno timidoque vultu juvenem reſpiciat. Altera vero tabula, ex Noſtri mente, nuptias *Anchiſæ* & *Veneris* exhibet; quod quem in finem factum

ctum ſit, facile judicabit is, qui Romanorum inſanam erga ſuos Principes adulationem noverit. Occaſione injectæ memoriæ Diptychi *Gherardini*, ſuam quoque de illo tanquam in transcurſu exponit opinionem, eo ſcilicet non *Romuli*, ſed *Antonini Pii*, apotheoſin effingi, qui vivus adhuc *Romulo* aſſimilatus, & *Romulus conditor* dictus fuerit; fuiſſe forte Diptychon illud involucrum carminis, aut ſermonis, in laudes Divi Herois, ejus ſucceſſori & hæredi, *M. Aurelio*, ab autore oblati.

HADRIANI BEVERLANDI, ELEGANTIOris Sophiæ Magiſtri, Epiſtolæ XII, ad Viros ſui temporis clariſſimos conſcriptæ, huc usque anecdotæ; & prima nunc vice, ob raritatem materiæ, & elegantem dictionis modum, publici juris factæ.

Amſtelodami, 1747, 8.
Plag. 1.

Reperiuntur hic ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν duodecim famoſi alias in republica literata *Beverlandi* Epiſtolæ. Prima, eademque longiſſima, ſcripta eſt Richemundæ ad *Iſaacum Voſſium*, gratias agens ac laudans, nihil autem peculiare habens, niſi quod, *Grotii* pariter ac *Salmaſii* diſcipulum fuiſſe *Voſſium*, doceat; laudes tamen, quibus ille cumulatur, ſunt inſignes. Altera, ex deſerto ad *Jacobum Goyerum* miſſa, de morte *Voſſii*, quem avunculum vocat, nuntiat tegenda magis, quam aperienda, ni mentem prodere voluerit *Beverlandus*. Tertia, *vacua tonſoris in umbra*, ut ſubſcribitur, conſignata, *Baylio* purgat Autorem, invidos accuſat, & de Lexico *Baylii* fert judicium. Quarta *Friderico Spanhemio* multa nuntiat paucis; plures Autorem conſcriptiones ſuas laceraſſe, velle & ceteras, cinctum eſſe calumniantibus, meditari vocabulorum, a *Fabro* intermiſſorum, indicem, ut & indicem exquiſitiſſimorum librorum, numorum, imaginum, canone chronico exornare. Sequens *Ulricum Huberum*, Jureconſultum, *Beverlandum* tunc totum

tum fuiſſe in *Theophilo* Anteceſſore illuſtrando; Regem *Guilielmum* ipſi poteſtatem conceſſiſſe in patriam redeundi, & quidem petente id ipſum ſenatu Academico Lugdunenſi, certiorem facit. *Sexta* exigit a *Jacobo Gronovio* reſponſiones, ac deſiderium reditus deſignat. Eidem ſequens quædam philologica, Oxoniæ conſcripta, & publicanda ipſius ſub auſpiciis, affert; ſimulque litterarum elegantiorum ad Jurisprudentiam auxilia commendat. *Octava*, e villa *Gudleana* miſſa, *Nic. Heinſio* nonnihil nuntiat & conqueritur. *Nona* fratri *Joanni* ſignificat, quod Noſter ſibi gratuletur, tribunitiis ventis in Angliam actus. Tribunos nimirum plebis ſacrum ordinem nominat, ut *Cocceanorum* & *Voetianorum* tumultus βατραχομυομαχίαν. Gloriatur de hoſpitio *Voſſii*, quodque in cellâ rupe Vindeſoriæ habitet. Decima *J. G. Grævio Voſſii* mortem refert, continuis lucubrationibus confecti, tantisque in extremo conflictu viribus pollentis, ut tres illum ſtrenui viri vix continere potuerint. Penultima, Londino A. 1685 miſſa, *Harduini* accuſat in *Plinium* labores, atque alia memorat, apud *Jac. Gogeyum*. Ultima, Londino A. 1689 miſſa, *Gerhardum Voſſium* de *Iſaaci* obitu, ridiculo magis, an impio, modo, neſcimus, facit certiorem, nihilque ipſum præter Bibliothecam reliquiſſe, memorat. Sub finem leguntur literæ *J. C. F. B.* quæ num editorem indicent, nec ne, quisque ille ſit, aliis hariolandum relinquimus: id ſaltem addentes, unam atque alteram Epiſtolam ſine impietate erga *Beverlandi* manes omitti potuiſſe; neque magna nos aliarum hujus commatis legendarum cupiditate teneri.

Cum hoc *Menſe* exit prelo noſtro *Tomi ſexti Supplementorum* ad hæc *Nova Acta Sectio duodecima*, quam proxime *Voluminis ſeptimi prima* ſequetur.

Rogatur benevolus Lector, calami & memoriæ ſphalma, quod præter opinionem *pag. 17 lin. 12* ſubrepſit, ita emendet, ut pro *Oxus* legat *Jaxartes*, & pro سيحان, سيحون.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXLIX.

ATLAS RUSSICUS, MAPPA UNA GENERali, & undeviginti ſpecialibus, vaſtiſſimum Imperium Ruſſicum cum adjacentibus regionibus exhibens. Cura & opera Academiæ Imperialis Scientiarum Petropolitanæ.

Petropoli, typis Academiæ Imperialis Scientiarum, 1745, in forma Atlantica.

Quo defectu huc uſque laboraverit Geographia, in cognitione regionum boreo-orientalium, e. g. Ruſſiæ & Sibiriæ, & ſcientiæ hujus æſtimatores ſatis compertum habuerunt, & ii, qui novo ſtudio defectum iſtum ſupplere anniſi ſunt, exemplis ſuis docuerunt. Quid autem hoc mirum? Geographiæ enim ea eſt indoles, ut, niſi publicis curis & ſumtibus fulciatur, perfectum quid admittere non videatur, præſertim de regionibus, quæ prima quaſi vice limam mathematico-geographicam experiuntur. Immortalis ergo gloria *Petri Magni*, Ruſſorum Imperatoris, quam omnes uno ore gentes prædicant, in emolumentum etiam Geographiæ plene redundat, ſi curæ ſpectentur, quas glorioſiſſimus Monarcha, vaſtiſſimum ſuum Imperium geographice indagando, primus impendit, publicis adeo ſpeciminibus, juſſu ejus vulgatis, comprobatæ. Quæ *Petrus* ſic feliciter inceperat, a Succeſſoribus Ejus Auguſtiſſimis, maximis impenſis felicique ſucceſſu

Digitized by Google

ceſſu ſunt continuata. Miſſi ſunt Geodetæ, qui diſtrictuum & territoriorum delineationes geographicas confecerunt. Aſtronomi miſſi ſunt, qui, inſtrumentis neceſſariis inſtructi, exactiſſimas non ſolum operationes geometricas ſuſceperunt, verum etiam cœlum de ſitu locorum præcipuorum geographico egregie conſuluerunt, ut locorum prorſus ante incognitorum longitudines & latitudines certiori ſæpe modo definitæ fuerint, quam iſtas de variis cultiorum Europæ regionum locis, in quibus Aſtronomia exercetur, cognitas habemus. Miſſi ſunt rei navalis periti, qui ex præceptis ſcientiæ nauticæ fluviorum decurſus, oſtia, & maris incogniti littora, indagarunt. Nec defuerunt belli duces, qui tum operationibus geometricis, tum percunctationibus, finium tractus marisque littora exacte deſcripſerunt, & incognitas fere regiones magis cognitas reddiderunt. Egregiis ejusmodi ſubſidiis inſtructa Academia Scientiarum Imperialis, opus arduum, clementiſſime ſibi demandatum, tandem aggreſſa eſt, vaſtiſſimum nempe Imperium Ruſſicum Tabulis geographicis deſcribere, quod feliciſſimis auſpiciis indulgentiſſimæ Imperatricis *Eliſabethæ*, Filiæ *Petri Magni*, inſtituti autoris, digniſſimæ, ad finem exoptatum perductum, benevoli lectoris oculis ſubjicitur. Elegantiſſimum opus, cujus adſpectus primus plus inſtituit, quam plura verba efficere valent, brevibus recenſere ſufficiet. Viginti Mapparum compagem præcedit Præfatio, ſermone Latino & Gallico conſcripta, quæ iſtarum conſtructionem, orthographiam, terminosque, in illis uſurpatos, exponit. Atlas ſcilicet, characteribus Ruſſicis ante excuſus, in uſum exterorum ita nunc inſtructus eſt, ut voces Ruſſicas per literas Latinas exhibeat expreſſas, more Polonorum pronuntiandas; quem in finem & alphabetum utriusque linguæ adjicitur, & pronuntiatio docetur. Diſtributio politica regionum, diſtrictuum, &c. vocibus Ruſſicis inſignita eſt; quamobrem Catalogus ejusmodi vocum & explicatio ſubjungitur, adſcriptis nonnullarum characteribus in Mapparum explanationem. De Mappa quavis fundamentum conſtructionis, & ſubſidia, in elaboratione adhibita, indicantur. Sunt autem Mapparum ſequen-

quentes Rubricæ; Mappa generalis totius Imperii Ruſſici: 1) Lapponia Ruſſica cum adjacentibus regionibus; 2) Territorium Archangelopolin inter, Petroburgum, & Vologdam; 3) Ducatuum Eſtoniæ & Livoniæ tabula; 4) Moſcoviæ Gubernium cum adjacentibus regionibus; 5) Gubernium Smolenſcenſe cum partibus Kiovienſis, Belgorodenſis, Veronicenſis Gubernii; 6) Territorium Meſenenſe & Puſtoſerenſe; 7) Tataria minor cum adjacentibus Kiovienſi & Belgorodenſi Guberniis; 8) Tabula Provinciarum Uſtingæ & Chlynovi; 9) Caſaniæ regnum cum parte fluvii Volgæ; 10) Delineatio fluvii Volgæ a Samara usque ad Tſaricin; 11) Territorium Pontum Euxinum & Mare Caſpium interjacens, cum Cubana, Georgia, & reliqua fluvii Volgæ parte; 12) Pars Siberiæ inter Salinas ad Camam & Tobolium; 13) Uffenſis Provincia; 14) Partes fluviorum Petſchoræ, Obii, & Jeniſeæ, cum eorum oſtiis; 15) Partes fluviorum Irtiſch, Tobol, Jeniſeæ, & Tunguſæ, cum ipſorum fontibus; 16) Pars maris glacialis, oſtiumque fluvii Lenæ cum territorio ſeptentrionali Jakutenſi; 17) Irkutenſis Vice-Præfectura cum adjacentibus; 18) Territorii Jakutenſis Pars orientalis, cum maxima parte Terræ Kamſchatkæ; 19) Oſtium fluvii Amur cum parte auſtraliori Kamſchatkæ, variisque Inſulis in Oceano ſitis.

HISTOIRE GENERALE D'ALLEMAGNE &c.

hoc eſt,

HISTORIA GENERALIS GERMANIÆ, conſcripta a JOSEPHO BARRIO, Canonico regulari S. Genovevæ, & Cancellario, Academiæ Pariſienſis.

Tomus V & VI.

Pariſiis, apud Carolum J. B. Delespine, & Joannem Thomam Heriſſant, 1748, 4 maj.

Tom. V Alph. 4 plag. 7, Tom. VI Alph. 4 plag. 16.

Fridericus Barbaroſſa, ex Hohenſtauffenſi domo oriundus,
quo meliorem Cæſarem imperium Romanum vix habuit,
ſub initium hujus *Tomi* in ſcenam producitur. Cumque
Rev. Autoris candor, & erga Principes de republica egregie
promeritos pietas, jam alio tempore a nobis laudata ſit; non
poſſumus non & hac vice profiteri, eum de excelſis *Friderici*
virtutibus nihil omnino reticuiſſe, debitisque eas præconiis ex-
tuliſſe. Quantopere amicitiam Pontificis ambiverit *Frideri-*
Pag. 4. *cus*, Rev. Autor exponit. Jura circa ſacra eum ſtrenue exer-
cuiſſe, declarat; *Suenonem*, Daniæ Regem, repudiato *Canuto*, ab
Imperatore fuiſſe conſtitutum, eumque jurejurando præſtito
9. fidelitatem Cæſari promiſiſſe, docet. *Fridericum* duabus
10. vicibus in Germania fuiſſe inauguratum, narrat. Auſtriam
ſub hoc Imperatore Ducalem dignitatem obtinuiſſe, & a Bavaria
primum ſeparatam eſſe, monet. Expeditionem Imperatoris
in Italiam, ſimulque comitia, in campis Roncaliis habita, &
regimen, eo tempore apud Longobardos introductum, ample
18. deſcribit. Quomodo Rex Longobardorum inauguratus fue-
rit Cæſar, commemorat. Turbas, a civibus Romanis adver-
ſus *Fridericum*, Romam introiturum, commotas, brevi tamen
ſopitas, deſcribit, de inauguratione ipſa Imperiali verba ſimul
31. faciens. In Germaniam Imperator redux, Archiepiſcopum
Moguntiæ, *Arnoldum*, & *Hermannum*, Comitem Palatinum,
turbarum, quæ in tractu Moguntino exſtiterant, autores, ad
35. canes portandos condemnavit. Nuptias Imperatoris, cum
Beatrice, Renaldi III, Comitis Burgundici, filia, celebratas, Au-
37. tor deſcribit. Quomodo Polonos, tributum, imperio debitum,
48. ſolvere recuſantes, compeſcuerit Imperator; &, qua ra-
tione autoritatem ſuam contra Pontificem, cujus legati in comi-
tiis Veſontinis jactitabant, Imperatorem beneficio Pontificis
coronam Imperialem obtinuiſſe, vindicaverit, nos do-
52. cet. *Vladiſlaum*, Bohemiæ Ducem, Regem ab Imperatore
fuiſſe creatum, narrat, quamvis ille non primus Rex Bohemiæ
dicendus ſit. Plurimos enim jam ante eum hac dignitate
eminuiſſe, Rev. Autor obſervat, non tamen ante *Ottocarum I*
nomen Regium ad hæredes tranſiiſſe, ſed cum perſona ſem-

per

per exſtinctum eſſe, ſimul contendit. Italiam rurſus petens Pag. 61.
Imperator, legatos quosdam prius eo miſit, qui *Friderici* nomine a variis Longobardiæ civitatibus ſacramentum fidelitatis receperunt. Quantopere Pontificem in obſequio conti- 65.
nuerit Imperator, nos docet. *Waldemaro I* regnum Daniæ 68.
ſub fidelitatis feudalis lege eundem conceſſiſſe, narrat; ejusque adeo Principis potentiam tunc fuiſſe tantam, ut illi vix ullus anteceſſorum æqualis dicendus ſit, Rev. Autor ex vero judicat. Regulas, militibus a Cæſare præſcriptas, idem appo- 69.
nit, expeditionem ejus contra Mediolanum, cujus cives inde a longo tempore juſtam Cæſaris iram adverſus ſe concitaverant, ample deſcribit, &, quomodo illa urbs ſe dediderit, exponit. De comitiis, quæ poſtea in campis Roncaliis habuit Impera- 77.
tor, diſputat, eos campos juxta Placentiam & Cremonam eſſe 81.
ſitos, obſervans, &, quomodo cauſas obvenientes conſilio quatuor JCtorum Bononienſium Cæſar diſcuſſerit, & jura regalia 85.
ſibi vindicaverit, commemorans. Conſtitutiones etiam, in favorem ſtudioſorum Juris, Bononiam petentium, ibi factas, nec non conſtitutiones ejus feudales, affert. Summa interim au- 87.
toritas, qua Imperator in Italia pollebat, bilem movit Pontifici, indeque graves controverſiæ inter ſacerdotium & imperium exortæ ſunt, quas Rev. Autor more ſuo accurate & eleganter perſequitur. Quomodo Mediolanenſes, denuo rebelles, 98.
& vitæ ejus inſidias ſtruentes, *Fridericus* caſtigaverit, & Cremonam urbem devaſtaverit, nos docet; qua occaſione ſimul 105.
machinas bellicas, tunc temporis uſitatas, deſcribit. Schiſma, quod Romæ exſtitit, cum a diverſis partibus duo Pontifices ſimul eligerentur, a Cæſare eſt compoſitum, qui, in Concilio, Ticini, propria autoritate coacto, *Victorem III*, repudiato *Alexandro III*, Pontificem legitimum declaravit. Mediola- 125.
nenſes autem, continuo adverſus Imperatorem arma moventes, ultimum tandem exitium incurrerunt, cum eorum metropolis, Mediolanum, penitus deſtrueretur, areæ, cui inædificata quondam fuerat, aratrum induceretur, & ſale inſuper ſparſo contegeretur. Fabulam de corporibus trium Regum, Mediolani ſepultis, & tunc Coloniam deportatis, Rev. Autor exagitat,

Digitized by Google

Pag. 133. agitat, & ſalſe ridet. Rempublicam Genuenſem *Friderici* do-
minium agnoviſſe, & variis privilegiis ab eo ornatam eſſe,
134. monet. Erfurtum, Thuringiæ metropolin, eo tempore mu-
ris fuiſſe cinctam, narrat. Eam urbem *Ottonem I* Archie-
piſcopo Moguntino donaſſe, nos docet. *Wilhelmus* itidem,
Moguntiæ Archiepiſcopus, *Ottonis I* filius, univerſam obtinuit
Thuringiam, quæ tamen poſtea ab illa ſede divulſa, per ma-
trimonium ad Marchionatum Miſniæ pervenit, quamvis Er-
157. furtum adhuc hodie poſſideant Moguntini. De ſocietatis
Hanſeaticæ legibus Rev. Autor fuſe diſputat, cum iſtius ſocie-
161. tatis origines a multis ad hæc tempora referantur. Quid
cum *Henrico Leone*, Saxonum Duce, acciderit, accurate enarrat,
177. ejusque Principis potentiam deſcribit. Seditionem variarum
Italiæ urbium, cui ſeveritas miniſtrorum Imperatoris, tributa
acrius urgentium, occaſionem dedit, & cui Romani etiam
185. acceſſerunt, operoſe enarrat. Alexandriam, Mediolanenſis
tractus urbem, a Longobardis fuiſſe ædificatam, & in hono-
rem Pontificis *Alexandri* hoc nomine inſignitam, commemo-
200. rat. Epiſcopi Germaniæ tunc temporis non ordinibus ſacris
initiabantur, reditibus, quos ex Præſulatu capiebant, unice in-
hiantes, ut hac ratione eo liberius caſtra ſequi, & exercitum
contra hoſtes educere, poſſent. Hunc vero abuſum graviter
redarguiſſe, & prorſus aboluiſſe, *Fridericum I*, Rev. Autor mo-
net. Epiſcopis Herbipolitanis jurisdictionem civilem in
Ducatu Franconico, & dignitatem Ducalem, tribuiſſe *Frideri-*
cum, idem obſervat, & *Syntagma Juris publici*, omiſſo tamen
205. Autoris nomine, citat. Sed Ill. *Struvii* opus intelligit, qui
quidem eam rem multo plenius pertractavit. Imperatoris
filium, Regem Germaniæ vivo Cæſare electum eſſe, refert.
210. Bellum, inter Danos & Vandalos geſtum, operoſe deſcribit.
212. De expeditione cruciata contra *Noradinum* & *Saladinum*,
215. Orientis Principes, ab *Henrico Leone* inſtituta, diſputat. Res
geſtas Imperatoris contra quasdam Italiæ civitates, ab
Imperatore Orientis & Pontifice ad ſeditionem ſollicitatas,
221. deſcribit, *Henrici Leonis* perfidiam ac ſuperbiam, *Friderici*
241. cœptis valde nocivam, vituperans. Pacem denique, inter Cæ-
ſarem

ſarem ac Pontificem A. 1177 Venetiis concluſam, affert. *Hen-* Pag. 263.
ricus Leo a quibusdam Imperii ordinibus coram Imperatore
accuſatus eſt, cumque, in comitiis, quæ illi diem dixerant, non
comparuiſſet, terris ejusdem ab Epiſcopo Halberſtadienſi ſa-
cris interdictum eſt, vicini Principes bello eum petiverunt,
tandemque *Henricus* bonis ſuis ſpoliatus eſt, quæ aliis Prin-
cipibus conceſſit Imperator. Hac occaſione domum *Wittels-* 289.
pacenſem Bavariam obtinuiſſe, Autor nos docet. Solum in- 292.
terim Bavariæ Ducatum, excluſis terris, ad Bavariam olim per-
tinentibus, ad Wittelspacenſes perveniſſe, monet. Mona-
chium, Bavariæ hodiernam metropolin, ab *Henrico Leone* jux-
ta cœnobium aliquod exſtructam fuiſſe, & a vicinia illa no-
men tuliſſe, commemorat. Poſt mortem *Alexandri III* Ponti-
ficis, *Lucium III* in ejus locum fuiſſe ſurrogatum, & ab eo
tempore ſolos *Cardinales*, uti vulgo vocantur, jus eligendi
Pontificis ſibi vindicaſſe, docet. Ratisbonam ab Impe- 307.
ratore jus civitatis imperii liberæ accepiſſe, commemorat. De 319.
pace, inter *Fridericum* & urbes Italicas Conſtantiæ concluſa,
egregie & accurate diſſerit. Urbs Mediolanenſis, Alexandria, 326.
ſub illa pace non comprehenſa, tandem in comitiis No-
rimbergenſibus, A. 1183 habitis, in gratiam Imperatoris rediit.
In comitiis Moguntinis Imperatorem filios ſuos equites creaſ- 331.
ſe, Rev. Autor narrat, hac occaſione ritum creandi equi-
tes eleganter depingens. In Italiam poſtea *Fridericus* conce- 332.
dens, filium, *Henricum*, a Pontifice Imperatorem inaugurari
poſtulavit. Cum autem hiſce deſideriis annuere Pontifex re-
cuſaret, Rex Italiæ tamen Mediolani coronatus eſt Imperato-
ris filius, qui & poſtea cum *Conſtantia*, regnorum utri- 339.
usque Siciliæ hærede, matrimonio conjunctus eſt, quod ma-
trimonium, Pontificem, qui, regna Siciliæ ad Imperialem do-
mum hoc pacto ventura eſſe, non ſine indignatione prævi-
debat, admodum perturbavit. Pomerania, quæ hactenus feu-
dum imperii fuerat, ſub Duce *Bogislao*, poſt cruentum bel-
lum, cum Danis geſtum, illi regno ſubjecta eſt, ita, ut Dux
Bogislaus, tanquam Regis Daniæ vaſallus, jusjurandum fidelita-
tis eidem præſtare teneretur. Iniquiſſimo autem animo hoc 366.
ferens

Digitized by Google

ferens Imperator, *Chriſtinam*, Daniæ Principem, *Friderico*, Cæſaris filio natu minori, nupturam, domum redire coegit.
Pag. 368. Cum graves contentiones inter *Belam III*, Hungariæ Regem, ejusque fratrem, *Emericum*, circa poſſeſſionem iſtius regni agitarentur; Dux Bohemiæ *Sobieslaus*, ad quem *Emericus* confugerat, eundem captivum Regi Hungariæ tradidit. Quæ res cum juribus Imperatoris contraria videretur; Cæſar ideo Ducem Bohemiæ terris ſuis ſpoliavit, easque *Friderico*, *Uladislai* Du-
370. cis filio, ſub fidelitatis lege conceſſit. Cruentum ideo bellum *Fridericum* inter & *Sobieslaum* exſtitit, cujus hiſtoriam Rev.
372. Autor ample exponit. Novus vero Bohemiæ Dux, ad comitia Ratisbonæ celebranda profectus, a civibus ſuis eſt depoſitus, *Conrado*, Marchione Moraviæ, in ejus locum ſurrogato, quamvis *Fridericus* Imperiali autoritati mox reſtitueretur.
388. *Urbanus III* Pontifex, ſummo contra Imperatorem odio accenſus, & vehementer in eundem injurius, novis diſſidiis in-
379. ter ſacerdotium & imperium occaſionem præbuit. Poſt mortem *Balduini IV*, Hieroſolymorum Regis, inteſtinæ turbæ, circa ſucceſſionem in illo regno exortæ, fecerunt, ut iſta urbs
389. a Turcis iterum ſubjugaretur. Nova inde expeditio cruciata in Palæſtinam ſuſcepta eſt, cum prius Imperator cum curia Romana in gratiam rediiſſet, cujus quidem
391. belli hiſtoriam Rev. Autor pertexit, ibique *Fridericum Barbaroſſam*, poſt edita fortitudinis prorſus ſingularia ſpecimina, ubi in flumine Cydno ſe laverat, frigore aquarum adeo fuiſſe conſumtum, narrat, ut vitam cum morte brevi poſt commutaret, & hac ratione eandem fere cum *Alexandro*
414. *Magno* ſortem experiretur. Libros feudorum confirmaſſe illum Principem, contendit, quos tamen ab *Oberto ab Horto*
415. compilatos fuiſſe, audacter nimis aſſeverat. Familiæ *Friderici I*
417. notitiam ſuppeditat. Reditum exercitus Chriſtiani e Palæſtina deſcribit, *Fridericum*, defuncti Cæſaris filium, qui tamen haud ita multo poſt debitum naturæ ſolvit, copiis tunc præfuiſſe, monens. Gedanum urbem circa ea tempora fuiſſe a Ducibus Pomeraniæ ædificatam, ut inſultus Danorum hoc pa-
424. cto in illis regionibus cohiberentur, contendit. *Henricus IV*, vivo

vivo adhuc & in Palæſtina conſtituto, *Friderico* patre, imperii habenas tenens, graviſſimas cum *Henrico Leone* lites agitavit, quas Rev. Autor deſcribit. Mortuo *Wilhelmo*, Rege Siciliæ, Pag. 426.
regnum iſtud, una cum Neapoli, propter matrimonium, cum *Conſtantia*, iſtorum regnorum hærede, initum, ab *Henrico IV* fuiſſet occupandum. Nihilo ſecius tamen *Tancredus* quidam, ab ordinibus Siculis, in fraudem Imperatoris, Rex renuntiatus eſt. *Henricus* adeo, in Italiam profectus, ſocietate cum Genuenſibus inita, qui claſſem ei ſubminiſtrarunt, cum prius Romæ a Papa coronatus eſſet, Siciliam armis petiit. Admodum infeliciter autem illa expeditio Imperatori ceſſit, ipſa ejusdem conjuge, *Conſtantia*, in captivitatem ab hoſtibus reducta, &, intercedente Papa *Cœleſtino III*, vix demum liberata. Turbas dein, per Germaniam excitatas, ſucceſſus ex- 435.
peditionis cruciatæ in Palæſtina, nec non mortem *Henrici Leonis*, Rev. Autor deſcribit. Felicioribus poſtmodum auſpi- 465.
ciis Siciliam petens Imperator, mortuo *Tancredo*, Neapolin occupavit, Panormum, Siciliæ metropolin, cepit, & hoc pacto regnum utriusque Siciliæ domui Hohenſtauffenſi aſſeruit. Circa ea tempora *Fridericum II* natum eſſe, Rev. Autor notat, *Henricum VI*, omnes in Occidente Reges ſibi ſubjectos eſ- 472.
ſe varie crediſiſſe, monens. Novam ejus expeditionem in Pa- 475.
læſtinam, & ſeditiones Neapolitanorum, ab eo ſedatas, Rev. Autor deſcribit. Eundem irrito conatu imperium familiæ ſuæ, immo & fœminis inde deſcendentibus, vindicare voluiſſe, nos docet. Conjugem Imperatoris, *Conſtantiam*, Siculos ad 481.
conſpirationem contra eum ſollicitaſſe, narrat. Mortem de- 496.
nique *Henrici*, ejusque characterem, deſcribit, arrogantiam & crudelitatem ejus valde vituperans. Burggrafiatum Norim- 498.
bergenſem ſub ejus imperio fundatum eſſe, notat. Turbas, quæ poſt mortem *Henrici* propter ſucceſſionem in imperio exortæ ſunt, accurate delineat. *Ottonem IV*, *Henrici Leo-* 502.
nis filium, Regem Germaniæ electum, & Aquisgrani inauguratum fuiſſe, narrat. *Philippus*, defuncti Imperatoris frater, 504.
a Rege Franciæ adjutus, mox imperium ad ſe rapere tentavit, resque adeo proſpere geſſit, ut Moguntiæ Rex inauguraretur.

 Quid

Digitized by Google

Pag. 509. Quid in Sicilia tunc temporis geſtum fuerit, Rev. Autor hic
ſimul proponit. *Fridericus II*, conſentiente Papa, Rex ibi in-
auguratus eſt, ea tamen lege, ut dominium eminens curiæ
Romanæ in illas terras agnoſceret, annuumque tributum in
ejus recognitionem ſolveret. Juri etiam illi, quod vulgo
Monarchia Siciliæ audit, vi cujus per privilegium *Urbani II*,
Rogerio conceſſum, Reges iſti omnia jura exercent, quæ alias
517. Legatis Papalibus competunt, renuntiandum fuit. Quod ad
Germanicas turbas attinet, Pontifex ab *Ottonis IV* partibus
ſtetit, literisque ad varios Germaniæ ordines datis, eos ad obe-
519. dientiam erga illum Principem hortatus eſt. Ad novam quo-
que expeditionem contra Turcos, & ad Palæſtinam ipſis eripien-
dam, ideo dubio procul Chriſtianos Principes excitavit, ut hoc
pacto Regis Franciæ vires, quem domui Hohenſtauffenſi, in-
primisque *Philippo* Regi, favere intelligebat, frangeret. Quid
Germani, inprimisque *Philippus*, in Oriente tunc geſſerint,
525. Rev. Autor exponit. De *Adolphi*, Comitis Holſati, bello, cum
Danis propter Dithmarſorum terras geſto, & ipſi valde lu-
529. ctuoſo, diſputat. Multas hac occaſione urbes, ad imperium
huc uſque pertinentes, dominio ſuo unice ſubjecit Rex Daniæ.
Philippi interim potentia per Germaniam in dies major eva-
ſit, cum plurimi ordines ex ejusdem partibus ſtarent. Ite-
rata is vice Aquisgrani Rex Germaniæ electus, & ab Archie-
545. piſcopo Colonienſi inauguratus eſt, quamvis Pontifex *Inno-
centius III*, ſummo adverſus domum Hohenſtauffenſem odio
incenſus, eam rem ægerrime ferret, & Archiepiſcopum Co-
547. lonienſem excommunicationis fulmine ideo percelleret. *Wal-
demarus II*, Rex Daniæ, occaſione, quam ipſi turbæ per Ger-
550. maniam ſuppeditabant, uſurus, Lauenburgum quoque regno
ſuo adjecit. Ordinem *Enſiferorum* in Livonia A. 1204 funda-
tum eſſe, ideo, ut novos Chriſtianos adverſus infideles iſtius
554. tractus defenderet, Rev. Autor obſervat. *Otto IV* interim a
Philippo adeo in anguſtias redactus eſt, ut ad Regem Angliæ,
cum quo cognationis vinculo jungebatur, ipſi confugiendum
561. eſſet. *Philippus* paulo poſt cum Pontifice in gratiam rediit, cum-
567. que nihil amplius ab *Ottone* ſibi metuendum eſſe judicaret, in-
gentem

gentem exercitum adverſus Regem Daniæ, qui, univerſam Holſatiam, ab imperio injuſte detractam, ſibi ſubjecerat, conſcripſit. Inter hos autem belli apparatus, *Philippus*, a Comite Pag. 561.
Palatino, *Ottone* Wittelſpacenſi trucidatus eſt, cujus deteſtandæ cædis hiſtoriam, & rationes, quæ Comitem illum ad tam horrendum facinus impulerunt, Rev. Autor ſuccincte deſcribit. *Ottonem IV* dein Halberſtadii, Imperatorem fuiſſe electum, docet. Eundem, *Beatricem*, *Philippi* trucidati filiam, matrimonio ſibi junxiſſe, narrat. Occiſores *Philippi* 571.
ex imperio idem proſcripſit. Coronationem *Ottonis* Longobardicam, & Romanam, Rev. Autor deſcribit. Quales contentiones cum curia Romana poſtmodum agitaverit Imperator, & quantæ ſeditiones ideo contra eum motæ fuerint, admodum fuſe narrat. *Fridericus II*, utriusque Siciliæ Rex, 578.
tunc a quibusdam imperii ordinibus in fraudem *Ottonis* Cæſar electus, ipſemet in Germaniam pervenit, plurimi ordines ejus agnoverunt imperium, & Aquisgrani, diademate Imperiali, ipſum, miniſterio Archiepiſcopi Moguntini, decorarunt. De 597.
bello, quod *Otto IV* contra Regem Franciæ geſſit, qui a partibus *Friderici II* ſtabat, diſputat. Admodum infeliciter vero illud bellum *Ottoni* ceſſit, & *Friderici II* potentia tunc indies adaucta eſt. Principem Arauſicanum, *Wilhelmum V*, re- 613.
gnum Arelatenſe a *Friderico* in feudum accepiſſe, Rev. Autor docet. Societatem *Friderici*, cum Rege Daniæ *Waldemaro* initam, vi cujus, omnes terræ, a Danis occupatæ, quæ olim ad imperium pertinuerant, illi regno in perpetuum conceſſæ ſunt, deſcribit. *Fridericum II* A. 1215 ite- 618.
rata vice per Archiepiſcopum Moguntinum Aquisgrani fuiſſe inauguratum, idem obſervat. Pontificem *Innocentium III* 624.
Friderici electionem approbaſſe, narrat. Expeditionem cru- 625.
ciatam autoritate Pontificis denuo fuiſſe tentatam, commemorat, ejusque ſucceſſum deſcribit. Quamplurimæ urbes in Italia 627.
ab *Ottonis IV* partibus adhuc ſtabant, quantumvis Pontifex ægre eam rem ferret. Mortuo tandem *Ottone*, *Fridericus II* ab *Henrico*, Comite Palatino, defuncti *Ottonis* fratre, ornamenta Imperialia, quæ *Otto* apud ſe detinuerat, accepit, im-

Digitized by Google

perii ordines fidelitatem jurejurando interpoſito eidem promiſerunt, & Imperator viciſſim plurima illis conceſſit privi-
Pag. 642. legia. Italiæ urbes per *Conradum*, *Friderici* Cancellarium,
648. in partes itidem Imperatoris tractæ ſunt. Coronationem Cæſaris Imperialem, Romæ peractam, Autor deſcribit, eum tunc Pontifici de expeditione contra Turcos inſtituenda fidem fe-
651. ciſſe, ſimul narrans. De ipſa illa expeditione cruciata poſtmodum diſputat, ipſum tamen Imperatorem exercitum non eduxiſſe, ſed Duci Bavariæ vices ſuas demandaſſe, commemorat.
653. Quomodo Saracenos in Sicilia compeſcuerit *Fridericus*, exponit. *Henricum*, Imperatoris filium, Aquisgrani fuiſſe coro-
654. natum, narrat. Qua ratione Lubeca urbs Imperii libera evaſerit, docet. Origines *ſancti officii*, ſeu inquiſitionis contra
671. hæreticos, ex Conſtitutionibus *Friderici II* repetit. De ſedi-
676. tione, a Mediolanenſibus aliisque Italiæ civitatibus contra Imperatorem mota, diſputat. Academiam Bononienſem Neapo-
683. lin transferre Cæſarem tentaſſe, docet. Cum ipſemet *Fridericus* exercitum in Orientem contra Turcos ducere vellet, Brunduſii, Orientem petiturus, navem conſcendit, mox tamen, morbo periculi pleniſſimo correptus, reverti coactus eſt. Pontifex autem, ægerrime reditum *Friderici* ferens, eo processit audaciæ, ut eundem excommunicaret, unde graves turbæ inter ſacerdotium & imperium excitatæ ſunt, quas
694. Rev. Autor accurate exponit. Fracta tandem Cæſaris patientia, ipſemet in Palæſtinam profectus eſt, teſtamento prius
699. apud ordines regni Neapolitani depoſito. Seditiones tamen, Pontificis artibus in Italia excitatæ, mox *Friderici* cœpta turbarunt, qui, initis cum duce Turcorum, *Meledino*, induciis,
708. Italiam ideo repetiit. Eodem tempore graviſſimum bellum propter ſucceſſionem in bona *Friderici*, Comitis Altenavienſis, extitit, cujus pariter, ac turbarum Italicarum, hiſtoriam
710. Rev. Autor enarrat. Quomodo pax inter Imperatorem &
719. Pontificem poſtea fuerit reſtituta, nos docet. De rebellione,
725. quam *Henricus*, Cæſaris filius, contra patrem excitavit, diſputat, eum Principem poſtea, a Cæſare captum, dignitate Regis Romani orbatum, & ad perpetuos carceres condemnatum fuiſſe,

fuiſſe, narrans. Brunſuicum & Luneburgum, ex hæreditate Pag. 729.
Henrici Leonis, avi ſui, ad ſe devolutum eſſe, *Otto* Dux præ ſe ferens, armis ea loca occupavit. Lites autem, quæ inde exoriebantur, interceſſione Imperatricis *Iſabellæ*, *Ottonis* conſanguineæ, ita ſopitæ ſunt, ut peculiarem Ducatum Brunſuicenſem & Luneburgenſem Cæſar inſtitueret, eumque *Ottoni* in feudum daret. Quomodo Longobardos rebelles compe- 730.
ſcuerit Cæſar, Rev. Autor narrat. *Fridericus*, Auſtriæ Dux, 735.
novarum rerum ſtudioſus, per Regem Bohemiæ, & Ducem Bavariæ, cui illud commiſerat Imperator, bello petitus eſt. Ipſemet poſtea Cæſar, cum exercitu contra eum profectus, terris eum ſpoliavit, conjugem ejus cepit, & hac occaſione, Vindobonæ conſtitutus, Academiam ibi condidit. Filium Imperatoris, *Conradum*, Regem Romanum fuiſſe in 737.
comitiis Ratisbonenſibus in locum *Henrici* depoſiti electum, Autor narrat, Argentoratum circa idem tempus urbem Imperii liberam evaſiſſe, obſervans. Cum Clerici iſtius temporis laicis ſæpius vehementer inſultarent, maximosque exceſſus committerent, qui tamen a judiciis eccleſiaſticis vel plane non, vel leviſſime, coercebantur, huic rei obviam iturus Imperator, conſtituit, ut Clerici, criminis capitalis rei, a magiſtratu ſeculari jus acciperent. Cumque eodem tempore Cæſar reditus vacantium Epiſcopatuum per Siciliam ſibi vindicaret, regnumque Sardiniæ tanquam feudum imperii filio naturali concederet; tantam Pontificis indignationem hoc pacto incurrit, ut A. 1239 die Viridium, ab eo excommunicaretur. Graviſſimæ tunc lites inter Cæſarem & curiam Romanam idcirco agitatæ ſunt, cum potiſſimum Cæſar, ſpretis Papæ minis, vi aperta ſe defenderet. Poſt cruentum denique bellum, eo 745.
proceſſit Pontificis *Innocentii* ferocia, ut in Concilio Lugdunenſi, A. 1245 habito, Imperatorem deponeret. *Henricus Raſpo*, Landgravius Thuringiæ, per Pontificis machinationes in 761.
locum ejusdem ſurrogatus eſt, quamvis varii ordines Imperii, hosce auſus deteſtantes, *Henricum* pro legitimo Imperatore neutiquam agnoſcerent. *Henrico* inſuper, bellum cum *Conrado*, Rege Romanorum, *Friderici II* filio, gerendum erat, 765.

Digitized by Google

Pag. 766. in quo *Henricus* mox vulneratus, periit. *Wilhelmus II*, Comes Hollandiæ & Friſiæ, locum ejus occupavit, a ſolo Rege Bohemiæ, Marchione Brandenburgico, ac Marchione Brabantiæ, electus, & Coloniæ a Pontificis legato coronatus. Narrat ſimul Rev. Autor, *Wilhelmum*, tunc equitem prius fuiſſe crea-
767. tum, cum tiro adhuc eſſet. Bellum civile, tunc in Germania geſtum, cum nonnulli ordines a partibus *Wilhelmi* ſtarent,
769. alii contra *Friderico II* fideles manerent, idem deſcribit. *Petrum de Vineis*, Imperatoris ſcribam, inter medias haſce turbas de necando *Friderico* conſilia agitaſſe, docet. Ejus tamen potentia in dies major evaſit, multæque provinciæ & urbes partes Pontificis deſeruerunt. Et univerſam dubio procul Italiam ſibi ſubjeciſſet Imperator, niſi mors ejus cœpta intervertiſſet. Teſtamentum, ab eo confectum, nec non mores
771. iſtius Principis, Rev. Autor deſcribit, deque meritis ejus in bonas literas nonnulla affert. Thuringiam ſub *Friderico II*
775. Marchionibus Miſniæ ceſſiſſe, nos docet. De familiis quibusdam illuſtribus, circa ea tempora exſtinctis, diſputat. Biga Diſſertationum huic *Tomo* adjecta eſt. Earum prior fabulam de Pontifice *Alexandro III*, *Friderici Barbaroſſæ* collum Venetiis in baſilica S. *Marci* conculcante, explodit. Poſterior vero ſtatuit, neutiquam adeo multa ex veteribus documentis per injuriam temporis perdita eſſe, ut vulgo creditur, cum plurima fœdera, olim viva voce duntaxat concluſa, non in literas relata fuerint. Miſerrimam Germaniæ conditionem, quam poſt *Friderici II* mortem tempore famoſi iſtius interregni experta eſt, Rev. Autor depingit, meritoque miratur, ultimum Imperii excidium illa tempora non attuliſſe. Initium iſtius interregni a morte *Friderici II* repetit. Bellum, quod *Conradus IV*, *Friderici* filius, imperiique ſucceſſor, & *Wilhelmus II*, in fraudem *Friderici* Cæſar electus, propter coronam imperialem inter ſe geſſerunt, operoſe deſcribit. Pontificis machinationes adverſus *Conradum* non diſſimulat.
Tom. VI Seditionem Neapolitanorum, contra eundem Principem ten-
pag. 2. tatam, ediſſerit. *Wilhelmus*, de favore ordinum imperii ad-
5. modum ſollicitus, fœdera & ſocietates commerciorum augendorum

dorum cauſa, a quibusdam urbibus initas, confirmavit. Inde demum origines fœderis Hanſeatici vere repetendas eſſe, Autor contendit, & præcipuos ejus fœderis articulos appo-
nit. Lubecam, Hamburgum, & Bremam, eo tempore nondum Pag. 18.
ſub illa ſocietate comprehenſas fuiſſe, narrat, idque mirum videri, urget, cum graviſſimæ illis urbibus lites cum Danis intercederent, & ideo civitates iſtæ auxilio Imperii utique in-
digerent. De expeditione equitum Teutonicorum, contra 20.
Pruſſos gentiles, Rev. Autor nonnulla affert. *Conradus IV*, 30.
in regno Neapolitano in fide continendo occupatus, A. 1254
diem ſupremum obiit, filio *Conradino* ſuperſtite relicto. Tu- 34.
telæ Pontificis eum moriens *Conradus* commendaverat, unde Pontifex, vi iſtius tutelæ, juramentum fidelitatis a civibus Neapolitanis recepit, quamvis clauſula: *Salvo jure Conradini*, ſa-
cramenti formulæ annecteretur. Pontificem interim, omnia 35.
in illo regno ad deſiderium curiæ Romanæ compoſuiſſe, Autor docet. *Manfredum*, mortui *Conradi* fratrem, & regni Neapolitani adminiſtrum, vehementer indigne hoc tuliſſe, multasque lites eum inter & curiam Romanam idcirco
agitatas eſſe, idem narrat. *Alexander IV* Pontifex, regnum 36.
propterea pro vacuo declaravit, idque *Edmundo*, *Henrici III*, Regis Angliæ, filio, ſub fidelitatis lege conceſſit. *Manfredus* tamen, exercitum Pontificis penitus fugavit, & Neapolin in
fide *Conradini* continuit. *Wilhelmus II*, qui ſe pro Rege Ro- 39.
manorum gerebat, Friſios occidentales Comitibus Hollandiæ, aut ſaltem imperio, ſubjicere tentavit. Cumque armis cœpta ſua perficere moliretur, A. 1256 in iſto bello occiſus
eſt. De ſucceſſore *Wilhelmi* in Hollandico comitatu, deque 40.
ſtatu regiminis, qui tunc ibi obtinebat, Rev. Autor accuratam ſuppeditat notitiam. Ordines imperii Germanici, poſt mortem *Wilhelmi*, de ſtatu ariſtocratico introducendo cogitaſſe, nos docet. Hanſeaticas vero urbes ſe huic rei oppoſuiſſe, contendit. *Richardi*, Regis Angliæ, *Henrici III*, fratris, ele-
ctionem deſcribit. Eum mox in Germaniam veniſſe, 44.
per legatos ordinum invitatum, & Aquisgrani coronam Imperialem accepiſſe, narrat *Ferdinandus III*, Caſtiliæ Rex,

eodem

Digitized by Google

eodem tempore per alio s Imperii ordines electus eſt. *Richardus*, nummis deſtitutus, in Angliam revertebatur, tribus imperii vicariis in Germania relictis. Ambo interim Cæſares juſtitiam cauſæ ſuæ comprobare ſtudebant. Cum vero neuter eorum in Germania conſtitutus eſſet, nec Imperium adminiſtraret, miſerrimus inde rerum ſtatus emerſit, omneque jus in armis erat poſitum. Regnum itidem Siciliæ graviſſimis turbis laceratum eſt. *Manfredus*, regnum, quod adminiſtrabat, ſibi vindicaturus, mortuum eſſe *Conradinum* finxit,
Pag. 61. regnum ipſi eripuit, & Panormi coronatus eſt. Pontifex,
in rabiem fere eapropter conjectus, *Edmundum* Britannicum,
quem Regem Siciliæ fieri volebat, ſub anathematis pœna, ut
thronum occuparet, ſollicitavit. *Edmundus*, diadema, ſibi oblatum, recuſans, multis præmiis a Pontifice fruſtra allectus
eſt. *Manfredus*, licet excommunicatus, ſe tamen contra
omnes inſultus Pontificis defendit, & impoſtorem quendam,
qui, ſe Imperatorem *Fridericum II* eſſe, ſimulabat, &, nuntium de morte iſtius Principis falſum fuiſſe, in vulgus ſpargebat, mox compeſcuit. Statum univerſæ Italiæ iſtius temporis
63. Rev. Autor accurate depingit. Quomodo *Urbanus IV Carolum Andegavenſem* Regem Siciliæ nominaverit, cum prius
77. Regi Franciæ fruſtra illud regnum obtuliſſet, narrat. De
munere *Senatoris Romani*, qui regimen urbis adminiſtrabat, Pontificibus admodum exoſo, notitiam dat lectoribus,
ipſum *Carolum* Andegavenſem tunc temporis Senatorem a
79. Romanis electum eſſe, docens. Depoſiturum tamen ſe eam
dignitatem eſſe, *Carolus*, ubi Siciliæ Regnum ſub fidelitatis
lege a Papa receperat, promiſit. Quid ergo Pontifex & *Carolus* contra *Manfredum* tentaverint, Autor exponit. Curiam
Romanam, cum opibus & exercitu deſtitueretur, armis ſpiritualibus, irrito tamen conatu, adverſus *Manfredum* fulmina emiſiſſe, narrat. *Rudolphi Habsburgici* natales idem deſcribit, &, quales ſuppetias ille Argentoratenſibus contra cives urbis Seltrenſis
89. tulerit, narrat. Merita ejusdem in Helvetiam prædicat.
92. *Carolus* Andegavenſis, Neapolin cum exercitu invadens, resque ſuas prælio committens, victor evaſit, ipſeque *Manfredus*
in

in illa acie periit. Univerſum inde Siciliæ utriusque regnum in poteſtatem *Caroli* conceſſit, qui tamen tantam in cives ejus regni crudelitatem exercuit, ut omnium odia incurreret. *Conradinus*, hac occaſione uſurus, jura ſua in Siciliam vindicare decrevit. *Ludovicus*, Bavariæ Dux, *Conradini* tutor, ingentem pecuniæ vim eidem ad expeditionem illam ſuſcipiendam erogavit, in cujus compenſationem, *Conradinus* regiones nonnullas, quas tunc poſſidebat, in caſum mortis domui Bavaricæ donavit. Ex inſtrumento iſtius donationis domum Bavaricam, jura illa, quæ noſtris temporibus armis ſibi aſſerere ſtuduit, deducere, Rev. Autor nos docet. Pontificis adver- Pag. 107.
ſus *Conradini* molimina auſus idem enarrat. Quid *Conradinus* in Sicilia geſſerit, exponit. Ejus exercitum a *Carolo* fugatum, ipſumque *Conradinum* captum eſſe, commemorat. Mortem infeliciſſimi iſtius Principis, admodum tragicam, ele- 120.
ganter deſcribit, & cædem ejus valde deteſtatur. Brevi ante, quam capite truncaretur, ab eo *Petrum* Arragonenſem hæredem nuncupatum, & in hunc jus, quod *Conradino* in utriusque Siciliæ regnum competebat, translatum, obſervat. Curiam Roma- 122.
nam, tamen cædem *Conradini Carolo* ſuaſiſſe, negat. *Petrum* 123.
Arragonenſem, *Conſtantiam*, defuncti *Manfredi* filiam, in matrimonium duxiſſe, & exinde jura Hiſpaniæ in Siciliam deſcendere, nos docet. Quomodo Baſileam ſibi ſubjecerit *Ru-* 125.
dolphus Habsburgicus, narrat. *Richardi* Britannici, qui Im- 131.
perator electus erat, mortem deſcribit. Pacta confraternitatis & ganerbinatus a Principibus Germanis eo tempore concludi ideo cœpiſſe, ut mutuæ ſecuritati hoc pacto proſpiceretur, monet. Originem Auſtregarum ab iisdem temporibus repe- 134.
tit. Jura Germaniæ provincialia circa finem interregni in ſcripturam fuiſſe relata, & inprimis Specula, Saxonicum & Suevicum, tunc fuiſſe compilata, monet. Ordines Imperii, 142.
ruinam patriæ, ex perpetuis turbis tandem ſecuturam, metuentes, de legitimo Imperatore iterum conſtituendo ſerio tandem cogitarunt. Talem vero eligi placebat Cæſarem, qui & ipſe proprias terras & opes jam poſſideret, & qui non plus haberet autoritatis, quam ipſi ab ordinibus concederetur. *Ru-*

Digitized by Google

dolphus igitur Habſpurgicus, ob præclara, quæ perpetraverat, facinora, omnium venerationem conſecutus, caput Imperii factus eſt, de cujus adeo virtutibus, electione, & inauguratione,
Pag. 146. Rev. Autor ample diſputat. Tres filias eodem tempore *Rudolphum Ludovico*, Comiti Palatino, *Alberto*, Duci Saxoniæ, & *Ottoni*, Marchioni Brandenburgico, in matrimonium dediſſe, narrat. *Albertus*, *Rudolphi* filius, *Eliſabetham*, *Meinhardi*, Comitis Tirolenſis, filiam, & *Conradini* ſororem uterinam, conjugem ſibi adſcivit. Ex illo matrimonio jus in Alſatiam, & partem Sueviæ, quæ ad *Conradinum* pertinuerat, Imperatori natum eſſe, Autor oſtendit. *Rudolphum* a Pontifice pro legitimo Imperatore eſſe agnitum, fruſtra diſſentiente *Alphonſo*, qui juri, quod in imperium habere ſe credebat, re-
155. nuntiare detrectaverat, nos docet. Ceſſit tamen tempori *Alphonſus*, quando, colloquio cum Pontifice ipſomet inſtituto, jus,
159. vectigal bonis eccleſiaſticis imponendi, accepit. Quomodo *Rudolphus* pacem in Imperio reſtituerit, & per nuptias filiarum, quas cum Principibus Germaniæ matrimonio jungebat, autoritatem ſuam firmaverit, refert. Pontifici eum terras, inde a *Ludovici Pii* tempore a curia Romana acquiſitas, interpoſito jurejurando ceſſiſſe, jura ejus in utriusque Siciliæ regnum ſe eſſe defenſurum, promiſiſſe, & inſuper de expeditione in Palæſtinam ſuſcipienda fidem ei dediſſe, Autor
161. commemorat. Lites, cum *Ottocaro*, Rege Bohemiæ, agitatas, deſcribit. *Friderici Bellicoſi*, ultimi Ducis Auſtriæ, ſororem is in matrimonium duxerat, unde Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, & Carniolam, ſibi dotis loco illatas eſſe, contendebat,
164. easque provincias vere occupaverat. Cum autem, terras illas per matrimonium ad alias domus transferri non poſſe, Imperator ſibi perſuaderet, easque, tanquam feuda Imperio aperta, ad ſe pertinere contenderet, bello *Ottocarum* petiit, qui poſtea, terras illas *Rudolpho* cedere, eidemque fidelitatem jurejurando promittere, coactus eſt. Et, quamtumvis Cæſar, ſe terras Auſtriacas hæredibus legitimis reſtituturum eſſe, diceret, ipſemet tamen, occiſo in acie *Ottocaro*, Vindobonam in-
177. greſſus, regiones illas retinuit. Juribus, quæ Imperatori in Papæ

Papæ territorium competebant, *Rudolphum* renuntiaſſe, Rev. Autor narrat. In ejus rei compenſationem vero, Papam *Rudolpho* expeditionem cruciatam, quam ſe ſuſcepturum eſſe promiſerat, remiſiſſe, docet. *Petrus*, Arragoniæ Rex, jura, quæ ſibi in Siciliam competebant, contra *Carolum*, ejus Regem, vindicaturus, ab Imperatore Græco opibus adjutus, claſſem inſtruxit. *Joannes Procidas*, interim a Rege Arragoniæ in Siciliam ſub monachi habitu miſſus, animos civium ad ſeditionem adverſus *Carolum* incitavit, resque eo devenit, ut die 30 Martii A. 1281, in feſto Paſchatos die, omnes Galli in Sicilia trucidarentur, quæ cædes *Veſperæ Siculæ* nomen a poſteritate tulit. *Caroli* filius dein a *Petro* Arragonico captus eſt, & ipſemet *Carolus* paulo poſt vitam cum morte commutavit. Terras Auſtriacas familiæ ſuæ aſſeruit Imperator, easdemque filio, *Alberto*, in feudum conceſſit. *Rudolpho*, filio natu minori, Sueviam, per *Conradini* mortem vacuam, tribuit Imperator. Quid Suevia eo tempore comprehenderit, Rev. Autor declarat. Durante interregno, plurimas civitates dominio Ducum Sueviæ ſemet ſubtraxiſſe, & urbes Imperii liberas evaſiſſe, nos docet. Duces Bavariæ terras Suevicas, ipſis a *Conradino* donatas, non obſtante filii Cæſaris inveſtitura, retinuiſſe, & ab Imperatore obtinuiſſe, urget. *Rudolphum* eam ceſſionem poſtea revocaſſe, negat. Tabulas donationis, a *Conradino* factæ, hodienum in ſcriniis Monachienſibus aſſervari, ejusque excerpta in defenſione jurium Sereniſſimæ domus Bavaricæ in hæreditatem *Caroli VI*, quæ A. 1741 evulgata eſt, comparere, nos docet. De impoſtore quodam, qui ſe *Fridericum II* eſſe ſimulavit, multasque turbas in Germania excitavit, diſputat. Quomodo autoritas Imperatorum in Italia tunc temporis decreverit, narrat, & variis exemplis monſtrat. Plurimos Italiæ Principes, pecunia ſoluta, liberos a regimine Cæſaris factos eſſe, ſolumque dominium eminens ſibi reſervaſſe *Rudolphum*, monet. Origines urbium Imperii liberarum detegit. Duas earundem claſſes conſtituit. Aliæ nimirum *imperiales*, aliæ ſimpliciter *liberæ*, dicebantur. Liberæ nulli unquam Principi præter Imperatorem pa-

Pag. 184. 193. 196. 197. 198. 199. 202. 208. 211.

ruerant. Imperiales contra, jurisdictioni Principum ſubtra-
Pag. 217. ctæ, unum poſtea Imperatorem dominum agnoſcebant. Privilegia harum urbium Rev. Autor deſcribit. *Wenceslaum*, Bohemiæ Regem, filiam Imperatoris in matrimonium duxiſſe, juribus in terras Auſtriacas renuntiaſſe, & dignitatem *Archipincernæ* & *Electoris* tunc Bohemiæ Regibus, qui eam jam diu ante exercuerant, ſolenni diplomate conceſſam eſſe, nos
230. docet. Hungariam, Rege ſuo privatam, tanquam feudum Imperio apertum ſibi aſſerere ſtuduit *Rudolphus*. Eventu autem res caruit. *Carolus* enim *Martellus*, Regis Siciliæ, *Caroli*, & *Mariæ* Hungaricæ, filius, regno potitus eſt, quem tamen, ubi filiam Cæſaris in matrimonium duxerat, pro legiti-
234. mo Rege agnovit *Rudolphus*. Ut filium Regem Romanorum eligerent, fruſtra ab ordinibus petiit Cæſar. Inviſum etenim illis fuiſſe *Rudolphum*, qui unice in opibus & potentia domus ſuæ augenda occupatus erat, Rev. Autor judicat.
240. Mortem iſtius Imperatoris, & quid tempore interregni, quod per novem menſes duravit, in Germania contigerit, idem enarrat. *Albertum*, defuncti Cæſaris filium, dignitatem Im-
259. perialem irrito conatu ambiiſſe; nos docet. *Adolphi Naſſovici* electionem deſcribit. De ejus familia, moribus, & opibus, diſputat. Vix unquam Imperatorem adeo inopem Germaniam gubernaſſe, contendit. Lites, cum Duce Auſtriæ, *Alberto*, nec non Rege Franciæ *Philippo*, agitatas, accurate de-
265. ſcribit. Thuringiam eum ab *Alberto Degenere*, Marchione
279. Miſnico, emiſſe, narrat. *Adolphum* tamen Thuringiam nunquam poſſediſſe, contendit, cum filii *Alberti Degeneris* jus, quod ipſis in illam regionem competebat, armis defenderent. Peſſimi mores iſtius Cæſaris, & perverſa Imperii adminiſtratio, eum ordinibus Germaniæ usque adeo reddiderunt inviſum, ut de corona ipſi adimenda ſerio cogitarent. Conſilia, in comitiis Pragæ habitis hanc in rem agitata, Rev. Autor ex-
283. ponit. *Albertum* Auſtriacum tandem in ejus locum fuiſſe
285. ſurrogatum, narrat. Bellum, quod idcirco *Adolphus* cum *Alberto* geſſit, deſcribit. *Adolphum* ibi, in acie juxta Spiram, occiſum eſſe, nos docet. De *Alberti* iterata electione, ejusdem-

Digitized by Google

demque inauguratione, diſputat. Res geſtas ejus adverſus Hungaros, nec non adverſus quosdam vaſallos, qui fidem ipſi debitam denegabant, deſcribit. Curiam Romanam electionem Pag. 297.
Alberti impugnaſſe, eamque pro nulla declaraſſe, narrat. Ubi *Joannes*, Hollandiæ Comes, vitam cum morte commu- 302.
taverat, Imperator ejus terras, tanquam feuda Imperio aperta, vindicare molitus eſt, unde bellum, Cæſarem inter & *Joannem Avennenſem*, qui, hæreditario jure Hollandiam ad ſe pertinere, contendebat, eamque jam occupaverat, geſtum eſt, cujus hiſtoriam Rev. Autor perſequitur. Pace inſecuta, Hol- 303.
landiam, Friſiam occidentalem, ac Zelandiam, obtinuit *Joannes*. Dominium tamen eminens Cæſar ſibi reſervavit, eique fidelitatem jurejurando promittere *Joannes* coactus eſt. Seditionem, a quibusdam ordinibus Imperii contra *Albertum*, quem ſolio dejicere ſtudebant, inſtinctu Pontificis motam, deſcribit. Cum autem *Bonifacius* Papa graviſſimas cum *Phi*- 308.
lippo Pulchro, Galliarum Rege, lites agitaret, adeoque *Alberti* Imperatoris auxilio indigeret, eum ideo pro legitimo agnovit Cæſare. Declarationem *Alberti*, ſe imperium ex conceſſione 320.
Pontificis unice tenere, & omnem Imperatorum autoritatem a curia Romana pendere, illo Principe indigniſſimam, Rev. Autor aſſert. Bohemiam *Rudolpho*, filio, aſſerere tentaſſe Imperatorem, nos docet. Thuringiam & Miſniam ad *Phi*- 337.
lippum Naſſovicum, defuncti *Adolphi* fratrem, pertinere, itidem contendit. *Fridericus* autem & *Dicemannus*, Marchiones Miſniæ, tam ſtrenue jura ſua in illas terras contra Imperatoris inſultus defenderunt, ut res eventu careret, ac Imperator ordinibus Germaniæ in dies magis inviſus evaderet. Quo- 340.
modo tandem *Albertus* a proximo agnato, *Joanne Suevico*, quem bonis paternis ſpoliare meditabatur, fuerit occiſus, Rev. Autor narrat. Hiſtoriam interregni ſubſecuti, & electionem 351.
Henrici, Luxenburgenſis Comitis, exponit. Cædem *Alberti* iſte Imperator ulturus, ejus occiſores ex imperio proſcripſit. *Fridericus* & *Leopoldus*, Duces Auſtriæ, ſententiam Cæſaris executuri, Ducatum Suevicum occuparunt, quem illis poſtea Imperator in feudum conceſſit. Inde jus domus Auſtriacæ

in terras quasdam, ad Sueviam pertinentes, deſcendere, Rev.
Pag. 361. Autor obſervat. Pœnas, a reliquis *Alberti* occiſoribus ſumtas,
deſcribit. Privilegia, Trevirenſibus a Cæſare conceſſa, enar-
364. rat. Filium Cæſaris, *Joannem*, regnum Bohemiæ obtinuiſſe,
369. nos docet. Geſta Imperatoris in Italia, ejusdemque corona-
tionem Longobardicam, nec non inſidias, ei ſtructas, deſcribit.
Cæſarem Romæ in baſilica Lateranenſi a quibusdam Cardina-
libus fuiſſe coronatum, nos docet, graviſſimas turbas, quæ
Romam tunc temporis concuſſerunt, a Rege Neapolitano, *Ro-*
390. *berto*, excitatas, ſimul deſcribens. *Robertum* illum pro vaſal-
lo Imperii habuit Cæſar, quem ideo, propter feloniam com-
miſſam, regno ſuo privandum eſſe, ſententia lata declaravit.
395. Regnum etiam Neapolitanum dubio procul Imperatori ceſſu-
rum fuiſſe, Rev. Autor judicat, niſi, morte præventus, perfice-
re, quæ tentaverat, fuiſſet impeditus. Eum per hoſtiam, veneno
401. infectam, enectum fuiſſe, negat. Res geſtas & fata ordinis
Teutonici eleganter & accurate exponit. Turbas, in ſe-
ptentrionali Germaniæ parte inter quosdam Principes tunc
406. agitatas, itidem enarrat. Ordinem Templariorum in Germa-
nia tunc temporis fuiſſe deletum, ejusque membra monaſte-
410. riis fuiſſe incluſa, docet. Lites, tempore interregni inter
ordines Germaniæ agitatas, fuſe deſcribit, illud interregnum
413. per integros quatuordecim menſes duraſſe, monens. Ele-
ctionem *Ludovici Bavari* & *Friderici Auſtriaci*, Anticæſarum,
deſcribit. *Ludovicum* vero per plurima ſuffragia, adeoque le-
gitime, electum fuiſſe, contendit. Sede Papali tunc vacante,
ordines Imperii ad futurum Pontificem literas, electionis
nuntias, miſerunt, utque curia Romana, qualis legitime ele-
ctus eſſet, decerneret, rogarunt. Harum literarum exemplar
424. hodienum in ſcriniis Bavaricis aſſervari, narrat. *Ludovicum*
Bavarum Aquisgrani per Archiepiſcopum Colonienſem,
quamvis non ſine contradictione Moguntini, inauguratum
426. eſſe, obſervat. Bellum, inter Anti-Cæſares geſtum, deſcribit,
Pontificis *Joannis XXII* auſus, qui ambos Cæſares ad tribu-
nal ſuum vocabat, &, neutrum legitime electum eſſe, præ ſe
ferre videbatur, exponit. Turbas, ideo inter Guelphos & Gi-
bel-

Digitized by Google

bellinos in Italia excitatas, depingit. *Robertum*, Neapolitanum Regem, affinitate *Friderico* Auſtriaco conjunctum, fœdus cum eo pepigiſſe, narrat. Fortitudinem *Ludovici*, ejusque proſperos ſucceſſus, prædicat. Quomodo *Fridericus* Auſtriacus in prælio juxta *Muldorfum*, quod flumen Mœnus alluit, fuerit captus, narrat. Generoſum *Ludovici* victoris animum, ejusque moderationem erga captivos, miratur. Hiſtoriam contentionum, in Bohemia inter Regem *Joannem* ordinesque regni agitatarum, inſpergit. Pacem inter ordines Germaniæ, in comitiis Norimbergenſibus A. 1323 a *Ludovico* convocatis, ſtabilitam fuisſe, nos docet. Marchionatum Brandenburgicum, per iter *Waldemari II*, in Palæſtinam inſtitutum, & *Joannis IV* mortem inſecutam, vacuum, Imperatorem iſtum filio *Ludovico* conceſſiſſe, commemorat. Duces Saxoniæ & Principes Anhaltinos, qui, illas terras ad ſe jam devolutas eſſe, contendebant, fruſtra ſe huic rei oppoſuiſſe, jura tamen ſua ſibi reſervaſſe, monet. Per nuptias, ab Imperatore cum *Margaretha*, Hollandiæ & Hannoniæ Comite, initas, terras etiam illas, una cum Friſia & Zeelandia, Bavaricæ domui ceſſiſſe, & per ſeculi ſpatium ab ea poſſeſſas eſſe, obſervat. Lites, inter Pontificem & *Ludovicum* agitatas, deſcribit, cauſam Imperatoris ubique agens, ejusque conſtantiam prædicans. *Chriſtophorum*, Daniæ Regem, arbitrum inter Cæſarem & Pontificem egiſſe, narrat. *Leopoldus Auſtriacus*, *Friderici* frater, tempori ceſſurus, inſignia Imperialia *Ludovico* tradidit, quo facto *Fridericus* mox e captivitate dimiſſus eſt. *Fridericum* hac occaſione ſpopondiſſe, ſe, quamdiu viveret *Ludovicus*, dignitatem imperialem nunquam ambiturum eſſe, nonnulli tradunt Hiſtorici, quamvis, eam rem certo definiri non poſſe, Rev. Autor ſtatuat. A nexu tamen omnis pacti, cum Cæſare initi, *Fridericum* ſtatim liberum declaravit Pontifex. Cæſar, interea in Italiam profectus, Rex Longobardiæ coronatus eſt. Quantas turbas ejusdem in Italiam adventus excitaverit, Rev. Autor exponit. Introitum ejus in urbem Romam deſcribit. Abſente Pontifice *Joanne XXII*, quippe qui Avenione ſedebat, Cæſarem ab Epiſcopo Veneto, quantumvis excommuni-

Pag. 435. 457. 459. 461. 470. 472. 475. 486. 493. 497.

Pag. 507. monicato, coronatum eſſe, nos docet. Conſpirationes, contra eum Romæ tentatas, atque detectas, deſcribit. De comitiis, Romæ habitis, in quibus *Joannes XXII* depoſitus eſt, diſputat. Electionem *Nicolai V* deſcribit, eumque *Ludovi-*
516. *cum* denuo coronaſſe, docet. *Robertum*, Regem Neapolitanum, in favorem *Joannis XXII* arma adverſus Cæſarem cor-
519. ripuiſſe, narrat. Roma, a Neapolitanis obſeſſa, fame mox laborare cœpit. Quo facto, cives ejus urbis Imperatori fidem denegarunt, ita, ut Romam is relinquere cogeretur. Immo, in Bavariam eum confugere coactum eſſe, Rev. Autor obſer-
523. vat. *Nicolao V* Pontificalis dignitas ob potentiam *Joannis XXII* deponenda fuit. Rex Bohemiæ quidem cum *Ludovico* Bavaro ſocietatem iniit, & cum fortiſſima manu ideo
535. in Italiam profectus eſt; blanditiæ autem Pontificis fecerunt, ut coronam Imperialem ipſemet anquireret, quamvis illud cœptum, propter hoſtes a Cæſare ad Bohemiam invadendam
549. ſollicitatos, eventu careret. Pacem, inter domum Auſtriacam atque Cæſarem concluſam, Rev. Autor deſcribit, perque illam Imperatoris autoritatem valde ſtabilitam esſe, commemorat. Errores, quos Pontifex contra doctrinam Chriſtianam alebat, juſſu *Ludovici* per Theologos iſtius temporis detecti ſunt, deque Concilio generali, quod Papam tanquam hæreticum condemnaret, cogitatum eſt, inter quæ tamen moli-
562. mina Pontifex diem extremum obiit. Illum ipſum Pontificem primum triplicem coronam geſtaſſe, Autor obſervat.
563. *Benedictum XII*, ejus ſucceſſorem, Imperatori ſuam electionem notam facere neglexiſſe, cum tamen omnibus Principibus Chriſtianis, præter *Fridericum*, Siciliæ Regem, illud honoris genus exhiberet, idque Cæſarem admodum indigne tu-
565. liſſe, obſervat. De matrimonio *Ludovici*, Marchionis Brandenburgici, cum *Margaretha*, *Henrici*, Ducis Carinthiaci, filia, quæ a conjuge priore, *Joanne Luxenburgico*, Regis Bohemiæ filio, diverterat, diſſerit. Tirolenſem Comitatum, & jura in Carinthiam, per hoc matrimonium ad domum Bavaricam perveniſſe, nos docet. Bellum, a Rege Bohemiæ adverſus Cæſarem ideo geſtum, deſcribit. Quomodo lites inter nonnullos

Impe-

Digitized by Google

Imperii ordines excitatas, ſopiverit Imperator, narrat. *Bertholdi*, Argentoratenſis Epiſcopi, motus, contra Cæſarem, delineat. De pace, inter *Ludovicum* & Pontificem fruſta tentata, Pag. 578.
diſputat. *Henricum*, Bavariæ Ducem, ideo obedientiam Imperatori denegaſſe, narrat. De bello, inter Cæſarem & *Philip-* 583.
pum, Galliæ Regem, geſto, notitiam ſuppeditat. Quomodo or- 585.
dines Imperii, Renſæ a *Ludovico* convocati, jus conſtituendi Imperatoris contra inſultus curiæ Romanæ defenderint, exponit. Fortitudinem Cæſaris, in eludendis Pontificum co- 590.
natibus, multis exemplis oſtendit, & prædicat. Potentiam tamen Imperatoris in Italia valde diminutam tunc eſſe, cum, propter bellum cum Rege Franciæ gerendum, copias nullas eo mittere poſſet *Ludovicus*, nos docet. De teſtamento *Jo-* 605.
annis, Regis Bohemiæ, diſputat. *Carolum*, filium ejus natu majorem, in fraudem *Wenceslai* fratris, cui Ducatum Luxenburgicum deſtinaverat teſtator, terras illas ſibi aſſeruiſſe, narrat.
Motus regni Danici iſtius temporis delineat. *Ludovici* pru- 615.
dentiam in regenda Germania prædicat. Torneamentum, Monachii ejus autoritate peractum, deſcribit, de illo exercitii equeſtris genere fuſius diſputans. *Clementis VI* contra *Ludo-* 621.
vicum auſus accurate & operoſe delineat. Quomodo is tan- 626.
dem effecerit, ut *Ludovicus* fuerit depoſitus, & *Carolus Luxenburgenſis*, Regis Bohemiæ filius, in ejus locum Cæſar fuerit electus, exponit. Plurimos tamen Imperii ordines *Lu-* 645.
dovico fideles manſiſſe, ita, ut *Carolus IV* vix in Germania comparere auderet, commemorat. Coronationem *Caroli IV* 649.
Bohemicam deſcribit. Pragenſes Præſules tunc jura & ho- 655.
norem Archiepiſcoporum a Papa obtinuiſſe, docet. De conſpiratione, a quodam homine, *Rienzi* dicto, contra Papam tentata, diſputat. Turbas, per iſtum hominem excitatas, *Lu-* 657.
dovico admodum ſalutares fuiſſe, cum hoc pacto curia Romana nullas *Carolo IV* ſubminiſtrare poſſet ſuppetias, nos docet. Quam fortiter & proſpere contra Anticæſarem depugnaverit *Ludovicus*, narrat. Fœdus, cum Rege Angliæ 660.
ab eo initum, deſcribit. Mortuum eſſe A. 1347 *Ludovicum* Bavarum, notat, veneno eundem infectum eſſe, negans.

Pag. 663. *Ludovicum* illum, inter Imperatores primum, certam & ſtabi-
lem ſedem in uno loco fixiſſe, obſervat. Eundem inſigni-
bus Cæſarum duas aquilas primum inſeruiſſe, monet. Acade-
miam Heidelbergenſem ſub ejus imperio A. 1346 fuiſſe con-
ditam, dictitat. Miramur, de inſtitutione collegii Ele-
ctoralis, quæ A. 1339 in comitiis Francofurtenſibus accidiſſe
667. fertur, omnino tacuiſſe Rev. Autorem. *Caroli IV* res, ſuperſti-
te adhuc *Ludovico* geſtas, is dein enarrat. Quomodo de di-
gnitate Imperiali eidem eripienda cogitaverint Electores, nos
670. docet. De *Guntheri*, Comitis Schwartzburgici, electione diſ-
675. putat. Eundem ſolenni edicto, Francofurti publicato, liber-
677. tatem electionis Imperatoriæ ſtabiliviſſe, commemorat. Veneno
autem per inſidias mox infectus eſt, quod eum adeo infir-
mum reddidit, ut ad obeunda quævis negotia prorſus fieret
ineptus. Morte *Guntheri* mox inſecuta, *Carolus*, unanimi
Electorum conſenſu, iterum Cæſar conſtitutus, & Aquiſ-
grani per Archiepiſcopum Colonienſem inauguratus eſt.
681. Quomodo Argentoratenſes cives, qui Judæos apud ſe tolerare
recuſabant, ideoque res novas contra Cæſarem moliebantur,
686. compeſcuerit *Carolus*, Rev. Autor docet. Eum fruſtra de no-
vis vectigalibus introducendis cogitaſſe, commemorat. Qua
ratione domania Imperii quibusdam Principibus pignoris lo-
co conceſſerit, ut hoc modo ærarium, nimia liberalitate ex-
688. hauſtum, repleret, ediſſerit. Academiam Pragenſem A. 1348
693. a *Carolo* fuiſſe conditam, commemorat. Ab eodem codicem
conſtitutionum, Bohemis præſcriptarum, publicatum, docet.
696. Triſtiſſimum Italiæ iſtius temporis ſtatum delineat. Helve-
tios jam tunc in libertate ſibi aſſerenda occupatos fuiſſe, nar-
701. rat. Bella, ab eis contra domum Auſtriacam ideo geſta, de-
ſcribit. Quomodo pacem in Germania reſtituerit *Carolus*,
multosque rerum novarum ſtudioſos compeſcuerit, comme-
morat. Luſatiam ab eo regno Bohemico adjunctam, obſer-
707. vat. *Ludovicum Bavaricum*, Marchionem Brandenburgi-
cum, reliquias, ad ornamenta Imperialia pertinentes, inque
his lanceam ſanctam, *Carolo* reddidiſſe, obſervat. Lancea il-
la corpus Chriſti confoſſum eſſe, negat, illamque narratio-
nem

nem Seculo decimo quarto demum excogitatam fuiſſe, narrat. Iter Imperatoris in Italiam deſcribit. Eum Romæ per Cardinalem Oſtienſem coronatum fuiſſe, memorat. Puſillum Cæſaris animum vituperat, omnibus juribus, quæ ipſi in Italiam competebant, a Pontifice privari ſe paſſum eſſe, urgens. Quin, ab eo tempore Imperatoribus nihil præter nomen in Italia reliquum manſiſſe, contendit. De aurea Bulla fuſe diſputat. Ordines Imperii ſub *Carolo IV* ad ſummum potentiæ & autoritatis faſtigium adſcendiſſe, obſervat. Avaritiam *Caroli* valde exagitat, eumque in augendis domus ſuæ opibus diligentiorem, quam in juribus Imperii defendendis, fuiſſe, contendit. *Innocentium* Pontificem dimidiam partem redituum, ex beneficiis Eccleſiaſticis Germaniæ provenientium, tunc temporis uſurpaſſe, narrat. De reformatione Clericorum, a *Carolo IV* fruſtra tentata, diſputat. Bellum, ab urbibus Hanſeaticis contra Danos geſtum, deſcribit. *Wenceslaum*, Cæſaris filium, aquam baptiſmalem conſpurcaſſe, eamque rem pro infauſto omine a Clericis habitam fuiſſe, narrat. *Joannem de Lichtenberg*, Argentoratenſem Epiſcopum, dignitatem Landgraviatus inferioris Alſatiæ, pecunia Cæſari ſoluta, acquiſiviſſe, monet, de dignitate Landgraviorum hac occaſione fuſius diſputans. Mortuo *Ludovico*, Duce Bavariæ, vidua ejus *Margaretha*, quæ hic, per errrorem forte typographicum, *Maulſtachia* cognominatur, ex odio erga Duces Bavaricos Comitatum Tirolenſem Auſtriacæ domui ceſſit, uſufructu ſibi ad dies vitæ reſervato. Admodum male ea res habuit Bavaros, qui, ſocietate cum Comite Palatino Rheni, Burggrafio Norimbergenſi, nec non cum Comitibus Hollandiæ, Naſſoviæ, & Schwartzburgi, inita, armis jura ſua defendere annifi ſunt. Bellum igitur, inter *Stephanum*, Bavariæ Ducem, & *Rudolphum*, cui Auſtria parebat, geſtum, Rev. Autor deſcribit. De nuptiis *Caroli IV*, cum *Eliſabetha*, Ducis Pomeraniæ, *Bogeslai*, filia, celebratis, diſputat. Abbates Fuldenſes Principali dignitate a Cæſare iſto decoratos fuiſſe, nos docet. Inſignem latronum colluviem tunc temporis Germaniam inundaſſe, commemorat. Quomodo eorum ſceleribus obicem ponere Cæ-

Pag. 708. 714. 717. 718. 722. 743. 755. 760. 762. 763. 767. 772. 774.

Pag. 780. ſar tentaverit, exponit. *Carolum IV* Regem Arelatenſem coronatum eſſe, qui ritus diutiſſime per deſuetudinem inumbra-
784. tus fuerat, narrat. De expeditione cruciata, contra Turcos inſtituta, diſputat, & hac occaſione gentis Turcicæ origines
785. inveſtigat. Pontificem *Urbanum V* ſedem Papalem rurſus Romam tranſtuliſſe, cum prius per complures annos Avenione eſſet, nos docet, eoque facto potentiam Pontificum inſignem
795. feciſſe jacturam, contendit. Quomodo hoſtes Pontificis, per
805. Italiam ſparſos, compeſcuerit Imperator, narrat. Urbes Italiæ rebelles privilegiis ſuis *Carolus* ſpoliavit, ea tamen, pecunia accepta, mox illis reddidit. Bella, quæ inter privatos tunc geri conſueverant, *Carolum* edicto publicato abolere tentaſſe,
809. Rev. Autor narrat. Quomodo thermas *Carolinas* detexerit,
819. idem declarat. Lites, inter *Wenceslaum*, *Caroli IV* fratrem, ad quem Luxemburgum pertinebat, ac Ducem Juliacenſem, agitatas, deſcribit. Curiæ Romanæ in dividendo, & ab Imperio Romano in æternum divellendo, Siciliæ regno auſus, exponit, Imperatoris, ea omnia non curantis, negligentiam vitupe-
824. rans. Marchionatum Brandenburgicum ab *Ottone*, defuncti Cæſaris filio, *Carolum* emiſſe, filioque *Wenceslao*, & poſtea
831. *Sigismundo*, in feudum dediſſe, notat. *Wenceslaus* iſte mox ſucceſſor Imperatoris & Rex Romanorum conſtitutus
836. eſt. Iter Cæſaris in Galliam, & colloquium ejus cum Rege *Carolo V*, Rev. Autor ex teſtibus coævis & fide dignis fuſius,
843. quam vulgo ab Hiſtoricis factum eſt, deſcribit. De litibus, circa hæreditatem *Leopoldi*, Ducis Auſtriaci, motis, diſ-
855. putat. Electionem *Urbani VI* & *Clementis VII*, antipapa-
859. rum, delineat. *Wenceslaum*, Imperatoris fratrem, Ducatum Luxenburgicum per tabulas teſtamenti Cæſari legaſſe, Rev. Autor obſervat, tandemque, cum deſcriptione mortis *Caroli IV*, *Tomo* huic coronidem imponit.

ANTONII COCCHI, IN ARCHILYCEO ROmano publici Anatomes & Medicinæ Lectoris Narratio de morbo variolari, quo affecta eſt prænobilis Monialis D. Maria Livia, de Excellentiſſima Burgheſiorum Familia.

Sine

Digitized by Google

Sine indicio loci & anni, 8.
Plag. 3.

Duæ quaſi hujus libelli partes ſunt, altera narratio morbi, altera annotationes. Ægræ ex mœrore, & futuri variolaris morbi metu, cœpit uteri vaſa adeo conſtricta habere, ut, menſtruo fluxu ceſſante, tantum non omnia mala pateretur, quæ hujus fluxus defectum utplurimum conſequuntur. Hæc tamen omnia vicit Medicus, ſanguinisque fluxum revocavit, partim animum a triſti cogitatione abducendo, partim vena in pede ſecta, & alvo laxata, tumque ex Chinæ, Tragopogoni, & Bardanæ, radice cum aliquot Juniperi baccis, & Chamædryos atque Meliſſæ foliis, parata decoctione ad potandum exhibita. Duos circiter menſes poſt eadem ægra in febrem incidit, quam capitis dorſique dolor, acrium lachrymarum fluxus, auriumque ſibilus, tuſſis, & ſpirandi difficultas, comitabantur. Contra quæ cum *Coccbus* non niſi cucurbitulis ſiccis uteretur, & cardui benedicti aquam, vel cum qua cornu cervi raſum foliaque ſonchi cocta erant, bibere juberent, ſub finem quarti diei variolæ eruperunt, quarum puſtulas duodecimo die alia ſuppuratoria febris ſuperveniens ſic maturavit, ut decimo quarto die tanquam ſquamæ deciderent. Quia etiam fauces occupabant, hordei aqua, in qua ferrum candens exſtinctum erat, pro gargariſmate data fuit. Potus autem loco ægra modo juribus vitulinis inſulſis uſa eſt, modo cardui benedicti aqua, atque emulſis, quibus nitri parum additum fuit. Ut variolæ a facie averterentur, pedum manuumque volæ ſpongiis calida laxante poros imbutis fotæ ſunt. Hæc ad morbi hiſtoriam pertinent. Ut vero etiam de annotationibus dicamus, idem variolarum morbillorumque ſeminium, idem ortus eſt; morbilli tantum ex ſubtiliori & magis æſtuante materia geniti, occulta perſpiratione diſſipantur, variolæ contra in ſaniem abſcedunt. Utramque affectionem veteres Græci fortaſſis norunt; *Hippocrati* variolas non ignotas fuiſſe, ex Coacis patet, ubi, quibus in febribus exanthemata erumpunt per corpus univerſum, lethale eſſe dicit, ſi non purulentus abſceſſus fiat. Dorſi dolor, qui inter variolarum

ſymptomata eſt, provenit ab æſtu ſanguinis, aortam diſtendente. Sedes variolarum cutis eſt, fomes vero in aliquo viſcere, extra ſanguinis ſphæram, deliteſcit, atque ex chyloſi liquoris impuritatibus oritur, quo in utero latens partus nutritur, & qui per inſenſibilem perſpirationem, pulmonumque actionem, quæ eo tempore nullæ ſunt, repurgari non poteſt. Quæ latens aliquandiu, & inimica ſanguini facta materia, ſi poſt hominem natum provocatur & efferveſcit, ad ſanguinem redit, ac febrem inflammatoriam inducit. Urgente plethora, ſanguineque turgente, vena, ſed ante quartum diem, aperienda eſt, quo vis elaſtica vaſis, ſanguini fermentationis libertas, vindicetur. Poſt hæc, ſi alvus adſtrictior ſit, aut catharactico laxari debet, aut ſaltem enemate ſubduci. Præſtat autem, variolas, modo ſanguis non deferbuerit, non uno impetu omnes, ſed ſenſim, expelli. Quas, dum erumpunt, ſi febris ardens, vigiliæ, ceteraque conſueta mala, comitantur, cucurbitulæ in ſcapulis ſcarifentur, & aqua oxalidis cum ſucco citri, aut punici mali, vel aqua ſonchi cum vitrioli ſpiritu, vel frigida ſola, exhibeatur, cujus magna utilitas eſt, cum calida contra malignas ſemper variolas efficiant. Ad hæc utilis medicina laudanum quoque liquidum eſt, maturationeque impendente, vinum e cochleari præberi poteſt. Quæ vero Arabes, ne nimis fluens corpus fieret, prædicabant, caricæ, lentes, & tragacanthum, partim tuto omitti poſſunt, partim debent. Utile contra ægro futurum eſt, caput radere, tum quia transſpiratio liberior ſit, amputatis capillis, tum quia cum his viſcoſus etiam ſuccus tollitur, cui affinis eſſe videtur variolarum materia. Atque in moniali, de qua ſermo eſt, raſura capitis, quam opportune morbus invenit, efficere potuit, ut facies variolis non temeraretur. Has omnes *Cocchi* annotationes ea fide retulimus, ut vel ipſa verba retineremus. Poſtrema earum ad eos pueros pertinet, qui in confluentibus variolis, ſi ſupercilium ſibi alte lacerarunt, convulſi & aphoni periiſſe obſervati ſunt. *Cocchus*, cauſam in ophthalmico nervo, qui ad ſupercilium elabitur, læſo, ejusque cum dura matre ne-

nexu, quærendam eſſe, exiſtimat, cujus ſcilicet palpitatio inde **conſequatur**, quam epilepſiam vocat.

TRACTATIO CATOPTRICO - DIOPTRI-ca, in qua focus lentium & ſpeculorum ſphæricorum ope formulæ algebraicæ, utrisque communis, determinatur a GOTTLIEB AUGUSTO MOS-DORFFIO.

I. Omne corpus *A*, motum per lineam *AC* ad planum *BE* obliquam, ut duabus viribus ſimul agitatum conſiderari poteſt, quarum una tendit ſecundum rectam *AD*, ad *BE* parallelam, altera vero ſecundum normalem *AB*. Et omne corpus, quod eodem tempore gaudet tendentia verſus *D* & verſus *B*, movetur in diagonali *AC* parallelogrammi *ADCB*. TAB. II. Fig. I.

II. Si planum *BE* concipias ut immobile & impenetrabile, reſiſtet *BE* corpori *A* in *C* accedenti, & in illud reaget ſecundum lineam perpendicularem *DC*. Sed corpus *A* ante impulſum etiam gaudebat vi, ſeu tendentia, verſus *E*. Hinc, cum tendentia *CE* nullam reſiſtentiam paſſa, hinc imminuta non ſit, ſequitur, ut corpus *A* poſt impulſum moveatur per diagonalem rectanguli, cujus unum latus eſt tendentiæ *CE*, alterum vero tendentiæ ex reactione plani *BE* acquiſitæ æquale. Ergo, ſi reactio plani *BE* fuerit $=$ *CM*, movebitur corpus per diagonalem *CN*.

Corollarium.

Prouti igitur reactio vel magna, vel parva, ita etiam variat diagonalis parallelogrammi, & angulus reflexionis *NCE*. Et, ſi reactio plane ſit nulla, vel nova ſaltem vi iterum deſtruatur, movebitur *A* per rectam *CE*, id quod accidit, ſi *A* ſit quantitas fluidi, quod plano *BE* adhærere poſſit. Licet enim etiam in fluidum reagat planum *BE*, tamen ejus reactio, ſi fluidum celeritate non adeo magna moveatur, ab adhæſione fluidi

fluidi iterum tollitur, hinc fluidum movetur ſecundum lineam *CE*.

III. Si planum *BE* ſit perfecte penetrabile, tendentiæ *CA* & *CD* in *C* nullam reſiſtentiam patiuntur; hinc manet *CE*=*BC* & *CD* = *CK*, ideoque corpus *A* de via ſua non deflectit, ſed movetur in recta *CF*. Sed ponamus, vim *CK* ex quacunque cauſa augeſcere & fieri = *CI*. Quod ſi ſit, *A* movebitur per rectam *CG* (§. *I*), quæ cum catheto *CI* includit angulum minorem, quam *KCF*, vel *ACB*. Si vero vis *KC* imminuatur & fiat v. g. = *CR*, corpus *A* movebitur per diagonalem *CS*, quæ cum catheto *CR* includit angulum *SCR* majorem angulo incidentiæ *ACD*.

Scholion I.

Phænomena hæc ſunt radiorum lucis, in corpus pellucidum incidentium. Quatenus enim hoc pellucidum eſt, eatenus particulis igneis radium conſtituentibus non reſiſtit. Hinc linea directionis eſt diagonalis *CF*=*AC*. Sed, ſi corpus pellucidum ſit ſpecifice gravius illo, ex quo radius venit, v. g. ſi ex aere in vitrum incidit, particulæ igneæ vitro magis adhærebunt, quam aeri, hinc tendentiæ *CK* accedit nova, quæ ſit v. g. = *KI*. Hinc radii directio eſt diagonalis rectanguli *CIGE* quod ex tendentia *CE* & viribus *CK* & *KI* componitur. Vid. *Hamberg*. in *Elem. Phyſ.* §. 420. Sinus autem anguli, quem diagonalis *CG* cum normali *CI* includit, eſt ad ſinum anguli inclinationis *ACD*, vel *KCF*, ut *2 : 3*, vel accuratius ut *20 : 31*. *Newton*. in *Opt. Lib. I P. II Prop. III.* Si vero radius ex vitro *ALEB* incidit in aerem, particulæ igneæ vitro magis adhærent, vel, ſi mavis, a vitro magis attrahuntur, quam ab aere, hinc tendentia *KC* imminuitur, & ſit v. g. = *CR*. Ergo *CS* eſt linea directionis. Et teſte experientia, ſi radius ex vitro in aerem incidit, ſinus anguli *SCR* ſe habet ad ſinum *FCK*, ut *31 : 20*.

Scholion II.

Propoſuit jam tale quid *Newton*. in *Opt. Lib. I P. I Prop. VI Theor. V*, quam theoriam latius expoſuit *de Mai-*

Mairan dans les Memoir. de l'Acad. des Scienc. qui phænomena refractionis erudite, prouti ſolet, inde deduxit. Hæcce theoria nobis ad eruendam regulam generalem, ſpeculis & lentibus communem, maxime accommodata viſa eſt, quam quia nemo Mathematicorum, quantum ſcimus, uſquam propoſuit, in ſequentibus exhibebimus.

IV. Sit $AC = y$, & $AB = a$. Ergo $BC = \sqrt{(y^2 - a^2)} = CE$. Sit reactio plani BE in corpus impellens $A = p$. Hæc cum exprimatur per rectas ex C verſus D ductas, erit ſemper CE unum latus parallelogrammi, & $CM = p$ alterum latus. Ergo generatim diagonalis, quam corpus poſt conflictum percurrit, eſt $= \sqrt{(p^2 + y^2 - a^2)}$. Si igitur reactio ſit æqualis actioni $AB = DC = a$, erit $p = a$ ideoque diagonalis $CL = y = AC$. Et, ſi reactio nova vi contraria tollatur (§. *II Cor.*) erit $p = o$, & diagonalis, quam corpus conflictum percurrit, $= \sqrt{(y - a^2)} = CE$.

Problema I.

V. Dato ſinu complementi ACD anguli incidentiæ ACB, ejusque ratione ad ſinum complementi PCO anguli reflexionis OCE, invenire actionem perpendicularem radii poſt impulſum.

Solutio.

Sit $AC = y$, $AB = a$, ſinus totus $= r$. Ergo $BC = CE = \sqrt{(y^2 - a^2)}$ & ſinus $ACD = \frac{r\sqrt{(y^2 - a^2)}}{y}$. Sit reactio $PC = p$, ergo $CO = \sqrt{(p^2 + y^2 - a^2)}$ (§. *IV*) & $PCO = \frac{r\sqrt{(y^2 - a^2)}}{\sqrt{(y^2 + p^2\ a^2)}}$. Jam vero ſit $PCO : ACD = m : n$. Ergo $\frac{r\sqrt{(y^2 - a^2)}}{\sqrt{(p^2 + y^2 - a^2)}} : \frac{r\sqrt{(y^2 - a^2)}}{y} = m : n$; hinc $p = \frac{\sqrt{(n^2 y^2 - m^2 y^2 + a^2 m^2)}}{m^2}$. Et ſi linea AD eſt infinite parva, fiet $y = a$, hinc $p = \frac{ny}{m}$. Q. e. f.

VI. Reactionem plani *BE* in §. *V* aſſumſimus $= + p$. Ergo oppoſitum reactionis, id eſt, actio verſus *K* contrario ſigno inſignienda eſt. Hinc lineæ *CR*, *CK*, *CI*, &c. ſunt $= - p$. Quoties ergo de refractione ſermo eſt, toties loco $+ p$ ponendum eſt $- p$. Ideoque $CI = - p = - \frac{ny}{m}$. Quæ enim de actione verſus *D* demonſtravimus, ea valent etiam de actione ex *C* verſus *K*.

TAB. II Fig. 1. Sicuti igitur in illo caſu erat ſinus *LCD*: ſin. $PCO = n : m$, ita etiam ſinus anguli inclinationis *ACD* vel *FCK*, eſt ad ſinum refractionis *GCI*, ut $n : m$. Ceterum animadvertes, ubi de reflexione ſermo eſt, y & p gaudere ſignis iisdem; eſt enim utrumque in eodem plano *ACL*. Sed, ſi radius a plano *BE* refringitur, y ducitur ex *C* verſus *D*, & p ex *C* verſus *K*, ergo hoc in caſu habent ſigna diverſa.

Corollarium.

Si radius ex aere incidit in vitrum, ſinus inclinationis *KCF* ſe habet ad ſinum refractionis *ICG*, ut $31 : 20$. Et, ſi ex vitro ingreditur aerem, *KCF* eſt ad *RCS* ut $20 : 31$, id eſt, in ratione inverſa ſinuum *KCF* & *ICG*. Quæ lex cum teſte experientia in omnibus refractionibus ſit eadem, nobis quoque in poſterum erit $KCF : ICG = n : m$, hinc $CI = - \frac{ny}{m}$. Sed, ſi radius *AC* refringitur a perpendiculo verſus *S*, aſſumemus quoque $KFC : RCS = m : n$, hinc $CR = - p = - \frac{my}{n}$. Itaque m ſemper denotat ſinum anguli minoris, & n ſinum majoris.

Problema II.

Fig. 2. VII. Si radius *IL* incidat in ſuperficiem ſphæricam *OIM*, cujus ſemidiameter *IG* una cum angulo *IGO* cognita, invenire tendentias *KL* & *IK*, in quas vis *IL* reſolvi debet ad inveniendam actionem ejus in punctum I.

Solutio.

Quia particulæ radium conſtituentes ſunt admodum ſubtiles & craſſitiei non ſenſibilis, ſpatium, in quo impellunt curvam






Fig. I.





Digitized by Google

Digitized by Google

vam poteſt haberi pro rectilineo, quod directo productum, determinat tangentem curvæ PI. Sit igitur $OL = y$, $IG = OG = r$, $IB = ſ$. Ergo $BG = \sqrt{r^2 - ſ^2}$ & $OB = OG - BG = r \sqrt{r^2 - ſ^2}$. Quia PI eſt tangens anguli IGO, erit $PI = \frac{rſ}{\sqrt{r^2 - ſ^2}}$ & $PG = r^2 : \sqrt{r^2 - ſ^2}$. Porro ex eadem ratione ſemidiameter IG eſt perpendicularis ad PI, hinc lineæ KL parallela. Ergo $PG : IG = PL : KL \; \frac{r^2}{\sqrt{(r^2 - ſ^2)}} : r =$
$\frac{r^2 - r\sqrt{(r^2 - ſ^2)} + y\sqrt{(r^2 - ſ^2}}{\sqrt{(r^2 - ſ^2)}} : \frac{r^2 - r\sqrt{(r^2 - ſ^2)} + y\sqrt{r^2 - ſ^2}}{r}$

Eſt vero etiam $PG : PI = GL : IK$. Ergo $\frac{r^2}{\sqrt{(r^2 - ſ^2)}} :$
$\frac{rſ}{\sqrt{(r^2 - ſ^2)}} = y - r : \frac{ſy - ſr}{r}$. Q. e. f.

Problema III.

VIII. Ex data reactione plani PK & celeritatibus radii ante impulſum, id eſt, rectis IK & KL, invenire punctum H, in quo radius reflexus IC ſecat axem OG.

Solutio.

Sit reactio $IF = AC = p$ & $IG = r$, $AI = IK = CF = \frac{ſy - ſr}{r}$. (§. pr.) $OH = x$. Ex centro G ducatur normalis NG ad radium reflexum IC. Ergo, quia CF eſt perpendicularis ad IE, & angulus m utrique triangulo communis, erit $CI : CF = IG : NG$. Eſt autem $CI = \sqrt{(AI^2 + AC^2)} = \sqrt{\frac{ſ^2 y^2 - 2ſ^2 ry + r^2 ſ^2 + p^2 r^2}{r^2}}$ hinc $NG = (rſy - r^2 ſ) : \sqrt{(ſ^2 y^2 - 2ſ^2 ry + r^2 ſ^2 + p^2 r^2)}$. Quia $OH = x$ & $OB = r - \sqrt{(r^2 - ſ^2)}$, erit $IH = \sqrt{(x^2 - 2rx + 2r^2 + 2x \sqrt{(r^2 - ſ^2)} - 2r\sqrt{(r^2 - ſ^2)}}$ & $HG = r - x$. Cum igitur NG ſit perpendicularis ad IN, erit $HNG = IBH$. Hinc $HG :$

 NG

$NG = IH : IB$, id eſt, $r - x : \frac{rſy - r^2ſ}{\surd\, ſ^2y^2 - 2ſ^2ry + ſ^2r^2 + p^2r^2)}$
$= \surd\,(x^2 - 2rx + 2r^2 + 2x\surd\,(r^2 - ſ^2) - 2r\surd\,(r - ſ^2) : ſ$,
$r - x : ry - r^2 = \surd\,(x^2 - 2rx + 2r^2 + 2x\surd\,(r^2 - ſ^2$
$- 2r\surd\,(r^2 - ſ^2) : \surd\,(ſ^2y^2 - 2ſ^2ry + ſ^2r^2 + p^2r^2)$.
Ex qua analogia diſtantia foci x inveniri poteſt, ſub quocunque demum angulo radius in ſuperficiem incidat. Attamen, quia focum tantum quærimus radiorum, prope axem incidentium, ponamus $ſ = 0$, hinc $r - x : ry - r^2 = x : pr$; unde invenitur $x = \frac{pr}{p - r + y}$. Q. e. f.

Corollar. I.

Si $ſ = 0$, erit etiam $IK = 0$ (*§. VII*). Ergo lineæ KL, IL, OL, ſibi invicem ſunt infinite proximæ & æquales. Ergo valent de hoc caſu, quæ in *§. V* ſub fin. monuimus.

Corollar. II.

Fiat $AC = AD = KL$. Ergo $p = y$ & $x = \frac{ry}{2y - r}$, quæ regula eſt eadem cum illa, quam exhibet Perilluſtr. *de Wolf* in *Elem. Catoptr.* *§. 312.* Dum enim AC fit $= AD$, angulus reflexionis HIG fit angulo incidentiæ GIL æqualis, id quod in dicta regula ſupponitur.

Corollar. III.

TAB. II Fig. 2. Loco $+p$ ponatur $-p$. Ergo $x = \frac{-pr}{y - r - p}$ pro eo caſu, in quo radius IL a ſuperficie OIM transmittitur. Si enim AS eſt actio radii poſt impulſum, directio ejus erit linea IS. Fieri igitur poteſt, ut radius refractus tam ante, quam poſt ſuperficiem OIM cum axe concurrat. Sit $AQ = -p = \frac{-ny}{m}$.

Ergo $OR = x = \frac{-nry}{my - mr - ny}$ in illo caſu, in quo radius refringitur in medio denſiori ad perpendiculum (*§. VI Cor.*). Si vero radius ex medio graviori in levius incidat, erit $-p = -my$

$\frac{-my}{n}$ (*cit. Cor.*). Ergo pro illo caſu eſt $x = \frac{-mry}{ny-nr-my}$.
Denique, ſi *AS* ſit actio radii poſt impulſum, & accreſcat in *V*, ita ut ſit $AV = -p = -y$, erit $x = y$, id eſt, radius a ſuperficie tranſmittitur irrefractus. Et ſic radii nusquam niſi in puncto *L*, unde egrediuntur, ſunt uniti.

Corollar. IV.

Aſſumſimus hactenus, radios incidentes eſſe divaricantes. Sed ponamus, eos poſt ſpeculum cum axe concurrere. Sit *IL* radius incidens, qui continuetur in *P*, ut axem *GX* in illo puncto ſecet. Ergo *P* conſiderari poteſt ut punctum radians, quod radium GI emittat. Sit *DIN* tangens punctum *I*. Ergo perinde eſt, ac ſi radius *PI* incideret in rectam *DIN*. Ponamus reactionem illius $= WI = DM$. Ergo radius *PI* poſt impulſum meabit verſus *M*, unde per *I* continuatus ſecat axem in *H*, quod conſtituit focum ſpeculi. Si vero actio radii poſt impulſum ſit $= DZ$, erit directio ejus *IZ* & punctum unionis *X*. Ergo, ſi ſuperficies *IOB* eſt pellucida, punctum unionis eſſe poteſt poſt ſuperficiem refringentem. Ut autem inveniatur diſtantia foci in hoc caſu, ponendum eſt in regula noſtra $-y$ loco $+y$, &, ſi ſuperficies *DIO* eſt ſpecularis, erit reactio plani $DM = -p$ (*§. VI*), quo facto habebitur pro ſpeculis $x = \frac{pr}{y+r+p}$, pro diaphanis autem $x = \frac{-pr}{y+r-p}$: in his enim, ſi diſtantia puncti radiantis eſt $-y$, reactio debet eſſe $= +p$. (*§. cit.*) TAB. II Fig. 3.

Scholion.

Poſtquam radius *Pm* in *m* refractionem paſſus eſt, directio ejus erit *Im*. Sed ponamus, eum incidere in aliam ſuperficiem ſphæricam *OI*. Ergo hæc illum aut reflectet, aut refringet, prouti eſt vel opaca, vel pellucida. Inveniendus igitur eſt in ſequentibus focus, in quo radius ab hac ſuperficie reflexus, vel refractus, cum axe concurrit. TAB. II Fig. 4.

Digitized by Google

Problema IV.

IX. Invenire punctum H in quo radius Im, a ſuperficie OI, cujus ſemidiameter OG cognita, reflexus, vel refractus, ſecat axem OG.

Solutio.

TAB. II Fig. 4. Inventum eſt generatim $x = \frac{pr}{y-r+p} = rL$ (§. *VIII*)

Sit $Or = c$. Ergo $OL = Or + rL = \frac{y-r+p}{cy - cr + pc + pr}$ quod brevitatis gratia ſit $= d$. Quia L conſiderari poteſt ut punctum radians reſpectu ſuperficiei OI, erit OL ejus diſtantia ab iſta ſuperficie. Sit ſemidiameter $OG = IG = a$, & reactio puncti $I = q$. Ergo, cum ex diſtantia puncti radiantis y, ſemidiametro $rS = r$, et reactione p, inveniatur diſtantia foci $x = \frac{rp}{y-r+p}$, ſequitur, ut, ſi in locum y, r, p, ſubſtituatur d, a, q, diſtantia foci OH ſit $= z = \frac{aq}{d-a+q}$.

Corollarium.

Quia hæc regula a priori, §. *VIII* inventa plane non differt, ſequitur, ut omnia, quæ ex iſta deduximus, conſectaria etiam de hac valeant. Nimirum, ſi loco $+q$ ſubſtituitur $-q$, habebitur regula pro eo caſu, in quo radius IL in puncto I non reflectitur, ſed refringitur, & erit $z = \frac{-aq}{d-a-q}$. Si igitur $-q = \frac{-md}{n}$, erit $z = \frac{-mad}{nd-na-md}$, quæ regula locum habet, ſi radius IL in puncto I ex medio denſiori in minus denſum transgreditur (§. *VI Cor.*). Denique, ſi $q = d$, erit $z = \frac{ad}{2d-a}$ pro ſpeculis. Sed, ſi ſuperficies OI eſt ſpecularis, reflectetur radius Im in H. Antequam igitur ad punctum H pervenire queat, incidere debet denuo in ſuperficiem rQB in puncto Q, a qua denuo vel reflectetur, vel

Digitized by Google

vel refringetur, v. g. in n. Hujus igitur diſtantia in ſequentibus determinanda ſupereſt.

Problema V.

X. Invenire punctum n, in quo radius IH ab I reflexus, & in Q denuo refractus, ſecat axem OG.

Solutio.

Quia $OH = Z = \frac{aq}{d-a+q}$ & $Or = c$ (§. *pr.*) erit $rH = z - c = \frac{aq - dc + ac - qc}{d-a+q}$, quod ponatur $= b$. Hinc, cum angulus IHO ſit infinite parvus, erit etiam $QH = rH = b$. Jam vero conſiderari poteſt H ut punctum radians reſpectu ſuperficiei rQB, & $QH = Hr$ ut ejus diſtantia a dicta ſuperficie. Ergo, ſi ejus reactionem ponis $= t$, invenietur eodem modo ac in §. *pr.* diſtantia foci $rn = v = \frac{tr}{b-r+t}$.

Corollarium.

Ergo etiam de hac regula valent omnia, quæ ſupra §. *VIII* cum Corollariis demonſtravimus. Scilicet, ſi radius IH in Q refringi debet, loco $+t$ ponendum eſt $-t$, hinc $v = \frac{tr}{r+t-b}$. Ponatur $-t = -b$, & erit $v = b$, id eſt, radius IH in Q transmittitur irrefractus. Et, ſi $-t = \frac{-mb}{n}$ fiet $v = \frac{mbr}{nr + mb - nb}$, pro refractione radii ex medio graviori in levius incidentis, (§. *VI Cor.*). Ceterum formula, in hac Paragr. inventa, eſt omnium univerſaliſſima. Si enim loco b & d valores §. *X* & *IX* inventi ſubſtituuntur, habebitur diſtantia foci in omnibus caſibus, qui occurrere poſſunt. Nam, prouti reactiones planorum ſunt aut $+p, +q, +t$, aut $-$ aut $-, p, -q, -t$, ita etiam dicta plane mox ſpeculorum, mox diaphanorum, naturam induent. Noſtrum igitur erit in ſequen-

quentibus oſtendere, quomodo exinde regulæ ſpeciales tam pro lentibus, quam ſpeculis, deriventur.

CASTI INNOCENTIS ANSALDI, ORDINIS Prædicatorum, de Authenticis Sacrarum Scripturarum apud S. S. Patres lectionibus Libri duo, ad S.S. D. noſtrum BENEDICTUM XIV, Pont. Max.

Veronæ, typis Seminarii 1747, 4.
Alph. 4 plag. 10.

Dignum fuit Pontificis ipſius nutu ac nomine ſcriptum, ſi partium ſubinde ſtudio non vacuum, eruditiſſimum tamen ac limatiſſimum. Occaſionem ejus ſcribendi Reverendo Autori ſuppeditavit *Petri Barzani*, Brixiani Presbyteri, Epiſtola, qua ſententiam Noſtri, ad lectionem *Tertullianeam* loci *Jo. I, 14*, ſpectantem, confutans, *memoriter, arbitrario*, *tumultuario*, ſanctos Patres oracula divina repetere, profeſſus eſt. Id quod Noſter ſic revellendum curat, ut ante omnia perſpicue ſatis proponat. Hinc, duos errores ab ita ſentientibus admitti, docet; alterum, quo Codices hodiernos cum πρωτοτύποις confundant, neque aliquas in noſtris exemplaribus a primis illis admittere videantur diverſitates; alterum, quo, variantes omnes lectiones ſatis jam eſſe notas ac perſpectas, arbitrentur. Inde diſputatur de ſtudio veterum Chriſtianorum in ſanctiſſimas literas, adverſus earundem corruptores querimoniis, ut & aliis momentis, quæ, Noſtro judice, manifeſte docent, non modo ſenſus, verum æque verborum, eos habere rationem debuiſſe. His ita ſe habentibus, celebriores ſacri Codicis editores ſibi conceperunt, antiqui Chriſtianorum cœtus doctores ſaltem contextui verſionum adhæſiſſe, eandemque ſententiam Theologorum præſtantiſſimi foverunt. Inter editores præſertim nominatur *Flaminius Nobilius*, qui vulgatam veterem, ſeu Latinam verſionis LXX interpretationem, ex Patrum citationibus nobis reparare voluit. Hoc anteſignano vexillo erecto, arbitrantur, eminentiores quoque Criticos, idem ſecutos, Patrum citationibus, tanquam

quam idonea tutaque via, fuiſſe uſos ad veterum ſacrorum Codicum lectiones, quaſi de rivulis fontes, inveſtigandum, in errores autem periculoſos abreptos fuiſſe, quicunque, ſecus ſtatuentes, homines fuiſſe Patres, exiſtimarint, hic pariter humani aliquid paſſos. Ita vero inquirit, quid ſint avthenticæ lectiones Scripturarum apud veteres ſcriptores, ac pro virili demonſtrat, ex multiplici, quæ apud Chriſtianos obtinebat olim, editionum ſacri Codicis cumulo, uſuque promiſcuo Patrum, ortam eſſe lectionum in eorum operibus diverſitatem. Forſitan quoniam, unius rei plures eſſe rationes poſſe, ſibi perſuadere non potuit, aut, tantæ vilitatis tunc fuiſſe ſacros Codices, credidit, vel tantarum opum doctores, ut multos ſibi compararent, ac, delectante inconſtantem animum varietate, ſimul adhibuerint omnes. Nimirum, ut Noſter docet, antiqui Chriſtianorum magiſtri non ſolum in commentariis ad Codicem ſacrum, verum etiam in controverſiis, orationibus ſacris, & ubicunque ad ſanctiſſimas literas provocarunt, ſtrictim ac ſine ullo neglectu, vel erroris periculo, verſionibus atque editionibus adhæſere ſuis. Id quod ſpecimen lectionum ſacrarum apud Patres ab hodiernis diverſarum, ſi quidem a ſingulari ad generale concluſiunculas adamemus, nobis oſtendit, quas cum nuper inventis antiquiſſimis mediorum Seculorum Codicibus ſacris, & cum eorum lectionibus, inſigniter conſpirare, repertum eſt. Cap. 7. 8.

Libri II ſub initium excitantur eorum, qui, veteres oracula divina temere allegaſſe, docent, argumenta, ex ratione proponendi oratoria ac teſtimoniis antiqui Fœderis, ab ipſis N. Teſt. ſcriptoribus ad arbitrium pronuntiatis, deſumta. Contenditur autem iterum, admixtiones, quas Patrum lectionibus objiciunt, ſive quid addiderint, ſive omiſerint, ſive mutarint, ipſis illorum temporum Codicibus ſacris eſſe tribuendas. Quaſi vero illos non deſcripſerint antiqui pariter Chriſtiani; atque, Codices ſacros interpolari, magis condonari poſſet, quam mutatis verbis indidem quidquam allegare oratorem; nec, quæ patefactionem clementiſſime largita eſt, providentia conſervandæ ei pariter vigilem oculum intendiſſet. Eo ſcilicet usque Lib. II Cap. 1.

Digitized by Google

progrediuntur, qui, ut evehant humana, divina deprimunt.
Cap. 3. Atque iſtis armis inſtructus etiam Noſter, primorum Seculorum doctores Chriſtianos, qui Codicibus ſacris interpolatis uſi aliquando dicuntur, a *Jo. Clerici*, quas neque nos omnes
4. defendimus, accuſationibus vindicat. Hinc, a generali ad ſingulare deſcendendo, diverſitatem lectionis *Capite I Joannis* apud quosdam Patrum ac veterum aſſerit, atque, ex poſitis principiis, non temere contexta, ſed itidem ab exemplaribus illorum temporum derivata, oſtendit. Invenitur eadem *commate 13*, quod, in numero ſingulari a *Tertulliano* atque aliis propoſitum, ad Chriſtum applicari videtur; licet in contextu Græco ſit οἱ atque ἐγεννήθησαν, & comma ſequens incipiat a καί. Longus hic eſt Noſter, ut id impetret, quod etiam ſi evicerit, unam hirundinem non facere ver, opponi poſſet.
5. Non itaque aſt, cur latius evagetur, &, quemadmodum præ ſe fert, quæ pro arbitraria, apud *Tertullianum* laudati, commatis lectione feruntur, argumenta ſolvat, enodet, evertat pe-
6. nitus. Utilior eſt inquiſitio, quibus de cauſis factum ſit, ut nonnulli tam Græci, quam Latini, ſanctiſſimarum literarum Codices in *Joanneo* iſthoc loco uſurpatam ab *Irenæo, Tertulliano, Chryſoſtomo, Vigilio Tapſenſi, Auguſtino*, & *Jo. Damaſceno*, quorum vel allegationes, vel al-
7. luſiones, contulerit Autor, lectionem continerent. Concludit autem, ex antiquiſſimi Veronenſis *Evangeliorum* Codicis manu ſcripti lectione, quæ cum citatione Patrum ſit conſentiens, idoneum ſumi fundamentum, ut, ipſos *Joannis* verba ex Codicibus recitaſſe, ſtatuatur. Scilicet unus errans ſeducit facile plures; ac ſequimur homines vulgo antecedentium gregem.
8. Denique *Natalis Argonenſis* atque illius interpretis de Patrum citationibus ſententiæ, quibus in utraque Commentarii parte diſputata, majore collocantur in luce, confirmantur vehementer, atque acrius propugnantur. Qua ipſe Autor uſus eſt libertate, dum & nos admonitiones adjunximus; non poſſumus, quin præconia repetamus, laudando diligentiam, ſed, ut præconceptarum opinionum nebulæ excutiantur, ſimul optando.

MISCEL-

Digitized by Google

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi conſilium ſuſcepit, ſua nonnulla paſſim addidit, Præfationem præmiſit, FRID. OTTO MENCKENIUS, Phil. & J. U. Doctor, Reg. Pol. & Elect. Sax. Conſiliarius Aulæ, in urbe patria Senator, Soc. Scient. Reg. Boruſſ Sodalis.

Voluminis VI Pars I.

Lipſiæ in officina hæredum Lanckiſianorum, 1748, 8.
Plag. 12.

In Præfatione cauſam exponit Editor, cur *Miſcellaneorum*, a Lipſia cognominatorum, Volumina pauci voluerint ornare Lipſienſes eruditi, nec de eorum ceſſatione ſit timendum. Scenam aperit *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Hiſtoria critica Odæ Davidicæ quintæ.* Autori viſum eſt, *Davidem* ei in literas redigendæ adjeciſſe animum, cum, ut vitæ ſuæ parceret, a *Saulo* rege profugiſſet, ac ſacerdotes Nobitas, a *Saulo* interemtos, lugeret. Argumentis, ex Oda ipſa deſumtis, id ipſum perſuadet. Tentorium ſacrum fuiſſe היכל dictum, aperit. נְחִילָה ei eſt *monaulion*, alibi dictum מַחֲלַת, מַעֲלַת. Unde שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת, ipſo judice, ſunt *cantica monaulis juncta.* Exponit vocem כִּי per *rem triſtem ac deformem*, ex *contractione* ita vocatam. Vultus certe contractus ac deformis dicitur כִּי *Eſ. III, 24.* Verbo דבר primariam tribuit poteſtatem *ſpirandi.* Metaphraſin Alexandrinam Græcam haud dimittit intactam, ſed examinat ac dijudicat pro more. Excipit hanc elaborationem *Petri Zornii Diſſertatio poſthuma de Chriſto,* Pag. 11. *ſublatis manibus diſcipulis ſuis benedicente, & inter benedicendum ab eis diſcedente, & in cœlum ſublato,* ad *Luc. XXIV, 52.* Ritus manibus ſublatis benedicendi ſymbolum eſt, quo defenſionem, manibus elatis fieri ſolitam, eisque hoſti oppoſitis, veteres ſignificatum ierunt. *Aaron* jam allevatis manibus dicitur populo benedixiſſe, *Lev. IX, 22.* Epiſcopalis inde profluxit benedictio, cui formula adjicitur *Pax vobiſcum.* Jeſus,

ſummus Pontifex, adytum ingreſſurus cœleſte, benedixit ſuis,
Pag. 14. indicans, fore, ut poſthæc eos tegeret ac defenderet. Imago
21. Jeſu, dextram protendentis ac benedicentis, in nummis Imperatorum Græcorum præſto eſt. Convertimus nos ad *Caroli*
23. *Henr. Zeibichii de Chriſto, fido Nov. Teſt. Pontifice, Diſſer-*
26. *tationem philologicam, ad Hebr. II, 17.* Illuſtrat locum Noſter promiſſo ſuo congruenter ex ritu adjurationis Pontificalis, ac, *Georgium Lud. Oederum, Deylingii* ſententiæ gravem, id ipſum docere, contendit, eruditione varia ſolitaque ſoliditate
39. tate uſus. Exponit locum *Apoc. I, 5*, nec non *Jeſ. LV, 3*, *2 Par. VI, 42*, *2 Tim. IV, 7*, *Hebr. IX, 10.* Monet tandem nonnihil in Cl. *Schlichteri* ſententia. Succedit huic
47. Exercitationi *Pauli Erneſti Jablonski Obſervatio de Athor, Numine Ægyptiorum veterum, quod Græci Venerem interpretantur*. Etymologici magni Autor ex *Orione* Grammatico in Ἀθὺρ luce hic perfunditur. Menſis Ægyptiorum tertius æque Athyr vocatus fuit. Suffragatur *Heſychius*, addens, *bovem* ſic dici. Nomen id menſis Copti vocant Ἀθωρ. *Bos fæmina*, ſeu Veneris ſymbolum, apud *Heſychium* indicatur. Conſonat *Herodotus II, 41, Aphroditopolin* vocans Ἀτάρβηχιν. *Baki* enim *urbs* eſt. Venerem Aſ-
52. ſyrii ac Afri coluerunt, aliquid ex *Junone* trahentem. Cave tamen, *Junonem* huc adſciſcas Græcorum. Hæc enim eſt πάνδημος, illa οὐρανία. *Herod. I, 105. Venus Aphacitis* eſt eadem *Urania*, teſte *Sozomeno H. E. II, 5.* Ægyptii
54. eam quoque coluerunt, teſte *Æliano Hiſt. anim. X, 27.* *Lunam* ſubeſſe crediderunt *Herodianus* ac *Oppianus*. Aliis placet *Venus* planeta, nominatim *Hieronymo, Suidæ, Ptolemæo.* Alii *Venerem* illam exiſtimarunt ipſam rerum naturam & matrem Deorum, ſeu Deorum locum. *Athor*
69. Noſtro *nox* eſt, Coptica lingua conſentiente. Ex vento & nocte Phœnices exiſtimarunt Æonem & Primogenitum, mortales viros, procreatos. *Baau* dicta fuit ab eis Nox ex בהו, *inani.* Πρωτότοκος Ægyptiis dictus fuit Φάνης. *Noctem* videntur Perſæ dixiſſe Arimanium. Vetuſtum No-
71. ctis templum extitit Delphis. Noctem theogoniæ inſeruit

ruit *Heſiodus*, nec non *Ariſtophanes*, ac *Antiphanes*. Adjungatur hiſce *Ariſtoteles*. Nox hæc Gnoſticorum fuit *σιγὴ*, *ſilentium*. Ventus ille, ſeu æther, videtur eſſe vis creatricis mentis. Æon, ſeu Ulamos, eſt *durationis* ſymbolum. Nox videtur non exiſtentiam denotaſſe, ſeu nihilum. Athyr menſis Novembri noſtro reſpondet. Nox Pag. 85.
denotat in theologia veterum Ægyptiorum id temporis, quo ſol hemiſphærium inferius percurrit, æque dicta *Juno* & *Venus*. Noctem alii naturalem deſignari crediderunt, beneficiorum in terris fervidioribus conciliatricem. *Suidas* in *Σκοτία* conferatur. *Scotia*, *Sige*, *Nox*, *Venus* tenebricoſa, *Hecate*, *Athor*, ſeu *Athyr*, rei unius ſunt appellationes. In honorem ejus bovis, quæ erat vacca candida, Aphroditopolitas fuiſſe effuſos, ex *Strabone* pateſcit. Hæc fuit illa עגלה, quam *Jeroboamus* Iſraelidis colendam inſtituit. *Athor* eſt הֲשׁוֹר, bos, 92.
ad Sinai ab Iſraelidis vitulantibus culta. Nomen enim שׁוֹר generis eſt communis. Videtur ad שׁער horrorem & tenebras fuiſſe per id bovis ſymbolum olim alluſum. Sed vocat nos *Joannis Jacobi Reiske Libellus Animadverſionum* 93.
ad alteram editionem Burmannianam Petronii. Ante hos annos ſex in lucem prodiit altera editio *Petronii Burmanniana*, cui *Caſpar Burmannus*, *Petri* filius, acerbam in *Reiskium* Præfationem præmiſit. Non licuit huic in Belgio famam ſuam publico ſcripto vindicare, niſi ipſi viſum fuiſſet incommodis ſeſe onerare. Monitu aliorum igitur tandem ſe ſine conviciis a *Burmanno* defendit, ac inſignia quædam *Petronii* loca, quæ interpretibus adhuc negotium faceſſierunt, retractat atque illuſtrat. Sexto 114.
apparet loco *Frid. Ottonis Menckenii Librorum*, *haud ita diu ab inventa arte typographica editorum*, *quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani*, *Decas prima*. Variis, fortaſſe non ſpernendis, annotationibus literariis hoc ferculum inſtructum eſt. Venetiis A. 1487, 4, evulgata fuit *Summa angelica de caſibus conſcientiæ*, *per fratrem Angelum* 121.
de Clavaſſio, *Ordinis Minorum Vicarium ciſmontanorum*

 fra-

fratrum obſervantiæ, compilata. Editionem hanc *J. A.*
Fabricius, Conradus Geſnerus, Lucas Waddingus, aliique,
haud viderunt. Vidit *Maittairius* editionem Venetam anni
1487, at prelo *Georgii de Rivabenis* excuſam. Noſtra
autem exiit in lucem ex prelo *Nicholai Francfort, Germani.*
Pag. 127. Rariſſimi ſunt præterea *Autores cum gloſa, octo libros ſub-*
ſcriptos continentes, videlicet Cathonis, Theodoli, Faceti,
Cartulæ, alias de contemtu mundi, Thobiadis, Parabolarum
Alani, Fabularum Æſopi, Floreti. Impreſſi Lugduni per
Joannem de Prato anno 1488 die ultima Decembris, 4. Eo-
133. dem refer *Epiſtolare Marii Philelſi, Baſileæ, per magi-*
ſtrum Joannem de Amerbach, ſumma lucubratione impreſ-
ſum, anno octogeſimo nono ſupra milleſimum quaterque cen-
teſimum, 4. Attigit hanc editionem *Jo. Saubertus* in *Hi-*
ſtoria Bibliothecæ Reip. Norib. pag. 166. Ante annum 1502
Aldus Venetiis edidit primam *Poetarum Chriſtianorum* ſyl-
logen, jam raritate ſua commendabilem. Titulus ei eſt:
138. *Prudentius, Proſper, Joannes Damaſcenus, Coſmas Hieroſo-*
lymitanus, Marcus, Epiſcopus Taluontis, Theophanes. Ve-
netiis apud Aldum, 8. *J. A. Fabricius* ac *Maittairius* ſyl-
logen hanc haud viderunt. Nec minus rara avis eſt liber,
143. cui hic eſt index: *Pomponius Mela Coſmographus de ſitu*
orbis Hermolai Barbari, fideliter emendatus. Per Alber-
tinum de Liſona, Vercillenſem, anno Domini MDII, die
XIIII Maj. 4. Obierat jam diem ſupremum A. 1494
Hermolaus. Repetita proinde hæc editio eſt exiſtiman-
da. Addendus eſt titulus alius cujusdam collectionis,
ita conformatæ: *Index operum, quæ in hoc volumine con-*
144. *tinentur: Cenſorini de die natali liber aureus, olim mu-*
tilatus, nunc, adjectis quatuor integris capitibus, innu-
meris pæne clauſulis antiquæ lectioni reſtitutus. Ner-
væ Trajanique & Adriani Cæſaris vitæ, ex Dione in La-
tinum verſæ a Georgio Merula interprete. Cebetis The-
bani Tabula. Plutarchi libellus de differentia inter odium
& invidiam. Baſilii Oratio de Invidia. Baſilii Epiſtola
de vita ſolitaria, 4. Epiſtola *Triſtani Chalci,* qui opus
edidit,

Digitized by Google

edidit, præmiſſa eidem, data eſt Mediolani A. 1503. Mediolani opus prelo exiit. *Cenſorini* hæc editio videtur fuiſſe prima fere. Scripſit *Chalcus*, ſeu *Calchus*, *Hiſtoriam Mediolanenſem*, viginti Libros complexam, Coloniæ A. 1481 evulgatam. *Philippus Beroaldus Cenſorinum* primus publicaverat. At redintegrati ejus gloria *Chalco* eſt tribuenda. Ad eosdem corymbos referendus eſt *Georgicorum P. Virgilii Maronis liber*, *cum novo Commentario Hermanni Torrentini*, excuſus Argentinæ per *Joannem Knoblouch* A. 1508, 4, nec *Maittario*, nec *Fabricio*, viſus. Addatur ei *P. Virgilii Maronis Æneis cum familiari expoſitione*, *annexo quoque vocabulorum indice juxta ſeriem alphabeti*, ibidem ab eodem A. 1509, 4, formis publicis expreſſa. Commentarium ei addidit *Joannes Schotus*, civis Argentoratenſis, arte & profeſſione typographus, at ſatis doctus. Recenſentur hic ejus reliqui fœtus. Raritate ſe commendant præterea *varia Beroaldi Opuſcula*, Baſileæ A. 1519, 4, prelo egreſſa, licet primæ editionis haud ſint fructus. Decada concludunt *Leonardi de Portis*, *Jureconſulti Vicentini*, *de Seſtertio*, *pecuniis*, *ponderibus*, & *menſuris antiquis*, *Libri duo*, 4, in *Gronovii Theſauro Antiqu. Græc. Vol. I* recuſi. Videntur hi in Italia ante annum 1526 huic formæ congruenter prodiiſſe in lucem. Decadi huic proximæ ſunt *Rolandi Mareſii* & *Nic. Heinſii mutuæ de Antiquariis*, & *de Ciceronis*, *Athenæi*, *Lipſiique*, *Dialogis*, *Epiſtolæ*, *iterum publicatæ*, *atque animadverſionibus inſtructæ*, a *J. G. Hauptmanno*, *Hayn*. Spectat hæc biga ad judicium de ſtilo Latino ferendum. Annotationibus, a Viro Cl. adjectis, ſua ineſt ſinceritas, & literaturæ nitor æque ac ſpecimen latinitatis probatæ.

Pag. 145. 147. 149. 151. 156. 162.

SOPRA LA LINGUA PRIMITIVA E SOPRA la Confuſion de' Linguaggi ſotto Babele Lezione Academica, &c,

id eſt,

JOSEPHI MARIÆ TANZINI, FLORENTINI, ACAdemi-

demici Apatiſtæ, inſcripta Eminent. Principi Domino GUADAGNI, Vicario generali Pontificis BENEDICTI XIV.
Romæ, ex typographeo Nicolai ac Marci Pagliarinorum, 1742, 8.
Plag. 4.

Naturam hominis Deus ita conſtituit, ut homini inſit & facultas loquendi propinqua, & cupiditas quædam ſociandi cum altero cogitata per ſermonem. At varietatem linguarum & dialectorum cauſa externa invexit. *Abydenus* apud *Euſebium de Præpar. evang. IX, 14*, tradit, ante ſtructuram Babylonis eodem homines univerſos ſermone fuiſſe uſos. Crediderunt Ægyptii, linguam ſuam eſſe omnium antiquiſſimam.
Pag. 27. *Philaſtrius*, Epiſcopus Brixienſis, putavit, linguas complures
30. jam ante diſſipationem generis humani exſtitiſſe. *Nicolaus Cuſanus* ei ex parte adſtipulatur. Contrarium tenet Noſter ob *Gen. XI, 6*, licet *Joannes Clericus labium unum* de conſiliorum conformitate expoſuerit, ad *Philonis* conſenſum provocans. Jeſum Syriace cum Judæis locutum eſſe, liceat inficiari, licet *Albertus Widmanſtadius* ita ſenſerit. *Goropius Becanus* linguæ ſuæ Flandricæ primordia & principatum tribuit.
37. At linguæ Ebraicæ hic honos eſt tribuendus. Hæc enim eſt ſimpliciſſima, conciſa, minus implicata, orientalium linguarum mater, ac nominum primorum, quibus homines ac urbes ſunt appellatæ, receptatrix & vagina. Cum vero hæc lingua poſt diluvium *Noachicum* manſit incorrupta, ac a *Moſe* adhibita eſt, ea in linguarum diffuſione perſtiterit incolumis ac intemerata, neceſſum eſſe videtur. *Huetius* ac *Natalis* ita ſenſerunt. P. *Claudius Fraſſenus* vero exiſtimat, linguam *Abrahamo* familiarem Cananæam, ſeu Phœniciam, fuiſſe. Hunc refellit *Natalis*, quemadmodum *Joannem Clericum* refutavit
54. *Joannes Chriſtophorus Wichmannshauſen*. Familias *Noachicas*, interruptis Babelicis operibus diſcedentes, in varias linguas, exceptis *Eberi* poſteris, fuiſſe diſtractas, Noſter addit, fretus teſtimoniis *Auguſtini* & *Epiphanii*, laudatoque *Bocharti* & *Morini* conſenſu triumphans. *Tanzinius* igitur nil novi, nil inſoliti, commentatus eſt, ſed in ſententia publice approbata conquievit.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLIX.

Pars I.

CATALOGUE DES ROLLES GASCONS, NORmans, & François, &c.
hoc eſt,
CATALOGUS ROTULORUM VASCONENſium, Normannicorum, & Francicorum, quæ in ſcriniis Turris Londinenſis aſſervantur; Autore THOMA CARTIO.

Tomi II.

Londini & Pariſiis, apud Jacobum Barois, 1743, fol. Tom. I Alph. 3, Tom. II Alph. 2 plag. 9.

Cum *Thomas Cartius*, Vir Clariſſimus, Catalogi hujus architectus admodum ſtrenuus, per integros ſex annos Pariſiis commoratus, plurimisque intra illud tempus beneficiis, pro illa, quæ Gallis propria eſt, humanitate, cumulatus, inſignem erga nationem illam concepiſſet amorem; non melius hunc declarari poſſe cenſuit, quam ſi indices publicorum documentorum, quæ, dubio procul a forma, *rotuli* dicuntur, exire in lucem pateretur; propterea quod eadem ad jura nobilium, qui Franciæ provincias, ab Anglis quondam poſſeſſas, inhabitant, ſtabilienda plurimum conducere videantur. Nomini notæ huc usque fuerant iſtæ tabulæ; unde nobiles, jura ſua defenſuri, non niſi ad lon-

gam poſſeſſionem provocare potuerant, cum contra, Indicibus hiſce nunc evulgatis, faciilimo negotio unumquodque inſtrumentum, quo ad jus firmum & ſtabile obtinendum quisque utitur, indicari, ejusque exemplar, de Londinenſibus chartis deſcriptum, obtineri queat. Ipſas quidem, de quibus ſermo eſt, chartas, ab Anglis, Normanniam, Aquitaniam, Guiennam, aliasque Galliæ provincias, relinquentibus, in Magnam Britanniam allatas, in caſtellum, quod *Turris Londinenſis* dicitur, abditas fuiſſe. Clariſſ. Editor negat, illas potius in magna Angliæ Curia, quam *l'Echiquier d'Angleterre* vocat, quærendas eſſe, ſibi perſuadens, cum præſertim illa documenta, quæ *Rymerus* evulgavit, ibidem deprehendantur. Quamvis vero hæc ita ſe habeant, nihilo tamen ſecius, ex Actis, majore ſigillo regio munitis, quorum largiſſima meſſis in Turri Londinenſi aſſervatur, innumerabilia depromi poſſe, tam ad hiſtoriam iſtarum provinciarum, quam ad jura incolarum, ſpectantia, Clariſſ. Editor nos docet. Cum igitur A. 1728 in Angliam ex itinere Gallico reducem nonnulli rogarent, ut, ſi qua in chartis, in Turri Londinenſi abſconditis, inveniret, quæ ad *tractum Landarum*, in Vaſconia ſitum, pertinerent, ea quidem indicaret; Clariſſ. Editor, probe intelligens, hoc non aliter fieri poſſe, quam ſi integer omnium documentorum Vaſconenſium Catalogus perlegeretur, eum ideo ſuis ſumtibus deſcribi totum curavit. Inſequente anno, cum eundem cum amicis quibusdam, in Gallia degentibus, communicaret, ab illis, ut publici eum juris faceret, valde ſollicitatus, locum reliquit illis amicorum hortationibus, utque eo utilior fieret iſte labor, illas etiam tabulas, quæ Normanniam reſpiciunt, eadem diligentia conquiſivit, & in indices ſuos redegit, ut uno intuitu omnia documenta, in Turri Londinenſi aſſervata, & ad provincias Galliæ, ab Anglis quondam infeſſas, pertinentia, Lector poſſet cognoſcere. Titulos harum chartarum, quanta potuit, cura deſcripſit, &, ne in nominibus locorum & hominum deſignandis vitia irreperent, ſedulo cavit. At, ſi quando, propter literas vetuſtate exeſas, lapſum ſe eſſe, intellexerit, vitia illa per iteratam ipſorum exemplarium inſpe-

ſpectionem ſe correcturum eſſe, ſpondet. Documenta, quæ in Curia Londinenſi, *l'Echiquier* dicta, cuſtodiuntur, de quibus ſupra diximus, in uſus Gallorum & rei literariæ converti non poſſe, dolet, cum illa, ſine ullo ordine, variis in ciſtis confuſa jaceant, nec ullus eorum exſtet Catalogus. Ceterum præſentes Indices ſecundum ordinem chronologicum diſpoſiti ſunt, titulos documentorum exhibent, & numerum membranæ, cui inſcriptum unumquodque documentum eſt, præ ſe ferunt. Primo loco comparent *Rotuli Vaſconiæ*, quos *Rotulus chartarum & chirographorum Normanniæ* excipit. *Rotuli Franciæ*, quo nomine pacta, inter Angliæ & Franciæ Reges inita, veniunt, *Tomum* hujus Operis *ſecundum* abſolvunt. Index denique alphabeticus urbium, villarum, atque hominum, quorum in hiſce Rotulis mentio injicitur, Operi adjectus eſt. Inſignem utilitatem hoc Opus Normanniæ & Vaſconiæ nobilibus allaturum eſſe, non eſt dubitandum, quibus hac ratione via, qua in juribus ſuis defendendis incedere debeant, monſtrata eſt. Verum neque exteri, hiſtoriam iſtarum provinciarum penitius cognoſcere cupientes, hanc Clariſſ. Editoris operam faſtidient, ſed nobiſcum optabunt, ut plura ex illis medii ævi reliquiis, oblivionum tenebris erepta, tali modo in notitiam eruditorum perveniant.

APPARATUS HISTORICO-CRITICUS ANtiquitatum Sacri Codicis & Gentis Hebrææ. Uberrimis Annotationibus in THOMÆ GOODWINI Moſen & Aaronem ſubminiſtravit JO. GOTTLOB CARPZOV, S. Theol. Doct. & Superintendens Lubecenſis.

Francofurti & Lipſiæ, ex officina Gleditſchiana, 1748, 4 maj. Alph. 5 plag. 20.

Commendatione nulla indiget, nec elogio, hujus, non operis, ſed theſauri, Autor, cujus & nomen & doctrina jam

dudum ornamento Germanis noſtris, Anglis autem atque reliquis admirationi ſummæ, exſtitit. Nihil certe ſcripſit Summe Venerabilis *Carpzovius*, quod non communi eruditorum plauſu exceptum, numeriſque abſolutum cunctis & perfectum eſſet. Et pudori hodie habetur, & recte quidem, erudito, ſi in Bibliothecæ forulis magni hujus Viri, quo Lipſia quondam exultabat, ſcripta, *Criticam* inprimis ejus *ſacram*, & *in Libros Biblicos Veteris Teſtamenti Introductionem*, non ſervat, libroſque illos longe primarios manu ſedula haud pervolutavit. Itaque, novi hujus theſauri mentionem dum facimus, quicquid de S.Vener. *Carpzovii* hujus edecumata in judicando vi, vaſtæque lectionis copia, dudum inter omnes conſtat, non repetimus: id unice adducentes, quo pluris impendit in conficiendo hoc Apparatu temporis, annis ille & ſummis meritis venerandus Præſul, eo eum longius ſe ipſum ſuperaſſe. Sed ipſam, age, Bibliothecam hanc elegantiſſimam ingrediamur.

Atque ea ſane eſt *Thomæ Goodwini*, Angli, in hoc Hebraicarum Antiquitatum compendio, diffuſa rerum Judaicarum & lectionis varietas, frequentiſſimaque ad illuſtrandum utriusque divini Fœderis Inſtrumentum accommodatio, ut omnibus ejusdem generis libellis palmam præripuerit. Cum enim in perſcrutandis Rabbinorum commentariis princeps cura, &, ſi non unicus ſcopus, certe præcipuus, ſit, ut ea lectio Sacri Codicis expoſitionem juvet & exornet; vix aderit omnino, qui majori cum ſedulitate in hunc laborem incubuerit, & data quacunque occaſione, quicquid ex Hebræorum voluminibus ipſi ſuccurrit, ad Scripturam Sacram explicandam transtulerit, accommodaveritque. Præterea tali hanc Epitomen conſcripſit arte, ut rerum cum ubertate dictionis etiam certet brevitas; quibus virtutibus id effecit, ut exiguo tempore multa expediri poſſint, nec amplificationi tamen atque illuſtrationi materies prærepta ſit. Eam etiam illuſtrandi librum curam duumviri doctiſſimi, *Jo. Henricus Reizius*, & *Jo. Henr. Hottingerus*, etſi impari ſucceſſu, ſuſcepere, quia *Reizii* tantum non omnes notulæ, ex *Cocceji* voluminibus deſcriptæ, ad antiquitates evol-

evolvendas parum omnino faciunt; quamvis hanc culpam Venerandus *Carpzovius*, laudibus magis aliorum prædicandis, quam detegendis nævis, intentus, data, quod ſatis patet, opera ſiluit. Deinde nec *Hottingeri* labor, quæ dici ad plene intelgendos ritus poterant, omnia exhauſit prorſus. Noſtri autem Scriptoris Celeberrimi inſtitutum, quo omnes ſibi Philologiæ ſacræ amatores devinxit, cunctos libros ſuperat hujus generis. Alii enim conciſe nimium Judaicos exponunt ritus, ut, niſi viva doctoris acceſſerit vox, intelligi nequeant; alii unum quidem atque alterum caput ſat bene illuſtrant, at reliqua, ſcitu non minus digna, intacta prætermittunt; denique alii nimis copioſi ſunt, moramque lectori injiciunt, ad aliud feſtinanti, majus etiam pretium poſtulant, quam cui apud multos, qui rebus ſacris operantur, anguſta domi res ſufficiat. Sed media in his omnibus via Venerandus *Carpzovius* inceſſit, laborem egregium ita moderando, ut nec anguſtis nimis finibus ſe contineret, nec in nimiam molem librum perduceret; potius eorum conſuluit commodis, qui nec ampla inſtructi Bibliotheca, plures de quovis capite Autores evolvere in promtu habent, nec in Talmudicorum atque Rabbinicorum voluminum lectione exercitati, ad ipſos poſſunt fontes recurrere. Cujus rei perficiendæ cauſa, totum *Goodwinum* juſſit principia ducere, ac multa curavit menda emendari, quæ in priores editiones irrepſerant. Singula verba, quæ ſibi illuſtranda ſumſerat, numeris in contextu diſtinxit, ut evolvi in Notis, ſeparatim adjectis, facillimo negotio poſſint. Atque in his quidem Sacram Scripturam vel ſexcenties veriſſime explicavit, &, quæcunque de ritibus, cerimoniis, & Judaicis antiquitatibus, ex omni eruditionis antiquariæ penu potuerunt afferri, ita attulit, ut multa loca *δυσνόητα* ex inſtituto atque data opera excuſſerit, omnia autem tam ſolide & tam enucleate expoſuerit, ut intellectum Sacri Codicis egregie juvent. Quæ de quæſtionibus nonnullis in Hebraicis antiquitatibus diſputantur in utramque partem, dexterrime attigit, &, allatis utriusque partis rationibus, ſententiam ſuam, gravem ſemper, interpoſuit, & judicioſam, & ea veriſimilitu-

dine ſe commendantem, ut, vix quempiam futurum eſſe, arbitremur, quin eandem lubenter amplexurus ſit. Jam, ne & iis deeſſet, qui unum vel aliud momentum vetuſtatis paulo altius cupiunt inveſtigare, larga manu Autores ſuppeditavit, qui data opera illud evicerunt. Hinc Judæorum æque atque Chriſtianorum laudavit monumenta, ac repertorium quaſi quoddam Autorum attulit; quos ſi quis adierit, locupletius inde de ſingulis inſtruetur. Quævis momenta, ſi fieri potuit, Judæorum e libris, ante opus Talmudicum conſcriptis, evicit, nec volumina ipſa Talmudica, aut *Maimonidem*, rejecit, qui, ex vera *Scaligeri* ſententia, nugari primus deſiit, ſatis in Præfatione reſpondens iis, qui hujus pariter Judæi, ac Chriſtianorum, in illo genere autoritatem ſuperbe repudiant; quia certe conſtat, *Maimonidem* & gentis & majorum ſuorum mentem omnino perſpectam habuiſſe, magnumque iis pondus addere, quæ cum ſuis pronuntiat; inter dubias autem quæſtiones multa ſolis Chriſtianis momenta ventilata eſſe, de quibus altum penes Judæos ſilentium habetur, ut de origine Chriſtiani baptiſmi, de baptiſmi Proſelytorum ortu, atque alia longe plurima, ad quæ noſtri doctores tantum induſtriæ ac judicii attulere, ut perperam ſane, nec circumſpecte, agant, qui alto horum labores ſupercilio contemnere atque poſthabere geſtiunt.

Jam in ſpecimine, ex ampliſſimo hoc Apparatu adducendo, dubii hæremus, quidnam deligamus ex tanta rerum elegantiſſimarum varietate, cum eandem ubique in judicando ἀκρίβειαν, & in copioſa lectione vim, conſpiciamus. Vexatas itaque aliquot quæſtiones commemorabimus, in quibus Autor Summe Venerabilis, poſt aliorum, quas ſiſtit, ſententias, ſuam etiam candide interpoſuit, non eo quidem, ut diſtincte excipit, conſilio, ut viris doctiſſimis effatum illud ſuum obtruderet, ſed cum tironibus modeſte communicaret; quamvis dubium ſit nullum, viros longe etiam eruditiſſimos ſententiæ ipſius calculum ſuum lubenter additurus. In *prima* ſtatim *Annotatione Libri & Capitis primi pag. 3 ſeq.* quæſtionem longe nobiliſſimam, ſed & valde dubiam inter eruditos,

de

de jure ſacerdotii primogenitorum apud Judæos, tractat. Patres enim familias intra ditionem patriarchatus, ſeu familiæ ſuæ, ſacerdotio fuiſſe functi, in Scriptura Sacra leguntur; unde *Geneſ. VIII, 20, Noachi, Cap. XV, 9, 10, Abrahami, Cap. XXVI, 2, Jacobi*, maxime vero *Jobi* ſacrificia pro familia expianda, *Cap. I, 5*, commemorantur. Ejus rei veſtigium, poſt inſtitutum etiam *Aaronicum* ſacerdotium, remanſit in mactatione agni paſchalis, quem quivis paterfamilias mactare jubetur *Exod. XII, 3*. At, ipſum hujus Sacerdotii jus ad ſolos ſpectaſſe primogenitos, affirmant alii, alii negant. Priorem ſententiam, præter Judæos, in variis Miſchnæ locis, & in *Onkeloſi* Targum, ac Hieroſolymitano, amplectuntur e Chriſtianis *Seldenus, Bochartus, Grotius, Carthwright*, & *Heideggerus*, e noſtris *Quenſtedius* & *Buddeus*, locis curate a Vener. *Carpzovio* adductis, præterea e doctoribus priſcis tantum non omnes, qui in hoc argumentum inciderunt. In negantium e contrario caſtra ſecedunt *Friſchmuthius, Bynaus, Vitringa, Spencerus*, alii, & recentiſſime cum *Lakemacherus*, tum *Hottingerus*, in ſuis ad *Goodwinum* Annotationibus, *pag. 40.* Quorum etiam a partibus perſtare Vener. *Carpzovius*, cauſis inductus variis & graviſſimis, non dubitat. Ante enim, quam *Aaronicum* ſacrificium inſtituebatur, piis omnibus promiſcue conceſſa erat facultas ſacrificandi. Ita *Habel, Moſes, Abrahamus*, ac alii, quamvis primogeniti loco non erant, ſacerdotium tamen ſacrificando obierunt. Atque, licet vel maxime ad patremfamilias ſpectaret oblatio ſacrificiorum, ab hac tamen prærogativa alios filios excluſos non fuiſſe, ex allatis certum eſt. Præterea ſilet Scriptura Sacra de Sacerdotio in iis locis, in quibus משפט הבכרה, *jus primogenituræ*, exponitur; quod ſane omitti non debuiſſet in loco *1 Chron. V, 1, 2*, ſi illud ablatum a *Rubene* primogenito, & in *Levi* translatum fuiſſet. Nec habent patroni ſententiæ ajentis firmum ſatis ſuæ cauſæ præſidium. Provocant quidem ad conſecrationem primogenitorum in Ægypto, quæ habetur *Exod. XIII, 1.* Sed, ſi hæc ratio valeret, id modo evinceret, hanc ſacerdotii dignitatem primogenitis, ab illo ſaltem tempore,

quo

Digitized by Google

quo Deus eosdem ſanctos ſibi eſſe juſſerat, acceſſiſſe. Enimvero dicuntur ibi primogenita omnia Deo conſecrata fuiſſe *in peculium*, (quæ vox probe animadvertenda,) non autem *in ſacerdotium*, quod non diu poſt hanc ex Ægypto eductionem unice ad *Aaronem* & ejus familiam referebatur. Adducunt porro, qui affirmantem ſententiam tuentur, *Exodi* duos locos, *Capite XIX, 22*, & *Cap. XXIV, 5*. Utrinque autem ne leviſſimum quidem occurrit primogenitorum; ſed priore potius loco Seniores ac Principes populi, & poſteriore nobiliſſimi Iſraelitarum juvenes, intelliguntur, univerſo ex cœtu ad ſacra iſta conſtituti. Quod denique *Buddeus Hiſt. Vet. Teſt. Per. I Sect. III ad §. 18 pag. 391* arbitratur, jus ſacrorum, quod ad externos actus & eorum directionem, partem eſſe principatus patrumfamilias, quibus demortuis primogenitos ſucceſſiſſe, ut & principatum familiæ & jus ſacerdotii adipiſcerentur: id unice evincit, majores non ut primogenitos, ſed ut capita familiæ, in jus iſtud aſſurrexiſſe. Ex quibus ſatis patet, non omnino jus ſacerdotii ab initio humani generis ad ſolos primogenitos pertinuiſſe.

In *Lib. I Cap. V Annot. 11 & 12 pag. 75 - 85* de Pectorali, & de Oraculo pectoralis Pontificis Maximi, Autor S. Ven. tanto cum apparatu doctrinæ, tam diſtincte, atque tam luculenter, exponit, ut difficilem ſane quæſtionem, valdeque intricatam, eleganter enodaverit. Explicato ante omnia vocabulo Hebraico חשן המשפט, quod *pectorale judicii* vertunt, ipſius pectoralis formam deſcribit, quod ornamentum pectoris fuiſſe docet, ex filis ſubtiliſſimi lini, & ter quidem conduplicatis, opere phrygionico, colore coccineo, hyacinthino, purpureo, nec non auro; præterea ſpithamæ quadratum tam longitudine, quam latitudine, adæquaſſe, inſitosque ei fuiſſe duodecim lapides pretioſos, ſigillorum ſculptura inſignes, quatuor diſtinctos ordinibus, & nomina filiorum Iſraelis, כתולדותם, *ſecundum generationes eorum*, continuiſſe. Hiſce pariter ac aliis, quæ de his gemmis apud *Braunium*, *Hillerum*, atque *Eduardum Bernardum*; ad *Joſephum* habentur, adductis, ad ipſum pergit oraculum Pontificis Maximi,

ini, occaſione loci *Exodi XXVIII*, 4, quo pectorali immittere *Moſes* . את האורים ואת התמים *Urim* & *Thummim* jubetur. Et primo quidem Autores ſuppeditat potiores, quorum vel ad tricenarium accedit numerus, ex iisque obſervatione inprimis digniora adducit. Quærit, verbi cauſa, utrum Urim & Thummim duæ res atque diverſæ ſint; an vero eandem rem deſignet utrumque vocabulum; &, adductis viris doctiſſimis, qui pro duabus rebus habent, ſolide evincit, rem unam nomine duplicato inſignitam eſſe per tritam hendiadem, nec aliud ſignificare, quam *illuminationes perfectiſſimas*; id evincens vel inde, quod in Scriptura Sacra alterutrum pro utroque ponitur vocabulum, ut clare patet ex *Numer. XXVII*, 21, & 1 *Sam. XXVIII*, 6. Ad ipſam deinde rem, quid ſit Urim & Thummim, progreditur, num ipſum ſit pectorale, quærens, an lapides pretioſi, an tertium quid, a veſtimento & ornatu diverſum. Ad has enim duas tanquam familias diverſæ Autorum ſententiæ revocari poſſunt, ut alii oraculum hoc cum pectorali, & ejus gemmis, idem faciant, alii ab eodem diſtinguant. Qui, gemmas ipſas deſignari per Urim & Thummim, cenſent, inprimis poſt *Joſephum*, & Rabbinos apud *Abarbenelem*, e Judæis ſunt R. *Azarjas*, cujus verba *Buxtorfius* adducit *Exerc. III pag.* 285, e Chriſtianis *Brentius*, *Rivetus*, Anonymus Anglus, *Braunius*, *Hottingerus*, *Buddeus*, & alii. Horum tamen ſententia non convenit cum *Moſaica* deſcriptione, quæ ab Urim & Thummim diſerte diſtinguit gemmas *Exod. XXVIII*, 30, *Levit. VIII*, 8. Quod *Siracides* etiam facit, Apocryphus quidem, ſed perantiquus, ſcriptor, rerumque gentis ſuæ apprime gnarus, qui ſimiliter gemmas in Choſchen ab Urim & Thummim *Capite XLV*, 13, ſejungit. Ex altera parte, qui diverſum quidpiam notari a gemmis credunt, in multa denuo ſcinduntur capita. Cabbaliſtæ & vetuſtiſſimi Judæorum magiſtri, liber *Sohar*, *Jonathan* in *Periphraſi*, R. *Salomo Jarchi*, R. *Levi ben Gerſon*, R. *Moſes bar Nachman*, ac alii, putant, nomen τετραγράμματον fuiſſe, pectorali, tanquam marſupio, immiſſum. Alii inter Chriſtianos aliam amplectuntur ſententiam,

 e qui-

e quibus adducit Autor Venerabilis illas *Epiphanii*, *Bellarmini*, *Clerici*, *Chriſtophori Caſtri*, *Joannis Benedicti Carpzovii*, & quorundam aliorum. Ipſe ἐποχὴν amplectitur in hac rerum obſcuritate, nec audet quidpiam certi definire, ſatis habens, eviciſſe, a gemmis ſaltem ipſis aliud & diſtinctum fuiſſe. Pergit potius ad uſum τȣ̃ Urim & Thummim, quave ratione ac arte divina inde oracula elicerentur, inquirit. Ut enim certum ac perſpicuum eſt, totum negotium eo ſpectaſſe, ut illius ſubſidio Deus voluntatem ſuam manifeſtaret, & in caſibus dubiis reſponſa ederet; ita majori laborat difficultate, quo medio ac modo iſtud oraculum mentem Dei declaraverit, & reſponſa pronuntiaverit. Poſt varias itaque multorum, Chriſtianorum pariter ac Judæorum, ſententias, ſummo cum judicio adductas, clariſſime oſtendit, nec e literis τȣ̃ Choſchen reſponſum innotuiſſe, nec id luce inſolita & ſplendore factum eſſe, ſed illos lapides ſymbolum tantum præſentiæ divinæ, ſignumque lucis & propheticæ perfectionis, exſtitiſſe, qua Pontifex Maximus, vi muneris ſui, æque ac *Caiphas Jo. XI, 51*, gaviſus fuiſſet. Alias porro, nec minoris momenti, quæſtiones expendit. Cujus generis ſunt hæ: A quo conſultum ſit Urim, & reſponſum redditum: nimirum ſolo a Pontifice Maximo; cujus autoritate ac juſſu oraculum fuerit conſultum: non Regi ſaltem, ſed etiam privato, reſpondet, licuiſſe in dubiis, ſed majoris momenti, caſibus futura & occulta reſciſcere; ubinam locorum Urim fuerit conſultum; num oraculi hujus reſponſa revocari potuerint; in ſecundo templo num adhuc exſtiterit; & quouſque duraverit. Denique, typicam hujus pectoralis adumbrationem ad Chriſtum pertinuiſſe, evincit, ad illum verum Pontificem Maximum, qui divino jubare colluſtratus, quæ in Dei arcanis ſunt, nobis aperuit. Certe, qui hac ſola de Urim notitia ex *Carpzovio* noſtro inſtructus eſt, multos, qui de eo argumento expoſuerunt, Autores negligere poterit.

In *Lib. II Cap. I Annot. 29 pag. 293-295*, data a *Goodwino* occaſione, exponit S. Vener. *Carpzovius* de atrio gentium, quod חיל, id eſt, *profanum* atrium, vocabatur, quia id promiſcue omni-

Digitized by Google

omnibus, exteris, gentilibus, impuris, atque peregrinis, patebat; ibique præter בית המדרש, *Gymnaſium*, ſive Auditorium, etiam בית הסבר, *Bibliothecam* publicam, & alia conclavia, fuiſſe, docet. Omnium autem maxime gravem inter doctos viros controverſiam componit, dum omne Atrium Gentium in dubium nonnulli vocant, & e templo penitus proſcribunt. Pertinet huc doctiſſimus quidam Vir in *Symbolis Literar. Bremenſ. Tom. I Diſſertatione III* tota, qui ſententiam negantem a numero Atriorum in Codice ſacro exſtante, a teſtimoniorum defectu Judaicorum, a ſilentio *Joſephi*, a ſitu ab Atriis longe remoto, denique a forma ab Atriis valde diverſa, evincere ſtuduit. Et largitur ille quidem *Diſſ. cit. §. III*, locum gentibus patuiſſe in הר בית יהוה, *monte domus Dei*, & tam *Ezechielem, Cap XL*, *17*, *20*, חצר החיצנה, *atrium exterius*, quam *Joannem Apoc. XI*, *2*, *αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ*, *atrium exterius templi*, quod *ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι*, *gentibus ſit indultum*, adſtruere; ſed hoc negare unice ſuſtinet, nempe locum in templi circuitu exſtitiſſe, cujus aditus conceſſus fuerit populorum, qui ſuæ adhuc fidei profeſſioni addicti erant, congregationi. Quam in ſententiam Celeberrimus etiam *Ikenius*, Symbolarum iſtarum collector, *Diſſ. IV pag. 105* concedit, ab autoritate R. *Jehudæ Leonis* eam liberans, qui *Lib. II Cap. IV num. 26* verba הר הבירה expoſuerat per חצר הלאומים, *atrium gentium*. Ipſe *Lightfootus* in *Commentario* ſuo, quo *deſcriptionem templi Hieroſolymitani* ex inſtituto tradidit, deinde *Conſtantinus L'Empereur* ad *Cod. Middoth Cap. I Sect. IV pag. 15*, quicquid eſt iſtius Atrii Gentium, omiſerunt. Utraque tamen ſententia componi cum Celeberrimo *Carpzovio* facili negotio poterit, modo id unice, utrum *mons domus Domini* relatus ad *templum* ſit, nec ne, attendatur. Qui enim affirmant iſtud Atrium, montem univerſum ſanctum ad templum referunt, ac quia in hoc monte conſiſtere, verſaque ad templum facie, preces ad Deum fundere, gentilibus licebat, hinc a *Baſnagio Exercit. in Baron. pag. 124*, *Surenhuſio* Βίβλῳ καταλλαγῆς *pag. 263*,

 299,

299, aliisque, ad Atriorum imitationem interiorum, ***Atrium gentium*** vocatur. Qui autem ſecus videntur ſtatuere, non de re ipſa, ſed de ſtricto templi ambitu, decertant, quem ultra ſeptum clathratum ac ſpatium antemurale negant patuiſſe; de Atrii etiam hujus denominatione ambigunt, quæ nec in Scriptura, nec in Judæorum monumentis, definitur. Qua acutiſſima reſponſione interpoſita, utrique ſententiæ ſuum relinqui locum poſſe, omnes perſpiciunt.

In *Lib. V Cap. IV Annot. 11 pag. 572-575* nobilem & ipſam controverſiam attingit Venerabilis Autor: Num ab antiquis inde, *Moſis*que & Judicum, temporibus Synedrium magnum obtinuerit. Id *Jo. Vorſtius* ex inſtituto ſibi impugnandum ſumſit peculiari Diatriba *de Synedriis Hebræorum*, in qua mentem ita expromit, ut, magnum Synedrium eam, quam Rabbini deſcribunt, faciem habitumque, probet, ſub Haſmonæis demum, & poſt templi profanationem, ab *Antiocho Epiphane* factam, induiſſe. Præluſerat *Vorſtio Hermannus Conringius*, edita *de Republica Hebræorum* Diſſertatione, cui veroſimilius videtur *§. XXXVII*, Synedrium magnum aliquod poſt captivitatem demum Babylonicam, & Haſmonæorum quidem maxime tempore, conſtitutum eſſe, ad effigiem Senatus, a *Joſaphato* rege olim compoſiti, cujus ſit mentio in *Paralipomenis*. Imo magis adhuc recentem ei originem tribuit *Dionyſ. Petavius Lib. II de Doctrina temp. Cap. XXVII pag. 156*, a *Gabinio* demum arceſſens, qui, a *Pompejo* in Judæam miſſus, reſtituto *Hyrcano*, & populo in quinque partes diſtributo, Synedria totidem conſtituit: quam in rem laudat *Joſephum Lib. XIV Antiquit. Judaic. Cap. X*, & *Lib. I de Bello Judaico Cap. VI*. Negat etiam *Jo. Friſchmuthus* in libro *de Rege eligendo*, multis argumentis, Judicum, *Samuelis*, & Regum, temporibus conſeſſum illum Synedrii exſtitiſſe, ortum ejus ad *Eſræ* demum & ceterorum, ex Babylonica captivitate redeuntium, tempora referens. Noviſſime omnium *Henr. Benzelius*, Vir S. Venerabilis, in Diſſert. *de Synedrio M. Rabbinorum ad examen vocato*, (quæ *Syntagmatis Diſputationum* ejus *Tom. II pag. 181* legitur,) non omne quidem Synedrium magnum

magnum in dubium vocat, ſed temporibus ſaltem, ſolutam captivitatem Babylonicam ſequentibus, tale quid attribuit. Præterea, cum Græcæ linguæ debeat ſuam vox סנהדרין originem, & ea lingua Judæis tum demum frequens eſſe inceperit, quando eorum res cum Syriæ atque Ægypti Regibus commixtæ fuerant; hiſce utcunque temporibus Synedrii natales aſſignare poſſe, non ſine gravi cauſa ſibi videtur. At enim vero, quoniam & Rabbini tantum non omnes & rerum Judaicarum inter Chriſtianos peritiſſimi, ut *Seldenus*, *Cunaus*, *Paulus Fagius*, *Jo. de Voiſin*, *Galatinus*, *Sigonius*, *Menochius*, atque alii, (in locis, a Venerab. Autore adductis,) *Moſaicam* Synedrio originem & perennem in republica uſum concedunt, horum omnium autoritates occaſionem dedere Summe Venerab *Carpzovio*, diſtincte ſuam ſententiam explicandi. Magno igitur eruditionis cum apparatu evicit, a *Moſe* primo auſpiciis divinis tale LXX virorum concilium inſtitutum eſſe; idque inprimis ex tribus Scripturæ ſacræ luculentis locis, *Exod. XVIII, 22*, *Numer. XI, 16*, *Deuter. XVII, 8*, demonſtrat. Deinde, eandem, pergit, regiminis formam, poſt deceſſum *Moſis*, in populo, tam *Joſua* rerum potiente, quam poſt illius fata, obtinuiſſe, quoad priſtini aſſeſſores ſuperſtites eſſent, laudans *Joſ. XXIV, 31*, & *Judic. II, 7*; &, quamvis altum eſſet ab eo inde tempore de Senatu hoc ſilentium in ſacris literis, eum penitus tamen intercidiſſe, præter alias cauſas, ipſa neceſſitas non permittit, quod populus abſque magiſtratu, abſque judicio, publicorum abſque criminum ultore, ſolutus omni lege & obſequio omni vixiſſe dicendus ſit. Nec a Regum imperio hoc Concilium ſublatum eſſe exiſtimari debet, ut potius ejus maxime opera ſubditi in obſequio retenti fuerint. Imo diſerte legitur *2 Chron. XIX* de *Joſaphato*, eum & inſtauraſſe Synedria, & inſtituiſſe rem ſerio peragi. Quam quis memem reliquos etiam pios Reges ſervaſſe negaverit? In captivitatem quidem Babylonicam abreptum populum, eum ſacrorum ſimul atque rei publicæ ſplendorem etiam amiſiſſe, certum eſt; interim Chaldæus tamen *Cantici Canticorum* Interpres vel captivo populo Synedrium aſſerit ad *Cap. VI*

 comma

comma 1. Similiter R. *Salomo Jarchi* vaticinium *Jacobi*, quod *Geneſ. XLIX, 10,* legitur, de Æchmalotarchis in Babylonia interpretatur; quibuscum gemina habentur in *Gemara Codicis Sanbedrim Cap. I fol. 5.* Unde ſatis ex ipſa Judæorum mente liquet, in captivitate etiam Babylonica vel umbram certe ſupremi illius Senatus remanſiſſe. Poſt reditum autem e Babele, vel ipſi *οἱ ἐξ ἐναντίας* largiuntur, concilium hoc inſtauratum eſſe; ut huic adeo non opus ſit Epochæ immorari. Ea igitur Synedrii forma, quamvis in ultima forte tempora aptius, quam in media, referatur, res tamen ipſa vel propter inſignes habitus externi diverſitates, vel propter graves nonnullos, eosdemque amplos, hiatus, nec e medio tolli, nec negari, poteſt. Et in his exponendis tam humane ſententiam ſuam Autor Venerab. interſeruit, ut, eam, ſalva in viros doctos, qui ſecus ſtatuunt, pietate & reverentia, ſe proponere, conteſtetur.

In *Lib. VI Cap. IX Annot. 10 pag. 676, 677,* aliam Rabbinorum ſententiam conſiderat, qua illi, veluti Siclum geminum, ita duplicem pariter Cubitum, obtinuiſſe in menſuris, nimirum *communem* & *ſacrum,* qui duplo major fuerit, exiſtimant. In diverſas abeunt opiniones R. *Abraham,* R. *Jehuda,* R. *Meir,* & cum illis *Arias Montanus, Waſerus,* atque alii, qui, modo palmorum quinque fuiſſe cubitum communem, ſacrum vero ſex palmorum, ſtatuunt; modo illum communem tribus ſaltem, ſacrum autem ſex, palmis metiuntur; & quæ ſunt alia. Geminum ſtatuentes cubitum, provocant ad *1 Reg. VII, 15, Ezech. XLIII, 13,* item ad *1 Reg. VII, 10,* ubi cubitorum fit mentio, quos illi omnes de ſacris interpretantur cubitis. Quicquid autem eſt illius diſtinctionis, illud omne *Bernardus Lamius* in libro *de Tabernaculo & Templo pag. 96 ſeq.* explodit, nec niſi unum in Scriptura Sacra cubitum conſtanter adhiberi evincit; addit enim, in omnibus alioquin Scripturæ locis, ubi cubitorum fieret mentio, animum merito ancipitem fluctuare, quia nullibi admoneant Scriptores ſacri, quisnam ipſis cubitus, ſacerne, an communis, innuatur. Hinc etiam *Joſephus* illam diſtinctionem ignorat. *Lamius* deni-

denique ad omnia diſſentientium loca dextre reſpondet. Nec dubitat Autor noſter Venerabilis *Lamio* ſuum calculum adjicere, atque geminum cubitum de Rabbinorum ſaltem commento explicare. Cum enim adeo diſſentiant, qui duplicem cubitum effinxerunt, ut fluctuent inter πεντάδωρον, ἑξάδωρον, & ἑπτάδωρον, ancipites, teſtimonia autem Scripturæ communem interpretationem patiantur, non eſt, quare in eam hæſitationem, unde vix datur evadere, nos immergamus. Unus *Ezechielis* locus favere videtur ſententiæ priori, in quam eum quoque *Waſerus* rapit. Sed dubium tollit omne Propheta, quando in *Cap. XLI, 8,* τὴν מלו הקנה, *plenitudinem calami*, diſerte definit per שש אמות, id eſt, per *ſex cubitos*, absque ulla palmi additione; nec dubium eſt ullum, quin eadem ratio in tota ædificii, partiumque ejus, menſura obtineat.

Sed ſatis omnino de nobili hujus Operis præſtantia dictum eſto. Cum autem *Goodwinus* in eo Compendio, quod tantis incrementis adauxit Vener. Editor, ut pro Syſtemate Antiquitatum jure nunc habeatur, argumentum longe graviſſimum *de Sacrificiis*, neſcimus, quo fato, omiſerit, nec vel uno quidem verbo attigerit; Mantiſſam adjecit amplam Summe Venerandus *Carpzovius* de Sacrificiis veterum Hebræorum, longe eruditiſſimam. Eam in *Sectiones quatuor* deſcripſit: quarum in *prima* egit de Sacrificiorum origine; in *altera* de diviſione; in *tertia* de ritibus eorum; denique in *ultima* de peculiaribus conſtitutionibus divinis, & quidem partim de ſale, ſacrificiorum omnium condimento, partim de fermento & melle, ab altari arcendo. Nihil de hoc argumento reſtat, præter pauca, dici. Rationibus enim ſolidis deducit cum *Euſebio* in *Demonſtr. Evang. Lib. I Cap. X* originem ſacrificiorum a divina inſtitutione, diſtinctum mandatum & promiſſionem diſertam complexa, probans eam ex Apoſtolico teſtimonio de ſacrificio *Habelis*, *Hebr. XI*, 4; ex periculo ἐθελοθρησκείας, nullo non tempore Domino inviſæ; ex imbecillitate rationis, ad excogitandum Deo cultum congruum, & acceptum; a relatione denique typica ad Chri-

Chriſtum. Ultimo adverſariorum objectiones plenarie confutat. In illa Sectione de diviſione ſacrificiorum, exponit de Sacrificiis ante Legem & poſt eandem, de Holocauſtis, Pacificis, & Piacularibus, de Sacrificiis pro reatu, de Fertis, & ita porro. In Sacrificiorum ritibus commemorat vivam oblationem, agitationem, & elevationem, impoſitionem manuum, mactationem, adſperſionem ſanguinis, detractionem pellium, victimarum ſectionem, illationem in altare, conciones ſacrificiales, & epulum. Quod ad ſalſuram attinet, illius in ſacrificiis neceſſitatem attingit; quæſtionem pertractat nobilem, ſalne in menſa panum propoſitionis fuerit; eamque ob ſilentium inprimis Scripturæ omnino negat; ſpecies ſalſuræ & rationes, ſenſum denique myſticum & moralem, dextre evolvit. Excitat in ſingulis Scriptores primarios, & ita de omnibus dicit, ut, quod aut utile eſſe Lectoribus, aut neceſſarium poſſit, nihil relinquat. Uno verbo, vel ſola hæc S. Vener. *Carpzovii* Mantiſſa, quæ jam primum in lucem prodit, *Goodwini* hanc editionem incomparabilem facit, laudeque eſt noſtra longe ſuperior.

Ad finem denique adjecit Venerab. Autor quatuor doctiſſimas Diſſertationes, in Academia Lipſienſi & Altorfina quondam ab eo habitas, quæ magnam cum præclariſſimo inſtituto ſuo affinitatem habent. Indices illarum hi ſunt: I צדקה, ſive *Eleemoſyna Judæorum*, ex antiquitate Judæorum delineatæ. II יהוה שוכן בערפל, *Deus caliginis incola*, ex Philologia ſacra. Acceſſit elegantiſſima ad Reſpondentem de שכינה *Schechina* Epiſtola. III יחוף במקום קדש, id eſt, *Diſcalceatio religioſa in loco ſacro*, ad locos *Exod. III, 5*, & *Joſ. V, 15*. Tandem IV *de Synagoga cum honore ſepulta*. Quæ Diſſertationes *Carpzovianæ*, quod omnium jam dudum elogiis ornatæ ſunt, nos quidem, qui non ad laudandum, ſed ad recenſendum, acceſſimus, nihil hic ulterius adjicimus; hoc ſaltem unice adhuc memorantes, nempe Indices amplos, eosque cum cura confectos, etiam bene idoneos, ut locorum Scripturæ ſacræ, vocum Hebraicarum, & Græcarum, rerum denique, atque perſonarum, præſtantiſſimum

mum Opus ad quotidianam utilitatem magis accommodatum reddere. Noſtram autem deſcriptionem cum piis votis pro magni hujus & illuſtris Viri ſenecta vegeta, in certum Eccleſiæ fulcrum, & rei literariæ incrementa, claudimus.

JOSEPHI, ÆGYPTI PROREGIS, RELIGIO a criminationibus Baſnagii vindicata. Diſſertatio CASTI INNOCENTIS ANSALDI, Ordinis Prædicatorum.

Brixiæ, excudebat Jo. Baptiſta Boſſinus, 1747, 8 maj. Plag. 11.

Ita quidem cum humana natura eſt comparatum, ut mortalium nemo absque crimine vivat; quare nec illi, quos Numinis favor majori gratia eſt dignatus, omnibus omnino nævis carent, nec diviniores literæ, ut nos noſtræ imbecillitatis admoneremur, horum delicta reticent. Non eſt igitur, ut illa vel diſſimulentur, vel variis quæſitis coloribus excuſentur; juſtum tamen non eſt, ut peccatorum rei peragantur, a quibus alieni ſunt vel maxime, &, qui illorum cauſam ſuſcipiunt, debitis videntur laudibus mactandi. In horum cenſum referendus eſt Clariſſ. *Anſaldus*, variis eruditis ſcriptis nobile nactus nomen, qui præſentem Commentationem, Perilluſtri Comiti *Petro Lechio*, Dynaſtæ in Boniolo, inſcriptam, non alia de cauſa conſignavit, cumque erudito orbe communicavit, quam ut *Joſephi* fama, quam accuſatione propenſionis cujusdam ad profanos ritus haud levi conſperſerat infamia *Baſnagius*, illibata præſtaretur. Id igitur agit, ut primo ſententiam Vir Clariſſ. *Jac. Baſnagii* ex ipſius *Obſervationibus criticis de Republ. Hebræor. Cap. VII* producat, quæ huc redit, *Joſephum*, ubi cum fratribus ſuis in Ægyptum adventantibus comedere renuit, animum a profanis Ægyptiorum inſtitutis non alienum prodidiſſe. Admiratio ipſum ſubit, qui in iſtam deſcendere potuerit opinionem, cum tamen *Joſephus* nullius in ſacris literis criminis reus peraga-

 tur,

tur, cui contra adeo laudabile teſtimonium præbeat *Moſes*
Pag. 1-6. *Gen. XXXIX, 2-5*, quemque præterea primæ eccleſiæ doctores
multis inſigniant elogiis. Rationem, quare noluerit cum fratribus eadem uti menſa, cum iisdemque veſci carnibus, *Baſnagius* inde repetiverat, quoniam multa animantium inſtar ſymbolorum deitatis divinis honoribus proſecuti fuerint Ægyptii; quandoquidem tamen idem addit, integrum fuiſſe Ægyptiis, quædam illorum mactare, illorumque carnem in uſum ſuum convertere, proprio ipſum jugulat gladio, & ipſos animalibus tum temporis nondum abſtinuiſſe, probat, quoniam colluvies iſta, quæ cum Iſraelitis Ægypto exceſſit, æque ac illi, car-
7 - 12. nium deſiderio flagrarit. Sed, ut ſententiæ *Baſnagianæ* nervos incideret, negat, tum temporis animalium cultum inter Ægyptios viguiſſe. Obſervat igitur, omnem illorum religionem 1) fuiſſe myſticam, occultiſſimis doctrinis reſperſam. Quam cum ignorarent Græci & Romani, multa falſa ipſis affinxerunt, apud quos ignoratio ænigmatum hieroglyphicorum, deitatis ſymbolorum, criminationem adeo deteſtan-
12 - 21. dæ ſuperſtitionis ipſis attraxit. 2) De myſteriis religionis myſtæ altum tenuerunt ſilentium, cujus rationes haud peregrinis, imo ne popularibus quidem, explanarunt. Equidem Philoſophi Græci ſapientiæ hauriendæ ergo Ægyptum petierunt, ſed hoc tempus a Patriarcharum ævo multum fuit remotum. Res priſci orbis non literis fuere traditæ, ſed vel per cantilenas, vel incertam famam, ad poſteritatem transmiſſæ. Quod num in Ægyptios, quibus ſcriptura hieroglyphica ſatis fuit antiqua,
22 - 28. quadret, viderit Eruditiſſ. Autor. Speciatim argumentum petit a cultu *Apidis*, qui demum a deceſſu *Joſephi* invaluerit, quoniam is a *Cambyſe* fuerit interemtus. Verum enim vero id probat quidem, cultum *Apidis* ad *Cambyſis* expeditionem usque obtinuiſſe, non autem determinat tempus, quo primum fuerit
28 - 35. introductus. In *Apide* autem contendit ſervatam fuiſſe memoriam *Joſephi*, qui ſomnium *Pharaoni* fuerit interpretatus, & Ægyptum ac vicinas regiones tempore ſæviſſimæ famis ſua prudentia ſervarit, quam ſententiam expoſuit *Gerh. Jo. Voſſius, Julium Maternum* ſecutus, & poſt illum alii, quos
nomi-

Digitized by Google

nominat, quibus addere potuiſſet Cel. *Jac. Triglandii* elegantiſſimam Diſſertationem *de Joſepho Patriarcha, in ſacri bovis hieroglyphico ab Ægyptiis adorato*, qui ex ſapientia hieroglyphica multa lectu digna adducit. Sententiam hanc firmat 1) ex *nomine* Apis, quod ortum duxit ex Ebraico אָב, *pater*, 2) a *figura*, quia *Serapis*, qui idem cum *Apide*, pingitur cum modio ſuper capite ob diviſionem frumenti tempore famis. Intercedit quidem *Natalis Alexander H. E. Vet. Inſtrum. Cap. III*, *Bochartum* ſecutus, cujus veſtigiis inſiſtit *Heideggerus*, cultus hujus mentionem non fieri ab *Herodoto*, & aliis, *Tacitum Hiſtor. Lib. IV* memorare, *Serapin* Sinope Ponti Alexandriam, regnante *Ptolemæo Lagi*, fuiſſe advectum, denique *Moſen* referre, poſt *Joſephi* mortem regem alium fuiſſe exortum, qui ipſum non noverit, populumque graviſſime afflixerit, ut hinc probabile non ſit, *Joſepho* mortuo divinos honores ab Ægyptiis fuiſſe habitos. Ad ſilentium ſcriptorum antiquorum nihil regerit, niſi quod inde contra *Baſnagium* ſequatur, illa tempeſtate animalium cultum inter Ægyptios locum nondum habuiſſe. Sed hac ratiocinatione ictum non tam repulit, quam avertit. Quod de rege novo objicitur, notari vult, *Pharaonem* illum, qui adeo duriter habuit Iſraelitas, non proxime a morte *Joſephi* ſucceſſiſſe, aliquot ſecula inter Iſraelitarum ingreſſum & exitum fluxiſſe. Verum & hæc demonſtratio non uno premitur incommodo. Honorem, qui *Joſepho* fuerit exhibitus, primitus civilem fuiſſe, qui cum tempore in religioſum fuerit converſus, arbitratur cum *Voſſio*. Equidem Ægyptios non ab omni omnino idololatriæ crimine immunes præſtat, ſed, quodnam objectum cultus ſui conſtituerint, definiri non poſſe judicat; probabilem tamen habet ſententiam illorum, qui cenſent, ipſos ſidera divino affeciſſe honore, quæ ſibi ſub imaginibus animantium, ſpeciatim bovis, repræſentaverint, quod ex vitulo, ab *Abarone*, populi Iſraelitici rogatu, conflato, appareat. Qui cultus quoniam originem ſuam ex Theologia ſymbolica traxerit, judicat doctiſſimus Autor, *Ægyptios tempore Joſephi non adeo fœde erraviſſe, ubi bovem, ſcarabæum, feles, ſerpentes, animalia*

Pag. 35 - 41

41 - 43.

43 - 46.

lia cetera, coluerint. Quamdiu illa tantum reſpexerunt ut ſym-
bola rerum divinarum, crimine caruerunt, ſed, ſimul atque ali-
quem illis cultum exhibuerunt, ac ſe infra fœda iſta animan-
tia abjecerunt, num excuſari poſſint, non videmus. Craſſam
idololatriam ipſis tempore *Moſis* adſcribit Scriptura *Exod. XII,*
12. Deus judicia ſua exercuit in Ægyptiorum Deos, ſuis
judiciis demonſtrando, ipſos ſuis opitulari non poſſe,
vel etiam, quod Judæi tradunt, eorundem effigies proſternen-
do. Ipſa illa tranſiit ad Iſraelitas, eosdemque fœda conta-
Pag. 46 - 52. gione commaculavit, *Ezech. XX, 7, 8.* Per ἄςρον *Act. VII,*
43, intelligit ſignum, ex pluribus ſtellis compoſitum, ut hinc
Remphah fuerit aliqua ex conſtellationibus, quas Græci ani-
malium nominibus inſigniverint, *arietis* ſcilicet, *tauri*, *leonis*,
& ſic porro, quæ ſigna, in quibus heroum animas receptas
eſſe credebant, cum colerent Ægyptii, ignaros & mendaces
Græcos finxiſſe, ipſos naturales tauros ac ſerpentes venerari.
52 - 62. Concludit hinc, *Baſnagium* cauſa cadere, ſi Ægyptii non alia
animalia, quam Zodiaci ſigna, coluerint. Verum, cum hic
non quæratur, in quod objectum cultum religioſum direxerint
Ægyptii, ſed de cultu ipſo præſcito rei, quæ Deus non eſt, fu-
cum facere alicui videri poſſet *Anſaldus*. Nec juvat dicere,
imagines ſiderum poni ad ſignificandos reges ac heroas inter
ſidera relatos, & Remphah *Saturni* ſtellam dictum fuiſſe, cui,
quoniam agriculturæ præeſſe judicabatur, bos fuerit conſecra-
63 - 66. tus. Pergit, ſi *Molochus* fuit rex Ægypti, itemque Remphah,
qui creditur terræ præfuiſſe illo tempore, quo *Jacobus* Ægy-
ptum ingreſſus, facile apparere, quare rex ille, qui terram a
caritate liberaverit, ſub figura vituli poſthæc fuerit cultus,
& *Apis* appellatus: unde concludit, religionem *Apidis Joſe-*
66 - 70. *pho* eſſe poſteriorem. His confectis, progreditur ad alteram
partem Diſſertationis ſuæ, quare Ægyptiis integrum haud fue-
rit cum Iſraelitis comedere. *Cunæus*, cujus ſententiam exa-
minaverat *Baſnagius*, odii cauſam inde arceſſiverat, quoniam
Ægyptiis, tanquam hominibus mollibus ac vitæ ſellulariæ de-
ditis, Iſraelitæ paſtores, vitæ perpetuo actuoſæ aſſueti, fue-
70 - 86. rint inviſi. Monet quædam de Ægyptiorum dynaſtiis, illo-
rum annis, quos 12 menſibus conſtitiſſe affirmat, de *Seſoſtri-*
dis

Digitized by Google

dis ætate, de paſtoribus Arabibus cum paſtoribus Iſraelitis non confundendis. Adhæc diſcrimen facit odii, quo proſecuti fuerint Ægyptii Iſraelitas ante horum in terram Ægyptiacam ingreſſum, dum in illa hærerent, & poſteaquam eadem exceſſerint. Odii ratio repeti non poteſt a circumciſione, cum ipſi Ægyptii fuerint circumciſi, quam demum a tempore *Joſephi* admiſiſſe videantur. Primam hujus odii cauſam cum *Lightfooto*, & quibusdam aliis, repetit a plagis, quibus rex cum ſuis ob *Saram Abrahamo* raptam fuerit afflictus, quod cum tempore ita invaluerit, ut eadem menſa cum Iſraelitis uti noluerint. Progreditur ad ſpecialem rationem, quæ *Joſephum* moverit. Is cum Ægyptiis comedere potuit, quoniam primis temporibus menſæ inter res ſacras reputatæ non fuerant, at ſerioribus demum eſt introductum, ut Judæi cum alienigenis communem cibum haud caperent. Si more Ægyptiorum carnibus abſtinuit, factum illud eſt ſine ulla in animalia ſacra veneratione. Culpa vacat *Joſephus*, dum ſecundum leges Ægyptiorum convivales, aut aulicas, cibis eſt uſus, vel abſtinuit, cum in animo ejus nulla reſederit inclinatio Ægyptiorum numina colendi. Subdit teſtimonium *Tertulliani de Idolol. Cap. 17*. Circa abſtinentiam autem carnium apud Ægyptios, ratione habita *Joſephi*, obſervat, 1) dici non poſſe, ab illo tempore, quo animalia ſymbola numinum fuerunt habita, Ægyptios illis abſtinuiſſe; 2) ſi etiam Ægyptii animalium eſu abſtinuerint, ex alio quodam principio, quam motivo religionis, profectum eſſe potuiſſe. Sic, nonnullos populos illis abſtinuiſſe animalibus, quibus tamen alii victitarint, & quidem non religione ductos, ſed diverſis de cauſis politicis, multis adſtruit exemplis. Quare autem *Joſephus* neque cum Ægyptiis, neque cum fratribus ſuis, comederit, illius rei rationem allegat ſummam ipſius dignitatem, & quod fratribus ſe ſuis nondum cognoſcendum dare voluerit. Adhæc fieri potuit, ut apud Ægyptios regni prorex, regnique proceres, eidem menſæ non aſſiderent: ſaltem id ex *Homero*, *Athenæo*, *Plutarcho*, aliis, apparet, heroibus ſingulis ſeorſim dapes ſuas fuiſſe appoſitas, & cuique ſuam portionem aſſigna-

Pag. 85 - 97.
98 - 103.
103 - 106.
106 - 111.
112 - 121.
122 - 124.

Digitized by Google

Pag. 124-129. aſſignatam. *Joſephi* fratres erant alienigenæ & exteri; more igitur Ægyptiorum fas non erat, illorum epulis admitti. *Joſephi* dignitas erat ſumma ac regiæ proxima; quare, ut vilium paſtorum advenarum menſæ accumberet, non conveniebat.

129-132. Qui apud Ebræos cum regibus convivati fuiſſe dicuntur, illi non vere & proprie menſæ regis aſſederunt, ſed cibos tantum, ex regia menſa ſuppeditatos, acceperunt; quam ſententiam, a *Calmeto* productam, diverſorum populorum exemplis confirmat. Nec hoc a noſtri ævi moribus abludit. Quis credat narranti, paſtores, aliunde advenientes, in palatio proregis

132-143. ſummi convivio fuiſſe exceptos? Sub finem adducit quædam ex *Scaligeranis ſecundis*, quem *librum virulentiſſimum* nominat, ubi pronuntiatur, *Joſephum* in quibusdam ſe Ægyptiorum moribus accommodaviſſe. Denique, ſi *Joſephi* religio a Patribus fuit agnita, Scriptura de idololatria ipſi intentata ſilet, Ægyptii illa tempeſtate animalia tantum ut ſymbola proprietatum divinarum reſpexerunt, odium in Iſraelitas, non tam ex religionis diſcrepantia, quam ex malis, quæ Ægyptus propter illos paſſa erat, eſt exortum, in excipiendis denique fratribus leges convivales & illorum ſtatum obſervavit, *nullum fortius*, inquit, *aut ego fallor, deſiderari poterit Baſnagii licentiæ oppugnandæ, aut religioni Joſephi vindicandæ, argumentum.* Probavit Eruditiſſ. Autor in hoc Opuſculo copioſam lectionem & magnam induſtriam; ſed pondus argumentorum non ſemper tale eſt, quale ipſe vult videri. Chartæ & typorum nitor ſe cuicunque facile commendabit.

ALEXANDRI POLITI ORATIONES AD Academiam Piſanam. Ejusdem Animadverſionum in Euſtathium ad Dionyſium Periegetam Libri duo.

Romæ, 1742, 4.
Alph. 1.

Clariſſimus gemini hujus opuſculi Editor in primum conjecit octo, quas in Academia Piſana, illuc Florentia translatus,

latus, publice recitavit, Orationes. *Prima* literarum Græcarum neceſſitatem demonſtrat; *ſecunda* liberalium omnium artium neceſſitatem ad eloquentiam conſequendam oſtendit; *tertia* de literis humanioribus; *quarta* de univerſo diſciplinarum orbe; *quinta* de optimorum ſtudiorum aſſiduitate, differit. Sic enim habet inſcriptio nonnihil obſcura; evincere autem illa vult Oratio, ei, qui ad conſummati nomen eruditi adſpiret, adhibendam eſſe diligentiam, &, *quo quisque ſit doctior atque eruditior, eo majori ſtudio in omnem ei doctrinam & ſtudiorum genus eſſe incumbendum*, Oratio *ſexta* lectionis aſſiduitatem commendat. *Septima* rectum tradit ordinem ſtudiorum; *octava* tandem laudes Lotharingicas & Medicæas celebrat.

In his cum novi ſe nihil nobis offerat; alteram tantummodo partem, id eſt, animadverſiones in *Euſtathium, Dionyſii Periegetæ* interpretem, luſtrabimus. Variam & ſedulam monſtrat hic liber Græcorum lectionem, & in eo præcipue excellit, quod terræ figuram, qualem veteres mente conceperunt, rationem longitudinis & latitudinis, & dimenſionum per gradus, exponat. Brevem redigamus in conſpectum optima ejus argumenta. *Libri primi Capite primo* explicat Noſter inſcriptionem libri *Euſtathiani*, & varios titulos Palatini Byzantini, Ducas, (quam vocem rectius Δούκας, quam Δοῦκας, vel Δουκᾶς, ſcribi aſſerit,) Σέβαστος, πανσέβαστος, ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων, magnus Drungarius, &c. *Cap.* 2 de *Camateris*, & præcipue *Andronico Comatero*, & diverſis duobus monaſteriis, *Flori*, vel *Florentii*, & *Calliſtrati*, agit. *Cap.* 3 de magiſtro Rhetorum & cleri; *Cap.* 4 de vocibus περιηγήσει, *Periegeta*, κεστὲς, de tabulis veterum geographicis, τῷ ἐπιπέδῳ, & τῇ ἐπιπέδῳ καταγραφῇ, primis earum autoribus, *Anaximandro* & *Hecatæo* deinceps, Mileſiis, item *Cap.* 5 de *Democrito*, nec non de Byrſa Carthaginienſi, differit; *Cap.* 6, σφαίραν ἀπλανῆ, mundanam, aut cœleſtem, geographicam non fuiſſe, ſed aſtronomicam, demonſtrat contra *Harduinum*; ejus inventorem, ſeu primum κατασκευαστὴν, non fuiſſe *Atlantem*; porro de ſphæra κρικωτῇ *Archi-*

Archimedis agit, quam *Gellius* pertuſam, *Lactantius* cavum æs, appellarunt. Eam æneis circulis & lignea baſi conſtitiſſe, ſed vitro incluſam fuiſſe, docet. *Capite nono* redorditur ſermonem de voce periegeſis, periodus; de noſtro diſſerit, cujas fuerit; negat, illum *Characenum* fuiſſe, *Auguſti* æqualem & miniſtrum; quare *Suidas* eum Byzantinum crediderit, oſtendit. Differentiam Geographiam inter & Chorographiam, & utilitatem ſtudii geographici, declarat. *Cap. 11* de geographicis tabulis *Seſoſtris*, & aliorum regum Ægyptiorum, de Colchorum origine, & *Seſoſtris* in Scythiam & Thraciam Europæam expeditione; *Cap. 12* de peregrinationibus *Platonis*, *Ulyſſis*, aliorum, de variis *Dionyſiis Periegetis*, Corinthio, Samio, Rhodio, aliis, & tandem de noſtri ſcriptis, diſſerit.

Poſt hoc proœmium ad ipſam rem devenit *Libro ſecundo*, cujus *primo Capite* de voce παρεμβολαὶ, ἄκριτος, ἀψέῤῥοος, & de figura terræ ex mente veterum, agit. *Cap. 2*, quare fundæ illam compararint, & longitudinis initium ab occidente in orientem procedendo duxerint, latitudinem autem ab auſtro verſus boream extenderint, inquirit. Illos nempe crediſſe, ait, terram in occidente & oriente extremo eſſe acuminatas, at in ſeptentrionem & meridiem latius patere. Tum de habitabilis terræ dimenſione, numerisque graduum cis & trans æquatorem ſecundum veteres, diſſerit. Difficilem *Ciceronis* locum ex his principiis explicat, & refutat eos, qui, per vocem *vertices* ibi denotari *polos*, putant. *Cap 7* de Canopo, oſtio Canopico & Heracleotico, agit; *Cap. 8* de ſitu urbis Naucratis; *Cap. 9* de Aſiæ & Africæ terminis, Nilo & Tanai, eoque gemino, uno ſic vere, altero per abuſum ſic dicto, nempe Jaxarte. Mittimus reliqua.

Promittimus nobis multa bona ab hoc inſtituto, ſi continuetur; cujus rei ſpem finis opuſculi hujus facere videtur. Cum enim Clariſſ. *Politus* inſtructus ſit gemino hujus *Euſtathiani* operis Codice MSto, uno, quem ſuum appellat, altero, quem, quamvis etiam hujus dominus, in amici donatoris memoriam tamen *Monilianum* appellare mavult, e quibus quædam emendavit in his; ſpes eſt, fore, ut & in ceteris ſecuturis inde non pauca ſuæ integritati reſtituat. Quæ in his

his emendata ex dictis Codicibus obſervavimus, hæc ſunt: *pag. 121* ait, a Codicibus ſuis conjecturam *H. Stephani*, ὀφθαλμῶ καὶ διδασκαλία Μυςῶν, confirmari; *pag. 122* affert meliorem lectionem ſui Codicis αὐτὸ, pro vulgato αὐτὸν, in iſtis: καὶ εἰς κεςὸν ἂν ἐγγράφοιτο αὐτὸν: *pag. 125* inſignem exhibet emendationem loci, a tranſpoſitione corrupti, quem ſic reſtituere Codex *Monilianus* jubet: κατάρξας μὲν Ἀναξίμανδρος μαθητευσάμενος Θάλητι, Ἑκαταῖος δὲ μετ' αὐτὸν - - μετὰ δὲ, Δημόκριτος, καὶ τέταρτος Εὔδοξος: *pag. 147* paulo melius habet ejus Codex ἀποτεμνόμενος, quam ἀποτεμόμενος vulgatum eſt, in iſtis: ὡς εἴ τις ἐξ ὅλυ σώματος ἀποτεμόμενός τι: *pag. 48* ait, Codicem *Monil.* pro vulgato μετ' ȣ̓ πολὺ δὲ habere μετ' ȣ̓ πολλὰ δὲ. Sed id quidem non magni momenti. *Pag. 191* ex utroque affert περὶ ὧν ἐν οἰκείῳ τόπῳ ῥηθήσεται, pro vulgata lectione, cui vox τόπῳ deeſt.

Ipſe quoque ſuo ex ingenio non paucos paſſim emendat, ut *pag. 183* in iſtis *Strabonis*: ἡ δὲ Σινύεσσα ἐν Σετάνῳ κόλπῳ ἵδρυται, malit ἐν Βεσκιάνῳ, vel Βεσκιανῷ, κόλπῳ, ab urbe Auſonum Veſcia. *Pag. 197* *Procli* emendat Sphæram, in qua vulgo legitur, ubi de Canopo ſermo: ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ παντελῶς ἐςὶν ἀφανής: pro ultima voce Noſter recte ſcribit ἐμφανής. Utinam & præcedentia correxiſſet: ὅτος μὲν ἐν Ῥόδῳ μόλις θεωρητός ἐςιν, ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρατός. Nobis videtur veriſimile, ibi loci legendum eſſe: ἢ παντελῶς, εἰ μὴ ἀφ' ὑψηλῶν τόπων, ἀόρατος. *Pag. 199* pro iſtis vulgatis *Plinii* majoris: *Naucratis, unde oſtium quidam Naucraticum nominant, quod alii Heracleoticum, Canopico, cui proximum eſt, præferentes,* legendum ſuadet Noſter: *Naucratis, - - quod alii Naucratioticum, Canopico, cui proximum eſt, præferentes. Pag. 207*, pro iſtis vulgatis in veteri Paraphraſi *Periegeſeos Dionyſianæ*, ὑπερτετάνυςαι νοτώτερον, ἡρακλεωτικὸν ςόμιον, reponit in his ultimis εἰς ἡρακλ. ς. *Pag. 209* vitioſam vulgatarum ſcriptionem Ὀρεξάρτην pro Ἰαξάρτην in *Plutarchi Alexandro* taxat. *Pag. 123* in *Strabonis Lib. XVI* pro iſtis vulgatis: τοιαύτην ὑπερκειμένην ἔχȣσι τὴν Σιρβωνίδα, reponit τοιαύτη ἡ ὑπερκειμένη ἔχȣσα τὴν Σ.

Digitized by Google

Ex his utilitatem hujus opuſculi, vel non commendantibus nobis, intelligent veteris Geographiæ amatores.

LECTIO DE MUSCULIS, ET MOTU MUSCULorum, Sereniſſimo Principi, FRANCISCO MARIÆ PICO, Duci Mirandulæ, Aulæ Regis Catholici Præfecto majori, &c. nuncupata.

Romæ, ex typographia Komarek, 1743, 4
Plag. 3½.

Fuit hæc lectio ab *Antonio Cocchio*, publico Anatomes & Medicinæ Lectore, idibus Martii A. 1741, in Theatro Anatomico Archilycei Romani, ante excoriati cadaveris oſtenſionem, habita, & partim de ſingulorum fere muſculorum uſu obſervationes nonnullas continet, partim de motu muſculorum in univerſum. Sunt tamen illæ obſervationes tantum non omnes vulgares, & magnam partem ab aliis confutatæ. Quare breviſſimi eſſe in hac ſcriptiuncula recenſenda poterimus. Et, quemcunque actionis muſculorum modum admittamus, parum tamen veriſimile eſt, quod *Cocchius* de membrana muſculi, transverſisque fibris, habet, reliquas, ne, dum agant, dehiſcere poſſint, continentibus, quia potius ad eas firmandas dirigendasque factæ eſſe videntur. Obſcurum vero id eſt, quod de ſanguine per fibrarum ſpatia currente, ibique concreto, habet. Neque parum miramur, Autorem diviſionem illam muſculorum parum idoneam in caput & caudam ita admittere, ut ſphincteres tantum excipiat. Omittamus autem, quæ de dura matre, ut triventri muſculo, de rectis abdominis muſculis in lineam albam fibris ſuis commiſſis, de arca pectoris per ſubclavium, ſerratos ſuperiores, ſcalenos, & diaphragma, elevata, deque pericranii contractione, exponuntur, quæ, dum, maxilla luxata, fiat, illa ab *Hippocrate* in hoc caſu propoſita mala producat. Meliora ſunt, quæ de occipitalium muſculorum actione, atque de borborygmis, ſecundum *Heiſteri* atque *Gliſſonii* ſententiam, exponit. Contra parum nos intelli-

telligere fatemur, qua ratione ſcapula poſſit per trapezium latiſſimumque dorſi muſculum deprimi, tibia vero una ab altera a faſcia ſic dicta lata deduci. Nova etiam eſt, an quoque veriſimilior, dubitamus, de fibrarum carnearum extremis, centrum verſus ſe contrahentibus, opinio. Qui vero muſculos, dum agunt, inflari credunt, vix ſe abduci ab ea ſententia patientur hoc, quod *Cocchius* indureſcere potius muſculos contendit, quin potius, dum inflantur, indureſcere, neque ſine ratione, exiſtimabunt. Contra facile cum *Cocchio* credidimus, quando animal ex loco non moveatur, tamen muſculos non quieſcere, verum in æquali contractione eſſe. Neque, ſanguinem, improbabile eſt, tum mole, tum impetu, quibus fibrarum quaſi elaterem irritet, aliquid ad motum muſculorum conferre. Quæ vero his de convulſis æque ac torpentibus ſive per morbum, ſive per ſenium, muſculis ſubjiciuntur, tanquam in vulgus nota omittimus.

TRACTATIO CATOPTRICO-DIOPTRICA, IN qua focus lentium & ſpeculorum ſphæricorum ope regulæ algebraicæ utriſque communis determinatur a GOTTLIEB AUGUSTO MOSDORFFIO, continuata, & finita.

Vid. *Nova Acta Menſis Febr.* hujus *Anni pag. 79 ſeq.*

Problema VI.

XI. Ex regula generali deducere ſpecialem pro lentibus, ex quacunque materia confectis.

Solutio.

Si *OlmQR* eſt diaphanum, ſive vitreum, ſive ex alia materia confectum, ſphæricum tamen, radius *PI* ex *I* refringetur verſus *V*, hinc ſuperficiem anteriorem *rQm* in *Q* non attingit, ergo nec patitur ſecundam refractionem. In eo vero caſu, in quo radius irrefractus tranſmittitur, eſt $t = -b$, (§. X, *Cor.*) Hinc fit $v = b = rH$. Addatur $Or = c$, hinc $v + c = OH = z = \frac{-aq}{d-a-q}$ (§. IX, *Cor.*) =

Q 2 — *mad*

$\frac{-mad}{nd - na - md}$ (§. *VI Cor.*). Jam vero radius incidens *Pm* in *m* refringitur verſus cathetum *Sm*; ergo $d = \frac{cy - cr + pc + pr}{y - r + p}$ (§. *IX.*) $= (-nry + cmy - mcr - ncy) : (my - mr - ny)$ (§. *VIII, Cor. III*). Quod ſi in formula pro *z* modo inventa ſubſtituatur, erit diſtantia foci pro lentibus in genere $z = \frac{amnry - am^2cy + am^2cr + amncy}{2mncy - n^2ry - mncr - n^2cy - amny + amnr + an^2y + mnry - m^2cy + m^2cr}$

Q. e. f. Vid. *Tab. II Fig. 4* in *Menſe Febr.* hujus *Anni.*

Corollarium.

Sit $n : m = 3 : 2$. Ergo $z = \frac{6ary + 2acy + 4acr}{3ay - 3ry - cy - 2cr + 6ar}$ & $-z = \frac{6ary + 2acy + 4acr}{3ry + cy + 2cr - 3ay - 6ar}$ pro meniſcis vitreis. Ut igitur obtineatur formula pro lentibus, utrinque convexis, loco $+r$ ponendum eſt $-r$, hinc $-z = \frac{6ary + 4acr - 2acy}{3ry + 2cr + 3ay - cy - 6ar}$ quæ formula eſt eadem cum illa, quam propoſuit *Halley* in *Philoſoph. Tranſ. Num.* 205, modo in locum horum ſignorum illa ſubſtituantur, & obſervetur, eum diſtantiam foci ducere ab *O* verſus *V*, & *OV* apud illum eſſe $= +z$. In noſtra vero regula diſtantia foci in ſpeculis *OH* eſt $= +z$; ergo in lentibus, quæ focum poſt ſe rejiciunt, ea fit $= -z$.

Problema VII.

XII. Ex regula univerſali deducere ſpecialem pro ſpeculis ſphæricis ex quacunque materia confectis.

Solutio.

Si *OImQr* eſt ſpeculum, ex materia pellucida confectum, radius incidens *Pm* refringetur in *m* verſus *I*, unde reflexus refringetur denuo in *Q*, & ſecabit axem *OG* in *n*, ita ut ſit

rn

$rn = v = \frac{mbr}{nr + mb - nb}$ (*§. X Cor.*). Vid. *Tab. II Fig. 4 Menſis Febr.* hujus *Anni*. Porro, quia radius a ſuperficie *OI* reflexus efficit angulum reflexionis angulo incidentiæ æqualem, erit $q = d$ (*§. IX Cor.*). Et, quia *Pm* etiam in puncto *m* refringitur, erit jam angulus inclinationis ad angulum refractionis ut $n : m$, & $p = \frac{ny}{m}$,

hinc $x = \frac{nry}{ny + mr - my}$ (*§. VIII Cor. III*) $= rL$. Addatur $Or = c$, hinc $OL = d$ (*§. IX*) $= \frac{nry + ncy + mcr - mcy}{ny + mr - my}$ Jam vero per regulam *Dittonianam* eſt $z = \frac{ad}{2d - a}$ (*§. cit. Cor.*). Ergo, ſi loco *d* ejus valor ſubſtituatur, habebitur

$$z = \frac{anry + ancy + amcr - amcy}{2nry + 2ncy + 2mcr - 2mcy - any - amr + amy}$$

Quodſi in valore *v* modo invento ſubſtituatur $b = z - c$, erit univerſaliter $v =$

$$(amnr^2 y - 2cmnr^2 y - 2mnc^2 ry - 2c^2 m^2 r^2 + 2c^2 m^2 ry + 2acmnry + 2acm^2 r^2 - 2acm^2 ry)$$
$$: (2n^2 r^2 y + 4n^2 cry + 4mncr^2 - 4mncry - amnr^2 + 2amnry - 4mnc^2 y - 3m^2 c^2 r + 2c^2 m^2 y + 4acmny + 2acm^2 r - 2acm^2 y + 2n^2 c^2 y + 2mnc^2 ry - 2an^2 r - 2an^2 cy - 2amncr)$$

Q. e. f.

Corollarium.

Habemus igitur regulam univerſalem pro omnibus ſpeculis, ex quacunque materia confectis. Jam facile erit ſpecialiorem pro ſpeculis vitreis inde derivare. In his enim eſt $n : m = 31 : 20$ (*§. III. Sch.*). Ergo diſtantia foci $v = (310a^2 ry - 620cr^2 y - 220c^2 ry - 400c^2 rz + 220acry - 400acr^2) : (961r^2 y + 682cry + 620cr^2 - 310ar^2 - 341ary + 121c^2 y + 220c^2 r - 121acy - 220acr.)$ Vid. *Tab. II Fig. 4 Menſis Februar.* hujus *Anni*. Vel, ſi brevitatis & commoditatis gratia ponitur $n : m = 3 : 2$, erit

$$v = \frac{3ar^2y + 2acry + 4acr^2 - 6cr^2y - 2c^2ry - 4c^2r^2}{9r^2y + 6cry + 6cr^2 - 3ar^2 - 3ary - acy - 2acr + c^2y + 2c^2r}$$

Et, ſi in regula univerſali craſſities ſpeculi negligitur, fiet $v = amry : (2nry - amr + 2amy - 2any)$. Quodſi ſit $a = r$, erit $v = ry : 2y - r$. Ergo regula noſtra quadrat etiam ad ſpecula metallica (*§. VIII Cor. II*).

TAB. III Fig. 2. XIII. Radius *Pm*, ſi a ſuperficie *rQm* non refringitur, ſed reflectitur in *L*, quod ſupponendum eſt, ſi $p = y$, non pervenire poterit ad ſuperficiem *OI*. Attamen, ſi fingas, eum continuari ad punctum *I*, reflectetur radius a puncto *I* in *Q*, & in *Q* aut iterum reflectetur, aut refringetur, prouti reactio puncti *Q* eſt vel poſitiva, vel negativa. Punctum *A* ergo dat focum imaginarium in hoc caſu; verus enim focus eſt in puncto *L*. Idem valet in omnibus caſibus reliquis, in quibus radius ab una ſuperficie ita refringitur, vel reflectitur, ut alteram ſuperficiem attingere nequeat. Semper enim in ejusmodi caſibus regula generalis determinat focum tantummodo imaginarium. Si igitur verum deſideras, debebitur regula ita determinari, ut reactio illius ſuperficiei, quam non attingit, tanta ſit, ut, ſi radius in illam incideret, ſuperficies ejus directionem non mutare poſſit. V. c. cum ex formula generali deducere vellemus ſpecialem pro lentibus, ponendum erat $t = -b$ (*§. XI*), idque eum in finem, ut refractio in puncto *Q* ceſſaret. Vid. *Tab. II Fig. 4 Menſis Febr.* hujus *Anni*. Si enim formula ita non determinatur, fingendum erit, radium refractum *VI* continuari in *B*, & ibi altera vice refractum ſecare axem in puncto *A*, quod tunc eſſet focus imaginarius.

Fig. 1. XIV. Nonnunquam radius reflexus *IQ* ſecat axem *OS* in *K*, antequam fuerit altera vice in ſuperficie anteriori refractus. Focus igitur verus in hoc caſu eſt *K*, ad cujus diſtantiam ab *n* inveniendam ponatur in regula pro *v* inventa $t = -b$ (*§. XIII*); hinc fit $v = b = \dfrac{aq - dc + ac - qc}{d - a + q}$ (*§. X*). Si igitur *IK* ita reflectitur, ut ſit $SIM = KIS$, erit

TAB.



Google

Digitized by Google

erit $q = d$. Ergo $b = v = \frac{ad + ac - 2dc}{2d - a}$. Jam verò pro ſpeculis ex pellucida materia confectis eſt $d = \frac{-nry + cmy - mcr - ncy}{my - mr - ny}$ (§. *XI*). Hinc $v = $

$$\frac{2acmy - 2acmr - 2acny - anry - 2c^2my + 2cmry + 2c^2mr + 2c^2ny}{2cmy - 2nry - 2cmr - 2ncy - amy + amr + any}$$

& pro ſpeculis vitreis, ſi $m : n = 2 : 3$, erit $v = \frac{3ary + 4acr + 2acy - 6cry - 4c^2r - 2c^2y}{6ry + 4cr + 2cy - ay - 2ar}$ = diſtantiæ foci *Kn* ab anteriori ſuperficie *pnm*. Et quidem punctum *K* in hoc caſu eſt focus verus. Datur vero etiam in hoc ſpeculo focus opticus. Radius enim *IK*, poſtquam axem *OS* in *K* ſecuit, denuo refringitur a ſuperficie *mnp* in puncto *p*, & quidem a perpendiculo *pG* verſus *R*, unde continuatus ſecabit axem in puncto *r*. Hoc igitur jam eſt focus opticus radiorum, ex *L* venientium. Itaque regula, in Paragrapho data, determinat focum verum *K*, & altera, §. *XII* exhibita, focum opticum. TAB. III Fig. 1.

XV. Radii, ex diſtantia infinita venientes, ſunt paralleli. Sed ſolis diſtantia reſpectu diametrorum & craſſitiei ſpeculi tanta eſt, ut juſte pro infinita haberi poſſit. Radii ergo ſolares ſunt ſibi invicem paralleli. Ut igitur inveniatur focus radiorum ſolarium, ponatur $y = \infty$. Hinc

$$v = \frac{3ar^2 + 2arc - 6cr^2 - 2c^2r}{9r^2 + 6cr - 3ar - ac + c^2}, \text{ vel accuratius}$$

$$= \frac{31ar^2 - 620cr^2 - 220c^2r + 220acr}{961r^2 + 682cr - 341ar + 121c^2 - 121ac} \quad (\text{§. } XII \text{ Cor.})$$

Scholion.

Quæ in hac Paragrapho de radiis ſolaribus diximus, valent tantummodo de radiis, ex unico puncto ſolis, eoque in axe ſpeculi conſtituto, emanantibus. Radii enim ex ceteris punctis

ctis ſolis emanantes colliguntur in aliis punctis, extra axem ſpeculi ſitis, unde latitudo foci ortum trahit, quippe in quo re vera ſolis imago repræſentatur, cujus ſitum & magnitudinem in poſterum eadem methodo determinabimus. Ceterum patet inde, quam falſo vulgo ſpecula cauſtica parabolica pro optimis habeantur, cum tamen non niſi radios axi parallelos, id eſt, ex unico puncto ſolis venientes, ad focum deferant, ceteros autem irregulariter huc, vel illuc, reflectant. Radios autem, ex unico puncto ſolis venientes, ad urendum non ſufficere, docent experimenta, tempore eclipſium ſolarium inſtituta. Sole enim ultra dimidium obſcurato, vix mediocres lentes cauſticæ aliqua urendi vi gaudere ſolent. Unde non mirum, effectum votis eorum non reſpondiſſe, qui ſpeculis parabolicis & ellipticis uſi ſunt, ad objecta remota incendenda.

XVI. Experientia teſte non omnes radii, in ſuperficiem vitream *rQm* incidentes, per illam tranſeunt, ſed haud pauci ab illa reflectuntur, &, ſi a diſtantia infinita veniunt, uniuntur cum axe *rS* ita, ut diſtantia foci a ſuperficie *rQm* ſit $= \frac{r}{2}$. Sed radii, dictam ſuperficiem tranſeuntes, & in *I* reflexi, poſſunt colligi in alio puncto axis. Si igitur omnes in eodem colligi debent, ponendum $v = \frac{r}{2} = \frac{31ar^2 - 620cr^2 - 220c^2r + 220acr}{961r^2 + 682cr - 341ar - 121c^2 - 121ac}$, hinc $a = \frac{961r^2 + 1922cr + 319c^2}{961r + 561c}$. Speculum itaque, cujus ſemidiameter *a* eſt valoris modo inventi, colliget omnes radios ejusdem refrangibilitatis in eodem foco cum reflexis ab anteriori ſuperficie. Et, quamvis hoc modo colores evitari nequeant, tamen ejusmodi ſpeculum non ſine omni uſu in tubis *Newtonianis* adhiberi poſſe putaverim, modo craſſities *c* reſpectu ſemidiametri *r* ſit exigua. Hoc enim ſi ſit, ſuperficies poſterior anteriori erit fere parallela; hinc præter indica-

Digitized by Google

dicatam utilitatem, eam etiam præſtant, quam ejusmodi ſpeculis attribuit *Newton. Lib. I P. I Exper. XVI p. m. 76*, quod ſcilicet ad evitandos colores ſint maxime accommodata. Sed facile patet, ejusmodi ſpeculum omni, qua fieri poteſt, cura debere eſſe confectum.

XVII. Quemadmodum autem ex natura ſpeculi invenitur diſtantia foci; ita etiam ex hac poteſt inveniri illa. Eſt enim, ſi craſſities ſpeculi negligitur, diſtantia foci radiorum parallelorum $= v = \frac{ar}{3r - a}$ (*§. XII. Cor.*). Ergo $a = \frac{3rv}{r + v}$. Si ergo deſideras, ut focus determinatam diſtantiam a ſpeculo habeat, poterit ex hac & diametro una inveniri altera. Patet autem ex hac regula, ſemidiametrum a creſcere una cum diſtantia foci. Si enim $v < \frac{r}{2}$, erit $\frac{3rv}{r + v} < r$, ſi $v = \frac{r}{2}$, erit etiam $\frac{3rv}{r + v} = r$, &, ſi $v > \frac{r}{2}$, eſt quoque $\frac{3rv}{r + v} > \frac{r}{2}$. Nec tamen ſemidiameter a in infinitum accreſcere poteſt. Si enim $v = \infty$, erit $a = 3r$. Si vero diſtantia foci eſt infinite magna, major eſſe nequit. Ergo in maxima foci a ſpeculo diſtantia a non eſt $> 3r$.

Scholion.

Secundum hancce igitur theoriam conſtrui poſſet ſpeculum ex diametris non magnis, quod focum in infinitum projiceret. Sed vereor, ne, dum nimis ille diſtat a ſpeculo, ejus virtus quoque nimis infringatur. Cum enim radii ad focum tendentes per aerem tranſeant, hic autem non modo per ſe ſit aliqua ex parte opacus, verum etiam ſæpenumero multos contineat vapores, qui radios incidentes partim refringunt, partim reflectunt, & præterea quoque diverſa radiorum refrangibilitas diverſos focos efficiat, qui, uti infra oſtendetur, eo magis a ſe invicem diſtant, quo magis foci a ſpeculo ſunt remoti, ſequitur, ut eo pauciores radii in foco colligantur, quo longior eſt diſtantia foci. Accedit & hoc incommodum,

 quod

Digitized by Google

quod in foco re vera repræſentetur imago ſolis, quæ ſit eo major, quo longius focus a ſpeculo diſtat, uti in altera Parte deconſtrabimus; quo major autem hæc eſt, eo minores effectus ab ejusmodi ſpeculo ſperare licet. Id quod a plerisque, qui de augenda diſtantia foci ope ſpeculorum ſphæricorum, vel lentium, cum ſpeculis connexarum, cogitarunt, neglectum eſſe, miror. Si igitur ejusmodi ſpeculo objectum remotum incendi debet; opus eſt, ut plura ſpecula ſibi jungantur, quibus defectus, ex dictis cauſis ortus, ſuppleatur. Multitudinem vero experientia determinare debet. Illud autem cuilibet patet, eo paucioribus ſpeculis opus eſſe, quo majores ſunt diametri, & conſequenter ſuperficies ſpeculorum.

XVIII. Poſſunt quoque ex regula generali deduci ſpeciales pro ſpeculis utrinque convexis, vel utrinque concavis, nec non pro iis, quorum ſuperficies poſterior concava, anterior vero convexa, vel quorum una ſuperficies eſt plana, &c. ex quibus potiores tantum attingemus. Plerumque in ſpeculis vitreis ſuperficies anterior relinquitur plana; ad inveniendam igitur diſtantiam foci in ejusmodi ſpeculo, ponatur $r = \infty$, hinc $v = \frac{a - 2c}{3}$. Si loco $+ r$ ponitur $- r$, erit pro ſpeculis utrinque convexis $v = \frac{3ar^2 - 2acr - 6cr^2 + 2c^2r}{9r^2 - 6cr + 3ar - ac + c^2}$.

In hoc igitur caſu focus eſſe poteſt tam verus, quam opticus, pronti radius reflexus ſecat axem, vel ante, vel poſt, ſecundam refractionem. Si ergo contingeret, ut focus eſſet intra ſpeculum, ejus diſtantia invenitur eodem modo ex regula, §. XIV exhibita. Ponamus, ſpeculum eſſe ſphæram integram *OmPR*. Hujus ergo focus invenitur, ſi ſit $a = r$ & $c = 2r$; hinc $HP = v = -\frac{5a}{2}$ = diſtantiæ foci optici ab anteriori ſuperficie. Si loco $+ a$ ponitur $- a$, ſpeculum ſit utrinque concavum, in quo eſt $Of =$

TAB. III Fig. 3.

Fig. 4.

$$v = \frac{-3ar^2y2acry - 4acr^2 - 6cr^2y - 2c^2ry - 4c^2r^2}{9r^2y + 6cry + 6cr^2 + 3ar^2 + 3ary + acy + 2acr + c^2y + 2c^2r}$$

Hu-

Hujus ergo ſpeculi focus ſemper eſt poſt ſpeculum, quantacunque ſit diſtantia puncti radiantis, vel craſſities & diametri ſpeculi. Sed, miſſis hiſce, convertimus nos ad conſtructiones geometricas noſtrarum regularum, quarum potiores in ſequentibus ope hyperbolæ exhibebimus.

XIX. Antequam harum regularum conſtructiones adeamus, opus erit, ut varios, qui occurrere poſſunt, caſus a ſe invicem ſeparemus. Sunt enim ſuperficies ſphæricæ, in quas incidit radius, vel concavæ, vel convexæ, & in utroque caſu radii aut ſunt divaricantes, aut demum poſt ſuperficiem cum axe uniuntur, uti in *§. VIII Cor. IV* oſtendimus. Sed ex *cit. Cor.* patet, ſi radii incidentes poſt ſuperficiem cum axe concurrant, perinde eſſe, ac ſi radii divaricantes *PI* inciderent in ſuperficiem convexam *DIO*, hinc ſingulari conſtructione opus non eſſe. Ideoque exhibebimus tantum curvam pro ſuperficiebus concavis, & convexis. Et quidem in conſtruenda prima regula reactionem plani p loco abſciſſæ aſſumemus, ideoque diſtantia puncti radiantis inter quantitates conſtantes erit referenda.

Problema VIII.

XX. Deſcribere curvam, cujus abſciſſæ exhibeant reactiones plani ſphærici concavi, in quod radius incidit, ordinatæ vero diſtantias foci ab iſto plano. TAB. III Fig. 5.

Solutio.

Deſcribatur hyperbola intra aſymptotos *AO* & *AE*, cujus potentia $BC^2 = ry - r^2$. Fiat $AS = ET = r$, & ducatur *ST* parallela del. *AM*. Ex puncto *T*, in quo *SP* hyperbolam ſecat, ducantur abſciſſæ *TP*, vel $Tn = p$, dico, ordinatas *Mm* fore diſtantias foci in ſpeculis, & *Qn* in diaphanis.

Demonſtratio.

Quia $BC^2 = ry - r^2$ & $TE = r$, erit $AE = ST = y - r$. Hinc $SP = y - r + p = AM$. Sit $Pm = x$. Ergo $Mm = r - x$. Jam vero eſt

$$BC^2 = AM. Mm$$
$$ry - r^2 = (y - r + p)(r - x)$$
$$ry - r^2 = ry - r^2 + pr - xy + rx - px,$$

hinc $x = \frac{pr}{y - r + p} = Pm =$ diſtantiæ foci in ſpeculis. (§. *VIII*) Q. e. p.

Cum Tn ſit $= p$ (per conſtr.), erit $Sn = ST - Tn = y - r - p$ (per Dem. I.) Quia ordinatæ Pm ſunt $= + x$, erunt jam $Qn = - Pm = - x$; conſequenter $QN = r + x$, & $BC^2 = Sn. QN$

$$ry - r^2 = (y - r\ p)(r + x);$$

hinc $- x = \frac{- pr}{y - r - p} = QN =$ diſtantiæ foci in diaphanis. (§. *VIII Cor. III*) Q. e. a.

Corollarium I.

TAB. III Fig. 5. Quia facile fieri poteſt, ut fiat $Tn > TS$, id eſt, $p > y - r$, deſcribenda eſt alia hyperbola RSK inter aſymptotos AR & AK, cujus potentia itidem $= ry - r^2$. In his exprimunt ordinatæ nq deſideratas diſtantias. Sit enim $qn = x$. Quia $nN = AS = r$ (per Dem. I) erit $Nq = x - r$. Porro, cum ſit $Tn = p$ & $TS = y - r$, fiet $Sn = AN = p - y + r$; hinc

$$ry - r^2 = (p - y + r)(x - r)$$

$$x = \frac{- pr}{y - p - r} = nq = \text{diſtantiæ foci in diaphano.}$$

Corollar. II.

Si $p < y - r$, erit $y - r - p$ quantitas poſitiva. Ergo ordinatæ $Qn = x = \frac{- pr}{y - r - p}$ exprimunt diſtantias foci, quamdiu eſt poſt diaphanum. Si vero $p > y - r$, erit $y - r - p$ quantitas negativa; hinc valor ordinatarum $qn = x = \frac{- pr}{y - r - p}$ eſt poſitivus, ideoque per has exprimuntur diſtantiæ foci, quamdiu eſt ante diaphanum.

Corol-

Digitized by Google

Corollar. III.

Si $TP = p$ ſit $= \infty$, punctum m cadit in M, hinc PM, id eſt, $x = r$. Ergo concurſus radiorum eſt in centro ſpeculi, quæ eſt maxima foci diſtantia. Et, ſi $Tn = p = \infty$, punctum q cadit in punctum N, hinc $qn = Nn = r$. Ergo etiam in hoc caſu eſt $x = r$, & focus in centro diaphani. Id quod etiam ex *Tab. II Menſ. Febr. Fig.* 2 patet. Cum enim AC, vel IF, ibi exprimat reactionem plani AK, & tendentia AI, vel DE, ſemper immutata maneat, ſequitur, ut diagonalis IC per centrum G tranſire non poſſit, niſi angulus CIG fiat nihilo æqualis, id eſt, ſi reactio AC fiat infinita. Idem valet de diaphanis. In his enim exprimit AS, vel AQ, actionem perpendicularem radii, poſtquam in ſuperficiem OIK incidit. Hinc QI eſt diagonalis parallelogrammi, ex tendentiis QA & AI compoſiti, quæ continuata ſecat axem OL in R. Hæcce ergo non poteſt tranſire per centrum G, niſi fiat angulus GIR, vel $QIT = o$, id quod accidit, ſi QA eſt infinita. Denique, ſi $p = o$ ordinatæ Pm cadunt in punctum T, hinc ſunt quoque nihilo æquales. Si enim in *Tab. II Menſ. Febr. Fig.* 2 actio perpendicularis AC, vel $AQ = o$, reſtabit tantum actio AI, hinc radii directio erit recta IAP (*§. IV*), & focus eſſet in P. Sed, quia angulum IGO ſupponimus infinite parvum, cadet punctum P in O, ideoque diſtantia foci eſt $= o$. Quod vero ad variationem foci, in *Cor. II* annotatam, attinet, poteſt hæc quoque ex eadem *Figura* demonſtrari. Si enim $p = Ab$, directio erit bI, & focus in puncto W, conſequenter poſt diaphanum. Si Ab accreſcat in S, ut fiat $AS = p = y - r$, directio radii erit SI, ad axem PL parallela, hinc foci diſtantia eſt infinita. Si vero AS ulterius accreſcat, v. g. in Q, ut ſit $p > y - r$, linea directionis QI ſecabit axem ante diaphanum in R, hinc R eſt focus imaginarius.

Scholion.

In eo caſu, in quo novam hyperbolam RLK deſcribendam eſſe diximus, res etiam brevius expediri poteſt. Etenim, ſi abſciſſæ AN, id eſt, differentiæ reactionis p & lineæ $AL = y - r$, quæ ducebantur ab A verſus R, transferantur TAB. III Fig. 5.

 ex

Digitized by Google

ex *A* verſus *E*, quilibet videt, ordinatas *QN* exprimere deſideratas diſtantias.

Problema IX.

TAB. III Fig. 5. XXI. Invenire curvam, cujus ordinatæ exprimant diſtantias foci, in quo radii a ſuperficie convexa reflexi, vel refracti, colliguntur.

Solutio.

Deſcribatur hyperbola intra aſymptotos, cujus potentia $= ry + r^2$. Ducatur *SP* ita, ut ſit $AS = TE = r$. Fiat *TP*, vel $Tn = p$, & erunt in illo caſu lineæ *Pm* diſtantiæ foci in ſpeculis; in hoc vero ordinatæ *Qn* exprimunt diſtantias ejus in diaphanis.

Demonſtratio.

Quia $BC^2 = ry + r^2$, & $TE = r$, erit $GT = r + y$. Et, cum ſit $TP = p$, habebitur $SP = r + y + p$. Vocetur $Pm = -x$. Ergo $Mm = r - x$; hinc

$$ry + r^2 = (y + r + p)(r - x)$$
$$ry + r^2 = ry + r^2 + pr - xy - rx - px$$
$$-x = \frac{-pr}{y + r + p} = Pm. \qquad \text{Q. e. p.}$$

Porro, ſi $Tn = p$, erit $Sn = y + r - p$. Ergo, ſi $Qn = -Pm = +x$, QN eſt $= r + x$; hinc

$$ry + r^2 = (y + r - p)(r + x)$$
$$x = \frac{+pr}{y + r - p} = Qn \doteq \text{diſtantiæ foci in diaphanis.}$$

Q. e. a.

Corollar. I.

Quia valor ordinatarum *Pm* eſt negativus, focus in ejusmodi ſpeculis debet eſſe poſt ſuperficiem reflectentem, quod etiam obtinet in diaphanis, ſi $p > r + y$, nimirum ſi diſtantiæ foci exprimuntur per ordinatas *qn*, in altera hyperbola *RLK* ductas. Si vero $p < r + y$, rectæ *Qn* ſunt $= + x$, & exprimunt diſtantias foci virtualis. Etenim, ſi *P* ſit punctum radians in *Tab. II Fig. 3 Menſ. Febr.* & *DM* reactio plani *DI*, directio

ctio radii erit *MI*, quæ continuata ſecat axem in *H*. Ergo focus eſt poſt ſpeculum. Si vero ſuperficies *OID* eſt pellucida, actio perpendicularis radii, poſtquam in eam incidit, erit *DZ*, & *IZ* directio radii; focus ergo eſt in *X*, conſequenter ante diaphanum. Prouti autem creſcit *DZ*, ita etiam focus *X* recedit a plano *OID*, donec infinite ab illo diſtet. Quodſi tunc actio *DZ* accreſcat ulterius, focus incipiet eſſe poſt ſuperficiem *OID* in illo puncto, in quo linea *XIZ*, quæ quaſi circa punctum *I* rotatur, axem *OG* ſecat.

Corollarium II.

Si puncti radiantis diſtantia eſt $= - y$, pro foco ſpeculorum eſt $x = \frac{pr}{y+r+p}$, pro diaphanis autem $x = \frac{-pr}{y+r-p}$ (*§. VIII Cor. III*). Ergo etiam pro ſpeculis ordinatæ *Pm*, & pro diaphanis ordinatæ *Qn*, vel *qn*, focorum diſtantias exprimunt. (*§. XIX.*) Hac tamen obſervata differentia, quod focus in ſpeculis ſit ante, in diaphanis vero poſt, ſuperficiem *OID*. Unde denuo patet, hunc caſum ſeparata conſtructione non indigere.

Scholion.

Eodem modo etiam proceditur in conſtruendis regulis, *§. IX* & *X* inventis. Sed, quia in hac conſtructione diſtantia puncti radiantis inter conſtantes referri debet, eaque in his formulis exprimitur per *d* & *b*, non poterit inveniri diſtantia foci, niſi prius dictæ quantitates inventæ fuerint, quod operationem moleſtam efficit. Quamobrem, miſſa formula generali, progredimur ad ſpecialem pro ſpeculis, *§. XII* inventam, in qua tamen brevitatis gratia craſſitiem ſpeculi *e* negligere licebit.

Problema X.

XXII. Deſcribere curvam, cujus ordinatæ exprimant diſtantias foci in ſpeculis, ex quacunque materia confectis. TAB. III Fig. 6.

Solutio.

Deſcribatur hyperbola æquilatera *BTP* intra aſymptotos *HA*

HA & *AK*, cujus potentia $BC^2 = \frac{a^2 r^2}{(2r - 2a)_2} = NC^2$. Fiat $AN = \frac{2a^2 ry - a^2 r^2}{y(2r - 2a)^2}$, (vel, ſi $y = \infty$, fiat $AN = \frac{2a^2 r}{(2r - 2a)^2}$). Ex puncto *E*, cujus diſtantia ab *N* ſit $= \frac{ar}{2r - 2a} = BC$, erigatur perpendicularis *ER*, & fiat $NR = m$.

TAB. III Fig. 6. Hinc, ſi ſit $ON = n$, & ducitur parallela *ER* ad *PO*, ordinata *PK* exprimet deſideratam diſtantiam.

Demonſtratio.

Quia $NR : NO = NE : NK$ (per conſtr.) erit $m : n = \frac{ar}{2r - 2a} : \frac{anr}{m(2r - 2a)}$. Hinc, cum ſit $AN = \frac{2a^2 ry - a^2 r^2}{y(2r - 2a)^2}$, fiet $AK = AN + NK = \frac{2a^2 ry - a^2 r^2}{y(2r - 2a)^2} + \frac{anr}{m(2r - 2a)}$ Eſt autem $BC^2 = AK . PK$. Ergo, ſi $PK = v$, habetur $\frac{a^2 r^2}{(2r - 2a)^2} = \left(\frac{2a^2 ry - a^2 r^2}{y(2r - 2a)^2} + \frac{anr}{m(2r - 2a)}\right) v$ & $v = \frac{amry}{2amy - amr + 2nry - 2any} = PK$ (§. XII. Cor.) Q. e. d.

Corollarium I.

Sit $a > r$. Ergo valor lineæ *NE* ſit negativus. Ideoque fiat $NE = \frac{ar}{2a - 2r}$, & *NR* continuetur verſus *Q*. Quodſi fiat $TN : NR$ $n : m$, & per punctum *T* ducatur ordinata *pk*, erit hæc diſtantia foci in illo caſu. Eſt enim

$$NR : NE = TN : KN$$
$$m : \frac{ar}{2a - 2r} = n : \frac{anr}{m(2a - 2r)}$$

Hinc

Hinc $AK = AN - kN = \frac{2a^2ry - a^2r^2}{y(2r - 2a)} - \frac{anr}{m(2a - 2r)}$. Sit $pk = v$. Ergo $\frac{a^2r^2}{(2r - 2a)^2} = \left(\frac{2a^2ry - a^2r^2}{y(2r - 2a)^2} - \frac{anr}{2ma - 2mr}\right)v$,

ſive $\frac{a^2r^2}{2r - 2a^2} = \left(\frac{2a^2ry - a^2r^2}{y(2r - 2a)^2} + \frac{anr}{2mr - 2ma}\right)v$.

Hinc $v = \frac{amry}{2amy - amr + 2nry - 2any} = pk$.

Si ergo fiat $n = NQ$, diſtantia foci erit ordinatæ HA æqualis, TAB. III Fig. 6.
quæ cum ſit ipſa aſymptotos, & conſequenter hyperbolam non niſi in diſtantia infinita ſecet, ſequitur, ut etiam diſtantia foci ſit infinita. Si vero QN accreſcat ulterius, & fiat v. g. $= VN$, deſcribenda eſt nova hyperbola GMV, cujus una aſymptotos eſt AH, & altera AG, potentia autem $AL^2 = BC^2$. Quo facto, ſi producatur QN in V, erit hæc deſiderata diſtantia foci, & quidem focus tunc erit poſt ſpeculum.

Corollarium II.

Si radii incidentes ſunt paralleli, & $a : r = 961 : 341$, nec non $m : n = 20 : 31 = 50 : 77\frac{1}{2}$, erit $n = QN$. Ratio autem $50 : 77\frac{1}{2}$ eſt pro radiis viridibus & ex parte cæruleis; ergo dictorum radiorum focus infinite diſtat. Et, cum pro radiis rubris ſit $m : n = 50 : 77\frac{1}{8}$, erit in hoc caſu $n < QN$ & v. g. $= TN$. Unde horum focus eſt ante ſpeculum, ejusque diſtantia $= pk$. Denique, ſi $m : n\ 50 : 78$ pro violaceis, fiet $n > QN =$ v. g. $= VN$. Ergo horum focus eſt poſt ſpeculum (*Cor. I*). Unde patet, focos radiorum diverſe refrangibilium admodum a ſe invicem eſſe remotos. Quod cum in aliis caſibus eodem modo oſtendi poſſit, confirmantur inde, quæ in *Schol.* ad *§. XVII* monuimus.

Scholion.

Patet inde, hoc theorema uſum præſtare in determinandis focis radiorum diverſe refrangibilium. Si enim fiat $NR = 50$, & NO ſucceſſive exprimatur per 77, $77\frac{1}{8}$, $77\frac{1}{5}$, $77\frac{1}{3}$, &c. uti *Newton. Lib. I P. II Exp. VII* rationes ſinuum invenit, ordinatæ PK, pk, exprimant focorum diſtantias, quæ ex di- Fig. 6.
verſa refractione in vitro oriuntur. Poſſunt quoque ope hu-

S jus

jus conſtructionis foci ſpeculorum, ex diverſa materia confectorum, inter ſe conferri. Quid? quod, ſi diſtantia foci *PK* jam ſit cognita, inveniri poteſt ratio anguli inclinationis ad angulum refractionis in eadem hyperbola. Producatur enim *PK* in *O*, & erit $NO : NR = n : m$. Poteſt etiam *NO* inveniri in quibuscunque velis partibus. Fiat enim $NR = 100$, & habebitur quoque *NO* in partibus centeſimis; ſi vero $NQ = 60$, invenietur *NW* in partibus ſexageſimis. Longitudo enim lineæ *ER* nihil determinat, ſed ſemper eſt $ND : NW = NR : NO = m : n$. Hinc, ſi fiat $m = NE$ $= BC = \frac{ar}{2r - 2n}$, non opus erit normali *ER*, vel *KO*, ſed, ſi $NK = n$ exprimitur in partibus radicis potentiæ hyperbolæ BC^2, erit itidem *PK* deſiderata foci diſtantia.

Problema XI.

TAB. III Fig. 5. XXIII. Delineare curvam, cujus ordinatæ exprimant diſtantias foci in ſpeculis vitreis.

Solutio.

Deſcribatur hyperbola *RLK*, cujus potentia $bc^2 = \frac{a^2 r^2}{(3r - a)^2}$. Ad aſymptoton *AR* ducatur parallela *Sn*, ita ut ſit $AS = nN = bc = \frac{ar}{3r - a}$. Fiat poro $AC = bc = AS$ & $CN = y$. Hinc ordinatæ *nq* expriment diſtantias foci in ſpeculis vitreis, quorum ſcilicet craſſities eſt exigua.

Demonſtratio.

Sit $nq = v$, ergo $Nq = nq - Nn = v - \frac{ar}{3r - a}$. Jam vero eſt $NC = y$, & $AC = \frac{ar}{3r - a}$ (per conſtr.). Ergo $NA = y - \frac{ar}{3r - a}$. Cum igitur ſit $bc^2 = AN . Nq$, erit, $\frac{a^2 r^2}{(3r - a)^2} = \left(y - \frac{ar}{3r - a}\right)\left(v - \frac{ar}{3r - a}\right)$. Hinc $v = \frac{ary}{3ry - ay - ar} = KH$. (§. XII Cor.). Q. e. d.

DE

DE NUMIS PATRIARCHARUM AQUIlejenſium Diſſertatio.

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Paſquali, 1747, 8.
Plag. 5, Tabb. æn. 5.

Autor hujus libelli eſt F. *Bernardus M. de Rubeis*, Ordinis Prædicatorum, qui eum Eminentiſſ. & Reverendiſſ. *Danieli* Cardinali *Delphino*, Patriarchæ Aquilejenſium, inſcripſit. Is eſt, cujus patrocinio tabularia publica excuſſit Autor. Reperit autem inter *Poponis*, Patriarchæ, præclare geſta, factam illi a *Conrado*, Imperatore hujus nominis primo, Germanorum Rege ſecundo, monetam cudendi facultatem regio decreto, quod in *Eccleſiæ Aquilejenſis Monumentis* recenſuit Noſter. Adhæc in manibus erant tabulæ duæ, juſſu *Nicolai* & *Ludovici Turriani*, Patriarcharum, confectæ, quæ cum monetam cudente rationes initas complectuntur, ſignandæque monetæ argenteæ pondus exhibent, & notam, & examen. Licet iſtæ Sibyllæ foliis magis ambiguæ viderentur, attamen, cum ſæpius excuterentur, ex ſilice proſiliit ignis. Iſtos hic offert conatus, tales quippe, qui judicium ſapiant acutiſſimum. Memoratas tabulas *Caput* ſtatim *primum* ſiſtit, ut alterum *Conradi* decretum, quo facultatem conceſſit *Poponi* numos argenteos cudendi, Veronenſis monetæ denariis pares, vel meliores, cujus ſcripti ſenſus exponitur. Sequens evincit communem, in Aquilejenſi provincia, etiam ſolidorum uſum, qui duodecim parvulis numis conſtabant, videnturque numi fuiſſe in officinis Marcæ Veronenſis & alibi cuſi ſignatique. Hujusmodi ſolidi *Furlani* dicebantur, quod eosdem non alia cuderet officina, quam Anquilejenſis in provincia Forijulii. Noſter tamen cenſet, hoc nomine diſtinctos a reliquis eſſe, qui quatuordecim parvulorum fuerint. Aquilejenſes denarii vocabantur etiam ſolidi uſualis monetæ. Cum iisdem parvulorum quatuordecim, quod *Capite IV* docemur, iidem plane fuerunt Frixachenſes numi & Frexachenſes, Frixachi, vel etiam Frixerii; vel quod denarii Aquilejenſes pares erant valore & pondere numis, qui Friſaci in Carinthia percutiebantur; vel potius, quod ævo primo quiſpiam Patriar-

charum denarios Aquilejenſes feriundos curarit in officina Frixacenſi. Hinc fuſius demonſtratur indubiis documentis, communem denariorum Aquilejenſium valorem conſtanti pretio quatuordecim parvulorum Veronenſium æſtimari conſueviſſe; ſolidosque valuiſſe haud unquam invecta mutatione duodecim eosdem Veronenſes parvulos; adeoque denariorum exceſſum præ ſolidis parte ſeptima computari; neque tamen negatur, cuſos aliquando fuiſſe paulo majoris valoris denarios Aquilejenſes; ordinarios autem ſexaginta tres numum aureum, vel ducatum, Venetum effeciſſe, contenditur. *Capite VI* agitur de Marca, qui numus arbitrarius fuerit, certo denariorum, aut ſolidorum, numero conſtans, alius nimirum denariorum, alius ſolidorum, uterque autem centum & ſexaginta numis conflatus. Præter hancce communem Marcam alia ad uſum curiæ dicebatur. Hæc poſterior excedebat pretio 12 numos aureos, ſeu *Zecchini*, 44 denariis, ſeu ultra dimidium, quod vulgo computabatur. Ex quibus dictis mendum corrigitur in verbis quibusdam *Antonii Belloni* in *Aloyſio Scarampo Mediarota*, Patriarcha, ubi legendum cenſet Noſter: *Qualibet Marcha* (ad uſum curiæ,) *Marchas quinque* (communes) *denariorum* valebat. *Septimo Capite* occurrit Ferto, ſive Forto, numus itidem arbitrarius, & quarta pars Marcæ cujuslibet, ut & libra, quam duplicem Aquilejenſes diſtinguebant, alteram denariorum viginti Aquilejenſium, alteram totidem ſolidorum. *Nicolai*, Patriarchæ, & *Ludovici*, ſucceſſoris, ætate, cum denarii Aquilejenſes 63, vel 64, æquarent valorem Veneti ducati aurei, ſponte fluit, Marcam unam denariorum perinde ea tempeſtate fuiſſe ac ducatos duos auri cum dimidio, quod diximus. At poſt hæc tempora, in pejus redacta re monetaria, denariisque ac ſolidis tum pondere, tum nota, deterioribus factis, duplex facta Marca eſt, altera octo libras ſolidorum monetæ Venetæ hodiernæ continens, altera novem ſolidorum libras, ſolidos ſex, & parvulos octo; illa ex Marca ſolidorum veniens, iſta ex Marca denariorum; utraque in provincia Forijulii adhuc in uſu eſt. *Capite VIII* initæ conventiones declarantur de cudenda moneta Aquilejenſi: ac primo Marca, ſeu Marcus, pondus octo unciarum. Ex una Marca conficiebantur denarii

rii ducenti quadraginta & octo. Quatuor ſiliquas, vulgo *Carati*, ſingulorum pondus excedebat. Hæc nempe ad ætatem ſpectant *Nicolai*, Patriarchæ, & *Ludovici*, ſucceſſoris, ubi ſimul adhibiti argenti nota expenditur. *Capite penultimo* indicatur, quod Marcus adhibitus in cuſione parvæ monetæ octo pariter uncias ponderabat; ſingulorum denariorum parvorum pondus & nota argenti, ex quo illi conficiebantur, exploratur, deque lucro agitur, quod Patriarchæ obveniebat ac monetario. Poſtremo additur ſeries denariorum Aquilejenſium, cum typis & inſcriptionibus; ut & obſervationes ac monetariæ officinæ loca conjunguntur.

LE LOISIR PHILOSOPHIQUE, &c. id eſt, *VACATIO PHILOSOPHICA, VEL COMMENTATIONES VARIÆ PHILOSOPHICÆ, MORALES, DELECTANTES, AUTORE DE VATTEL.*

Genevæ, 1747, 8.
Plag. 20.

Undecim ſunt, eæque varii generis, Commentationes, hoc nobis libello quæ exhibentur. Illarum *prima* eſt de fundamento juris naturæ, & de obligationis principio primo, quo ſinguli homines adſtringuntur ad obſervandas leges. Lex eſt Noſtro generatim regula, ad quam actiones noſtras dirigere debemus. Naturales leges ſunt, quas natura præſcribit, & quarum ratio in eſſentia, nec non natura, humana, inque eſſentia & natura rerum generatim, invenitur. Jus naturæ eſt cognitio generalis officiorum hominis, in ſeſe ſimpliciter conſiderati, vel ſcientia, nos erudiens, quid homini naturaliter ſit bonum, aut malum, faciendum, vel omittendum; doctrina moralis, vel ethica, activa ſcientia, nos erudiens, qua ratione facultates noſtras dirigere debeamus ad bonum exercendum, & malum evitandum. Fundamentum autem Juris naturæ quæritur in eſſentia & natura hominis ac rerum generatim; amor vero noſtri ipſorum actionibus omnibus præfigitur. Eadem occaſione obligatio activa & paſſiva examinatur. Inde fit tranſitus ad Diſſertationem de quæſtione:

Digitized by Google

ne: num lex naturalis poſſit evehere ſocietatem & perfectionem ſuam ſine civilium legum auxilio. Definitur hic perfectio rei, quod conſiſtat in harmonia, vel convenientia, omnium in illa eundem ad finem, qui quidem hoc loco eſt hominis felicitas. Hanc impetrare hominem ſola natura duce poſſe, conceditur, ni ſit corruptus, ſed poſt corruptionem negatur. Adducitur autem epiſtola de rationibus ad Manichæorum objectiones contra perfectiones divinas reſpondendi. Eruuntur iſta objecta potiſſimum ex *Bæliani* Dictionarii titulis quibusdam, huc ſpectantibus; atque omnino tam attributiones Dei, quam opera, ſatis accurate diſtincteque vindicantur; licet non omnia, quæ huc ſpectant, inſtitutum capere potuerit. Inde, non ſine cauſa, præſtare acutiſſimo Autori viſum eſt, alteram epiſtolam connectere, *Leibnitianam* præcipue Theodicæam, ad hoc momentum quod attinet, laudantem atque examinantem. Hanc excipit epiſtola, generoſæ virgini conſecrata, de ſententiis delicatis, generoſis, & ab avaritia remotis, quas æque omnes ex amore ſui ipſius derivat; neque autem ex humili, ſed honeſto ac generoſo. Alia ſequitur ad eandem epiſtola de amoris natura, quem in diverſas ſpecies diſtinguit, & ab amicitia curioſius ſeparat. Definit autem per affectionem, quam aliquid in nobis excitat; in quo nonnihil obſervamus, quod placet. Eſt eadem illi varia, pro rerum objectarum diverſitate. Hæ ſi ſint animatæ, & ratione præditæ, diſpoſitionem appellat, animi noſtri gaudium ex felicitate illarum percipiendi. Denuo hic notas expedit amoris animi & corporis diverſas: unde Venerem Uraniam & Venerem Cypriam tanquam diſtinctas ſibi concepiſſe dicuntur veteres. Utramque autem conjungere poſſe, ſi quis ſapientiam ac virtutem re vera duces ſequatur: quo & carmen adjectum tendit, ubi differentiam amoris & amicitiæ breviſſimis verbis exponit Autor. Idem deinceps ad luſus progreditur, quorum utilitatem perveſtigat. Tractatur hoc argumentum vividius deſcribendo, ſatis accurate diſtinguendo, quod omnia ſint mixta malis, obſervando, & majorum noſtrorum conſuetudines enarrando. Satiricum agit Autor, neque ſolum varias utilitates ita enumerat, ſed pariter ad exemplum Abbatis *de St. Pierre* præcipit, tum ut ſingulares honores primariis luſori-

bus

Digitized by Google

bus exhibeantur, tum ut debita luſuum privilegio gaudeant prioritatis. Eodem ſpectat ſpecimen compoſitionis medicinæ fermentatæ librorum ad uſum luſorum, quibus non vacat erudiri. Medicinam illam ex libris ſelectis diſſolutis per chymiam, & ſale dianoitico, vel diſcretivo, mixtis, componit. Facile patet hujus conſilii finis: quem & adjunctæ diverſorum epiſtolæ monſtrant. Neque alium habet maledicentiæ defenſio, quæ numerum octavum implet, & cui *Horatiana* verba inſcribuntur: *Ridiculum acri Fortius ac melius magnas plerumque ſecat res.* Affert autem duplicem hujus vitii utilitatem, tum ex parte maledicentis, tum maledicentiæ, petiti. Ex illius parte commendatur tritum *oderint, dum metuant;* ex hujus vero indidem reſultans correctio & cautio. Diſtinguitur maledicentia in eam, quæ obſervat, quæque deſerit, veritatem. Utriusque ſpecimina & commoda nominantur, totaque tractatio pulchriori præſertim ſexui commendatur. Eandem, ut & tractationem de utilitate luſus, examinat epiſtola Autoris alius cujusdam, qui ſub nomine fœminæ non nominatæ latere voluit, dum epiſtolam ſuam inſerendam curavit *Diarii Helvetici (Journal Helvetique) Menſi Januario A. 1741.* Repetiit hic illam Noſter, ſuamque reſponſionem addidit, quam, poſtremo loco, ſequitur narratio de judicio, hac de lite, in Olympo monte, pronuntiato. Ubique ante oculos verſatur ſcopus, per utilitatis & jucunditatis conjunctionem omne punctum ferendi, quem etiam attigiſſe Noſtrum, gaudemus.

NOVA LITERARIA.

Quam nuper Academia Erfordienſis publice & ante oculos omnium tabulam ſuſpendit, & famæ ac in literas meritis Rev. P. *Gordoni*, veræ ſapientiæ novi ac ſtrenui vindicis, eſſe ſacram voluit, hanc iis omnibus, qui virtuti ac doctrinæ Viri, tam præclare rem literariam juvantis, bene cupiunt, hic legendam exhibemus:

Alma & perantiqua Univerſitatis Erfordienſis Rector, Guntherus, *Reg. Monaſt. S. S. Apoſtol. Petri & Pauli Ord. S. Bened. Abbas, Præpoſituræ Zellenſis ad Werrham, in Biſchofferoda & Franckenroda Dominus, S. S. Theol. Doctor &* *Pro-*

Profeſſor Publicus Ordinarius, ejusdemque ſacræ Facultatis Aſſeſſor Primarius, cum Senatu Academico nobiliſſimæ Studioſorum Coronæ S. P. D. Non abſque ſumma animi indignatione percepimus, paucis abhinc hebdomadis ſcriptum hic Erfordiæ editum fuiſſe, atque diſperſum, ſequentis tenoris: Philoſophia Scholaſticorum defenſa contra Oratorem Academicum Erfordienſem *&c.* Autore P. *Luca Opfermann,* S. J. *Scriptum hoc cum ſolidæ doctrinæ fere nihil, ſed multa aperte falſa, probroſa, ſumme contumelioſa, & famæ non leviter nociva, in R. P.* Andream Gordon, *Ord. S. Bened. Academiæ noſtræ Profeſſorem Publ. (cujus tamen & vita & doctrina integritas ab annis jam unaccim ſatis perſpecta nobis eſt, atque probata, cujusque in Philoſophiam merita jam multum etiam ab exteris fuere celebrata,) protruſa contineat, interque alia Philoſophiam, ab eo A. 1745 editam ex orthodoxis & probatis Autoribus, potiſſimum autem ex clariſſimo quondam Academiæ Parienſis Philoſophiæ Profeſſore emerito & Rectore, Mag.* Edmundo Purchotio, *cujus in Gallia & Italia frequentiſſimus in ſcholis eſt uſus, concinnatam, hæreticæ pravitatis per ſummum nefas inſimulare, atque ementito hujusmodi labis prætextu ſtudioſam juventutem ab illius Collegio inique prorſus abſterrere conetur; officio noſtro intenti, &, quam noxium ſit juventuti Academicæ, cui plerumque diſcretio neceſſaria deficit, ejusmodi contumelias, utpote iniquorum præjudiciorum ſemina, legere, perpendentes, omnibus & ſingulis Civibus Academicis ſcriptum præfatum legere, comparare, aut retinere, graviter interdicimus. Alios vero viros doctos, jurisdictioni noſtræ non ſubditos, monemus, ſcriptum illud, privata, tantum autoritate editum, ex paſſione, non ex amore veritatis, profectum eſſe. Publ. ſub Sigillo Rectoratus die 7 Febr. MDCCXLIX.*

In ſuperiore *Menſe Februario p. 81 lin. 26* pro $\frac{r\sqrt{(y^2-a^2)}}{\sqrt{(y^2+p^2a^2)}}$ hæc pone: $\frac{r\sqrt{(y^2-a^2)}}{\sqrt{(y^2+p^2-a^2}}$; & *pag. 86 lin.* 7 pro $\frac{y-r+p}{cy-cr+pc+pr}$ ita lege: $\frac{cy-cr+pc+pr}{y-r+p}$.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXLIX.

Pars II.

STORIA DELLA VITA DELL' INSIGNE DOTtore della Chieſa S. Girolamo, &c.

id eſt,

HISTORIA VITÆ INSIGNIS ECCLESIÆ Doctoris S. Hieronymi, ex Epiſtolis aliisque operibus viri ſancti ejusdem collecta a Fr. JOSEPHO RENATO, Jeſu Mariæ Auguſtiniano diſcalceato, inſcripta Excell. Domino Abbati D. HIERONYMO CANONICI.

Venetiis, apud Angelum Paſinelli, 1746, 4.
Alph. 1 plag. 2.

Non eſt cujusvis, vitam *Hieronymi* Latinam legere, quam Epiſcopus Ameliæ, *Marianus Victor Reatinus*, ſeparatim contexuit, ac Operibus *Hieronymi* præfixit. Quapropter Pl. Rev. *Renato* viſum eſt, eam Italico elaboratam ſermone dare, eumprimis conſulturo nationi ſuæ. Diſtribuit autem ipſe tractationem ſuam in *tres Libros*. *Primus* complectitur vitæ curriculum, *ſecundus* virtutes, *tertius* miracula, a Deo in honorem *Hieronymi* edita. Noſtrum eſt, Lectoribus promulſida dare delibandam, ut ipſi de opere ipſo inde facere judicium poſſint. *Hieronymo* contigit naſci Stridone, urbe in con-

ſinio Pannoniæ ac Dalmatiæ ſita, paulo poſt a Gothis everſa.
Patre uſus eſt *Euſebio*. Matris nomen huc usque eſt incom-
pertum. Parentes & Chriſtiani & opulenti filium honeſtiſ-
ſime educandum curarunt. *Orbilius* huic fuit Grammatices
præceptor, isque *Hieronymum* elementa docuit doctrinæ Chri-
Pag. 2. ſtianæ haud ſecus ac Latinæ linguæ. Filium, infantem fere,
pater miſit Romam, porro inſtituendum a magiſtris præſtan-
tiſſimis, quos inter excelluit *Donatus*, in *Terentium* ac *Virgi-*
lium commentatus, nec non *Victorius* Rhetor. Adjecit dein-
de animum *Hieronymus* ad ſermonem Græcum diſcendum,
ad Iſagogen *Porphyrii*, ad legendum Commentarios Philoſo-
3. phorum & Poetarum Græcorum. Cœpit hinc laſcivire, ac fie-
ri diſſolutus. Cum ex ephebis exceſſiſſet, reſipuit, Romæ
fonte ſacro imbutus. Caſtitati in poſterum ſeſe dedit, libris
ſacris ſe appulit legendis, ſepulcra Martyrum in cryptis ad
Romam frequentavit, S. *Martinum* coluit, otio pravo infe-
4. ſtus. Abiit inde Treviros in Galliam cum fratre *Bonoſo* per
urbem Concordiam, ubi admiratus fuit *Paulum* Epiſcopum.
Scholas theologicas Treviris frequentavit. Scripſit ibi librum
de Synodis S. Hilarii alioſque libros. Rediit in Italiam *Hie-*
6. *ronymus*. Aquilejæ paululum commoratus, ob ſororis mor-
bum patriam reviſit. Diſceſſit inde cum *Bonoſo* in Syriæ ſo-
litudinem quandam, ſalutata Antiochia, ubi *Evagrius* ea tem-
peſtate Epiſcopum agebat, atque *villa Maronia*, ubi mona-
ſterio Monachorum *Malchus* præfuerat, inſpecta. Scripſit
ipſe vitam hujus *Malchi*. *Apollinarem*, Antiochiæ docentem,
poſtea inter hæreticos relatum, audivit. Inde ſeceſſit in Sy-
riæ ſolitudinem ad ultima Chalcidenes in finibus Syrorum ac
Saracenorum. Egit hic anachoretam cum *Bonoſo*, *Innocen-*
tio, *Ila*, *Heliodoro*, aliis, ſumto Antiochiæ monachi veſtitu.
Amiſit ibi ſocios, paulo poſt & morte & diſceſſu disjunctos.
9. Ipſe ex vigiliis, caſtigatione ſui, ac aſſidua rerum ſacrarum
meditatione, enervatum ſibi reddiderat corpus. Febris eum
afflixit, ac in vitæ diſcrimen adduxit. Viſus ipſe ſibi fuit in
febrili imaginatione ad tribunal Dei raptus, ac acerbe ob *Ci-*
ceronis, *Plauti*, aliorumque ſcriptorum exterorum, lectionem
caſti-

caſtigatus. Perſcripſit *Hieronymus* ipſe hæc *Ep. 22. ad Euſtochium de cuſtod. virgin.* Animam ejus dæmon tunc mirifice vexavit. Infeſtarunt ipſum Arianiſmi ſectatores. Eccleſia Antiochena lacerabatur ea ætate a tribus factionibus tribusque Epiſcopis, *Meletio*, *Paulino*, & *Vitale*. Stetit ipſe in doctrina, quam Romæ baptizatus confeſſione ſua honoraverat. Scripſit ad *Damaſum*, Papam Romanum, ut ab hoc reſciſceret, quocum ſibi ex tribus iſtis Epiſcopis foret faciendum. *Paulino* adhæſit poſthæc *Hieronymus*, ac ab eo in ſacerdotem fuit conſecratus, ſolitudine derelicta, & Antiochia repetita. Hic Hebraicæ linguæ elementa percepit, notitiam aucturus Ebraicam Bethlehemitico in receſſu. Antiochia abiit Hieroſolymam, Bethlehemum, ubi Præſepe Jeſu natalitium luſtravit, ac Nitriam in Ægyptum. Hic Monaſteriorum erat affatim. Monachi erroribus erant impliciti, quibus *Hieronymus* eos liberavit. Hinc *Gregorium Nazianzenum*, Epiſcopum Conſtantinopolitanum, inviſit Conſtantinopoli coluitque, per triennium ibi commoratus. Abiit hinc Romam ad *Damaſum*, *Paulino*, Antiocheno Epiſcopo, & *Epiphanio*, Salaminienſi, comitatus. *Damaſo* officia præſtitit in rerum ſacrarum moderatione, moderatus ipſe multarum Romæ matronarum conſcientias. Romam perductus fuit liber *Origenis* περὶ ἀρχῶν, a *Ruffino*, quem Noſter *hæreticum* vocat, Latine factus. Invectus eſt *Hieronymus* in interpretem & librum. Inter hæc e vita emigrat *Damaſus*. *Hieronymus*, calumnias Romæ in ſeſe ſparſas declinaturus, Hieroſolymam ſe contulit: ac Bethlehemiticum delegit receſſum, Hebraicæ linguæ porro operam daturus, poſtquam Alexandriæ *Didymum* cæcum ac monaſteria Nitriæ, ubi *inter Sanctorum choros aſpides latere perſpexit*, e diverticulo luſtraverat. In receſſu Bethlehemitico didicit Hebraica a R. *Barrabano*. Cavillatus eapropter *Hieronymum* fuit *Ruffinus*, dictitans, *Hieronymum*, Jeſu relicto, ſequi *Barrabam*, ac Profeſſorem linguæ Judaicæ evadendi ſtudio teneri. Bethlehemi *Hieronymus* ſibi ſtruxit monaſterium. Ibi *Jovinianum* refellit, quem Noſter appellat *impurum hæreſiarcham.* Ibi *Joannem*, Epiſcopum Hieroſolymitanum, declaravit hæreticum,

Pag. 12. 14. 17. 22. 24. 28. 30. 33. 37. 38.

cum, ab *Epiphanio* adjutus, qui ferre nequibat in *Joanne* cun-
Pag. 42. ctationem damnandi *Origenem*. Ibi refellit Piliſiotas, ratos,
homines redivivos in univerſali judicio fore pilis obſitos. Vi-
45. de ejus *Ep. 61* ad *Pammachium*. Hieroſolymis fuit tunc *Ruf-
finus* cum *Melania*, matrona Romana, itineris comite, qua-
cum Romam rediit, ubique *Origenis* ſcripta & ſententias di-
laudans. *Siricius* Romæ damnavit Origeniſmum. Obiit
Hieronymus, ab *Auguſtino*, *Proſpero*, *Caſſiano*, & *Caſſiodoro*,
51. prædicatus. *Marianus Victor Reatinus*, Epiſcopus Ameliæ,
extrema *Hieronymi* literis conſignavit, quæ Noſter in Itali-
cum converſa lectori impertit. Corpus *Hieronymi*, ſepultum
57. Bethlehemi, Romam fuit translatum. Ipſe jam defunctus
dicitur vivis nonnullis apparuiſſe. Quæ vero vel *Cyrilli*, vel
Auguſtini, de miraculis *Hieronymi* nomen habent, cujuscun-
que alterius ſunt potius, quam *Cyrilli*, vel *Auguſtini*, opera.
59. Apparitiones *Hieronymi* non transſcribimus, apud Autorem
evolvendas. Omittimus præterea Catalogum ſcriptorum
70. ejusdem. *Libro ſecundo* laudibus ornantur *Hieronymi* virtu-
82. tes, nominatim ardor in doctrina catholica, amor in quemvis
alium, amor ſolitudinis, mentis puritas, inde a baptiſmo con-
ſervata, patientia, profunda animi demiſſio, ſeu humilitas, de-
votio mentis erga Deum Virginemque beatiſſimam, veneratio
126. reliquiarum. De miraculis, *Hieronymo* tribui ſolitis, non eſt,
quod ſigillatim exponamus, ſiquidem teſtimoniis ſcriptorum
fide dignorum ea haud deprehendimus corroborata.

DECRETA SACRÆ RITUUM CONGREGAtionis, primum edita a Reverendiſſimo Patre BARTHOLOMÆO GAVANTO, ex Clericis regularibus S. Pauli, deinde a Reverendiſſimo Patre CAJETANO MARIA MERATO, ex Clericis Regularibus ejusdem S. R. C. Conſultore, ſpectantia ad generales & particulares rubricas Miſſalis & Breviarii Romani. Editio noviſſima, præ ceteris correctior & auctior. Cui accedit Italica Inſtructio pro Oratione quadraginta horarum, ex eodem MERATO deſumta.

Vero-

Veronæ, ex typographia Seminarii, apud Auguſtinum Carattonium, 1746, 8.

Plag. 17.

S*ixto V* viſum fuit eccleſiæ Romano-Catholicæ ex uſu fore, ſi ipſe quindecim inſtitueret Congregationes, e quibus quintum locum habet illa, quæ ab argumento dicitur *ſacra rituum congregatio*, a quinque Cardinalibus perficienda. Inſtitutum ipſum legitur in Conſtitutione *Sixti V* LXXIV. In hac idem juſſit Pontifex, ut ſeligerentur docti viri, qui, *Conſultores* appellati, conſilia ſua & ſtudia ad eam obeundam conferrent. Inter hos floruiſſe dicuntur ***Bartholomaus Gavantus*** & *Cajetanus Maria Meratus*. Prior, multo labore exantlato, commentarios collegit ad rubricas, ac Decretorum addidit ſummam, ad ſuam usque ætatem a Congregatione illa evulgatorum. Poſterior eis paſſim nonnihil adjunxit. Noſter vero ſuum cuique tribuit. Laborem & collectionem *Gavanti* ab acceſſionibus *Merati* ſejunxit. Unde exſtitit liber bipartitus. Procul vero ab horum utroque eſſe juſſit decreta municipalia, e quibus quippe deduci haud poteſt regula generalis. Articulos, ad alphabetum conformatos, *Gavantus* dedit plures, partim ad Miſſale, partim ad Breviarium, ſpectantes. Index titulorum, tractationi præmiſſus, demonſtrat, in utram claſſem Decreta ſint referenda. Decerpemus ex priori Lexico unam alteramque particulam. Ad vocem *Altare* hæc collegit *Gavantus*: *Altare portatile ligneum cum ara lapidea permitti debet, non obſtante Conſtitutione Synodali, dummodo habeat ſolitum reliquiarum repoſitorium. In Altari pro certis diebus privilegiato non poteſt dici Miſſa de Requiem in Feſto duplici de præcepto, neque in die dominico. Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam de Requiem in diebus, quibus occurrit Feſtum primæ, vel ſecundæ, Claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili. Habens Indultum a Sede* Pag. 6. *Apoſtolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, ſi quis voluerit ibi ædificare altare ligneum, non indiget facultate Apoſtolica, dummodo Altare ligneum cum ſacro lapide pa-*

 rieti

rieti colligatum amovibile non ſit, & Altaris portatilis imaginem non præ ſe ferat. In Eccleſiis permittuntur Altaria tantum antiqua ſanctis Vet. Teſt. Prophetis dicata. Intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia non licet exponere tabellam ſuper januam ipſius Eccleſiæ cum inſcriptione: Indulgenza per li morti; *ſed tantum ſuper Altari ipſo privilegiato conſuetis verbis:* Altare privilegiatum pro defunctis. De annuli uſu hæc traduntur: *Annuli uſus in Miſſa prohibetur Protonotariis non participantibus & quibuscunque Doctoribus,*
Pag. 15. immo *Canonicis Eccleſiarum cathedralium.* De baldachino hæc præcipiuntur: *Baldachinum in Eccleſiis & locus in Presbyterio non debetur domino loci: & admonentur Ordinarii, ne permittant hujusmodi uſurpationem & non licitam detentio-*
17. *nem.* Ad beatificatos hæc ſpectant: *In publicis precibus, præter indultas, & a Sede Apoſtolica approbatas, beati non invocentur. Beatorum reliquiæ in proceſſionibus minime circum-*
19. *ferantur. Dies feſti, in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad feſta devotionis.* De ritu benedictionis
22. varia exſtant Decreta. Inter hæc eminet & hoc: *Modus benedicendi alios, vel rem aliquam, debet eſſe cum manu recta & digitis ſimul junctis & extenſis.* De Canonicis multa ſane ſuppeditantur. De Magiſtro cerimoniarum haud pauca
38. adduntur. Colorum quoque ratio habetur. *In feſto ſtigmatum S. Franciſci adhibetur color albus.* Crux non unis ſtipa-
42. tur annotationibus. *Cruces, quæ fiunt a Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranſverſa parte Crucis.* Ad Euchariſtiam multa præcipiun-
58. tur. Inter hæc legitur & hoc: *Omnes de Clero, etiam Canonici, euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in feria quinta in Cœna Domini.* Addimus & hoc: *Genu flectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante S S. Sacramentum, etiam-*
64. *dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam. Contraria conſuetudine*
67. *declaratur abuſus. Sabbato Paſſionis debent velari imagines & cruces, etiamſi occurrat eo die feſtum Sancti titularis, vel patroni eccleſiæ. Manus ſacerdotis ad* hanc igitur Oblationem *debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ pollice dextero ſuper*

Digitized by Google

ſuper ſiniſtrum in modum crucis ſuper manus. Multa ad Miſſam præcipiuntur, nec omittitur mentio de *Miſſa immaculatæ Conceptionis B. M. V.* *Uſus Miſſalis & Breviarii Romani ſemel introductus in aliqua Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis & Breviarii.* *In oratione* A cunctis *& in ſuffragiis præponendus eſt S. Joſeph Apoſtolis Petro & Paulo.* *Electus Eccleſiæ Archiepiſcopalis non poteſt exercere Pontificalia in ſua Eccleſia ante receptionem pallii.* Sufficiant hæc e multis in præſens. Pag. 69. 75. 100. 107. 109.

POLITIA ECCLESIASTICA, QUAM VULgo Agendam vocant, ſive de Forma Regiminis exterioris Eccleſiarum Chriſtianarum in Polonia, quæ unum Deum Patrem per Filium ejus Unigenitum Jeſum Chriſtum in Spiritu ſancto confitentur, tribus Libris explicata a PETRO MORSCOVIO. E Codice Manuſcripto recenſuit, & Notas atque Diſſertationem præliminarem de Agendis eccleſiaſticis, & ſpeciatim de his, adjecit GEORGIUS LUDOVICUS OEDERUS, S. Theol. Doctor, Decanus, & Antiſtes Feuchtwangenſis.

Francofurti & Lipſiæ, 1745, 4.
Alph. 2 plag. 1.

Viſum fuit Cel. *Oedero* non modo dogmata Socinianorum, edita Catecheſi Racovienſi, cum publico communicare, ſed etiam *Agenda* dare *eccleſiaſtica*, quibus ipſi in Polonia fuerunt uſi. Hæc ſcripſit *Petrus Morſcovius a Morſcow*, Eques Polonus, Paſtor Eccleſiæ Lachovecenſis, inde Crelovienſis, tandem Czarcovienſis, cujus ſcripta *Chriſtophorus Sandius* in *Bibliotheca Antitrinitariorum* ſuccincte recenſet *pag. 141.* Indicat *Sandius*, *Morſcovium Agenda* in *uſum Eccleſiarum Belgicarum*, quas colligere ſuos poſſe ſperabat, potius ſcripſiſſe, quam earum, quibus intra Poloniam intererat. In indice manuſcripti, quo Ven. *Oederus* uſus eſt, nulla *Eccleſiarum*

Bel-

Belgicarum facta eſt mentio. Hoc autem manuſcriptum accepit a *Chriſtoph. Bürkmanno*, Ægidianæ ædis apud Noribergenſes Diacono meritiſſimo, qui id a ſuorum amicorum aliquo inter Belgas e manibus Artemonii, ſeu *Samuelis Crellii*, acceptum ad *Oederum* miſit. Id ipſum patefcit ex *Oederi* ad
Pag. 333. *Bürkmannum* epiſtola, qua ad novas aliquot objectiones *Crellii*, quæ nuper in *Theſauro la Croziano Tom. I pag. 89 ſeq.* evulgatæ ſunt, reſpondet. In Diſſertatione, quam *de Agendis Eccleſiaſticis* præmiſit inſcriptam, *tribus Capitibus* expoſuit ea, quæ ſibi potiſſime in hoc argumento viſa fuerunt moneri digna. *Primo* diſſeruit, quid iis contineatur. *Secundo* ſignificat, cujusnam autoritate liber ritualis componi, cœtibusque obſervandus tradi, debeat. Denique addit, quanta ſit obligandi vis in libro rituali evulgato, & obſervari juſſo. De ritibus eccleſiæ jam collectæ hic agitur, eccleſiæ nempe in ſenſus incurrentis. In hac ſunt homines, res, & cerimoniæ. Homines in ea vel docent, vel docentur. Illi ad hoc ſunt conſtituendi ritu certo. Res in cœtu eccleſiaſtico dantur vel manu tractabiles, e. g. ædificia, vel ad animam magis & interiori ratione pertinentes, e. g. Sacramenta. Sine ritibus, ſeu cerimoniis, preces publicæ, cantiones, exequiæ, conſecratio nuptiarum, expediri haud poſſunt. Cuinam vero tribuenda eſt facultas præſcribendi leges eccleſiaſticas? An toti eccleſiæ? An paſtoribus? An uni omnium antiſtiti? An rectoribus reipublicæ civilis? Explorat Noſter vim & argumenta quatuor harum opinionum, nec de *juribus collegialibus* tacet. Libertas Chriſtiana ſingulorum & jus ferendi leges admodum differunt. Enodat Noſter locum *Gal. V, 1*, ubi libertas conſiſtit in ſtatu liberationis a jugo rituum Leviticorum. Ad *Gal. II, 3. 4. 5*, opinionem ſuam repetit, ratus, *Titum* fuiſſe circumciſum, nec tamen per coactionem, ſed *propter falſos fratres*. Jura eccleſiaſtica eſſe eccleſiis externis a Chriſto data, a moralibus officiis diverſa, negat, niſi velis tres Chriſtianos, in cœtum coeuntes, jurium eccleſiaſticorum congeriem conſtituere poſſe. Refellit *Spenerum*, conquerentem de juribus eccleſiarum violatis, ratus, Chriſtianis ſilendum eſſe de juribus, vo

catis

Digitized by Google

eatis quippe ad crucem in Chriſti regno bajulandam. Ad locum *Matth. XVIII*, 17, reſpondet, qui ad jura illa non ſit trahendus. *Jura collegialia* Chriſtianis qua talibus eſſe nulla, contendit. Paſtoribus jura eſſe eccleſiaſtica, inficiatur, ſive plures, ſive unum, deſignaveris. Rei publicæ rectori tribuit potius illa jura, utenti opera hominum doctorum ac piorum. Scopus, quo inductus Ven. Editor *Morſcovii* librum evulgavit, in eo conſiſtit potiſſimum, ut, excuſſa ovina pelle, & ſanctitatis miræ larva detecta, appareat, Socinianos vero pietatis fundamento ac ſolatio carere. Huc ſpectant Autoris annotationes, paſſim *Morſcovianis* ſubjectæ. Locum *Act. XV*, 28, exponit de vatibus, per quos ſpiritus propheticus loquebatur, & Apoſtolicum decretum approbabat, ac de hominibus, gratia Spiritus Sancti fatidica deſtitutis. Præter Præfationem Politia eccleſiaſtica *Morſcovii tres* complectitur *Libros*. *Primus* Pag. 3.
exponit de membris eccleſiæ, eorumque inter ſe nexu. *Secundus* 7.
inſcriptus eſt de officiis eorum, qui eccleſiam regunt.
Tertius habet ea, quæ de modo & ratione omnia eccleſiæ 91.
membra in officio continendi diſputari ſolent, nempe de inſpectione privata, de inſpectione publica & congregatione, de 263.
diſciplina eccleſiaſtica & excommunicatione, de confeſſione peccati & pœnitentia, de conſultationibus & collectis, de jejunio publico, & de Synodis & diſciplina paſtorum. Quæ S. 303.
Rev. *Oederus* in fine oppoſuit *Crellio*, ea ad vindicandum locum *1 Jo. V*, 7, ad divinitatem Jeſu, ac primos Patres, ſunt referenda.

HERMANNI VENEMA DISSERTATIONES ad vaticinia Danielis emblematica Cap. II, VII, & VIII, de quatuor Orientis regnis, ordine ſibi ſucceſſuris, & quinto Meſſiæ. In quibus illa, nova via, demonſtrantur & illuſtrantur, aliisque Prophetiis lux affunditur.

Leovardiæ, ex officina Gulielmi Coulon, Illuſtr. Friſ. Ord.

atque eorund. Academ. Typogr. Ord. & Harlingæ, in officina Folkeri van der Plaats, 1745, 4.

Alph. 3 plag. 11.

Cel. Autor, qui non ex illorum numero eſt, qui ſæpius repetita & inculcata, nullo judicio adhibito, in chartam conjiciunt, ſed accuratiori trutina ſingula circumſpecte expendit, & inde haud raro a receptis opinionibus diſcedit, editurus continuum in *Danielis* vaticinia Commentarium, has Diſſertationes, prout in Academia Friſiaca publico examini ſunt ſubjectæ, præmiſit, quo virorum eruditorum ſententiam & judicium exploraret. Harum ſunt numero VIII: 1) de capite aureo ſtatuæ & prima beſtia *Cap. II, 32, VII*, 4; 2) de pectore & brachiis argenteis ſtatuæ & ſecunda beſtia, *Cap. II, 34, VII, 5*; 3) de ventre & lateribus æneis in ſtatua & tertia beſtia ac ariete bicorne *Cap. II, 32, VII, 6, VIII, 3*, 4; 4) de priore parte regni quarti expicta per crura ferrea in coloſſo *Cap. II, 33*, & quarta beſtia *Cap. VII*, 7, & hircum unicornem *Cap. VIII, 5-8*; 5) de poſteriori parte regni quarti, expicta per pedes, eorumque digitos ex ferro & argilla in coloſſo *Cap. II, 33, 41-43*, quartæ beſtiæ decem cornibus unoque parvo *Cap. VII, 7, 8*, & hirci quatuor cornibus cum uno inter ea nato *Cap. VIII, 8, 9*; 6) de cornu parvo & uno ex eo nato, ejusque geſtis, *Cap. VII, 25, VIII, 10-14, 23-26*; 7) de regno quinto, expicto per montem, ex lapide ortum, in viſo *Nebucadnezaris*, & regno filii hominis in viſo *Danielis Cap. II, 34, 35, VII, 9-14*; 7) de regno quinto, expicto per montem ex lapide ortum, & regno, filio hominis dato, *P. II Cap. II, 35-44, VII, 13, 14, 27*. Per ſingulas ibimus, & potiora momenta enotabimus, quo de illis B. L. judicium ferre poſſit.

In *Diſſertatione I* diſpeſcit vaticinia *Danielis* omnia in *generalia* & *ſpecialia*, quorum illa reſpiciunt regna in Oriente, quæ relationem habuerunt ad populum Judaicum, quale eſt illud de coloſſo *Cap. II*, & viſio de IV feris *Cap. VII*, hæc
Pag. 1-3. partes aliquas, in illis contentas, clarius evolvunt, *Cap. VIII-XII*.

XII. Vaticinium *Cap. II* cum illo, quod *Cap. VII* habetur,
idem eſt, quod ad argumentum & ſcopum. Repræſentantur nem-
pe IV regna, ſibi ſuccedentia; quæ autem in priori viſo exhi-
bentur, in poſteriori clarius explanantur. His præmiſſis, ad Pag. 3 - 12.
conſiderationem regni primi *Cap. II, 32,* & *VIII, 4,* accedit.
In prioris emblematis conſideratione, cum illud ſatis ſit cla-
rum, moram non nectit. Per *leonem,* aquilinis alis inſtru-
ctum, cujus alæ evulſæ erant, quique ſe de terra tollebat, &
pedibus inſiſtebat, cuique cor hominis dabatur, intelligit re-
gnum imbecillius, & non æque firmum, quod a robore leo-
nis diſceſſerit. Illud eſt non regni *Cyri,* ſed Babylonicum, 13 - 17.
quale partim erat, cum viſio obtingeret vati, partim futurum
eſſet dehinc ſplendore ſuo, qui in coloſſo expingitur, deſtitu-
tum. Utroque igitur emblemate & gloriæ & terribilis il- 17 - 23.
lius vis, ſtatus item illius obſcurior & contemtior exprimitur.
Prius fit per emblema capitis aurei & leonis, quod ad re-
gnum Babylonicum, quale ſub *Nebucadnezare* eſt conſpe-
ctum, tum exertis Scripturæ teſtimoniis, tum ſcriptorum ex-
terorum, accommodatur. Ἐν παρόδῳ notatur, *Habacucum* 23 - 50.
Danieli coævum fuiſſe, & illum violentas populorum oppreſ-
ſiones, a Chaldæis factas, enarrare. *Nebucadnezarem* in Ibe- 37.
riam penetraſſe, ex teſtimonio *Megaſtenis* refert *Clemens*
Alexandrinus Strom. I pag. 360. Joſephus & *Euſebius Præpar.*
Evang. IX, 41, non *Europæam,* ſed *Aſiaticam,* intelligunt. *Duæ* 39 - 42.
alæ aquilinæ, quæ leoni dantur, non denotant imperium Ro-
manum diviſum, nec binos reges *Cyaxarem* & *Cambyſen,* ſed
exprimunt celerem impetum, quo in regno ampliando *Ne-*
bucadnezar eſt uſus, regni amplitudinem & elationem. In ob-
ſidione Tyri annos 13 hæſit, quoniam per vicinos hoſtes impe-
diebatur, quo minus omnem vim adverſus illam converteret.
Data occaſione locum aliquem ex fragmento *Beroſi* emen- 50 - 56.
dat, pro τὸν τῶν Αἰγυπτίων προστάτην ἔνεμεν legens ἐνέ-
μεν. Rex Ægypti, qui nominatur, eſt *Pharao Necho;*
προστάτης notat *patronum, defenſorem;* pro τὸν τῶν Αἰγυπτίων
ſubſtituendum eſſe vult ἐν τε Αἰγύπτῳ: ἐξ ἀρχῆς poſitum eſſe
contendit pro ἐκ ταύτης τῆς ἀρχῆς, quæ locutio occurrit

U 2 apud

apud *Joſephum A. J. X, 11, ab hoc initio*, vel *omnino, prorſus*,
Pag. 57-60. ut *Eccleſ. XXXIX, 32.* Μήδης apud *Euſebium Præp. Evangel. IX, 41*, ex *Abydeno* in *μὴ δῆτα, abſit, Dii avertant*, mutat.
61, 62. *Leoni* huic alæ ſunt *evulſa*; 1) ſub *Evil-Merodacho* potentia regni Babylonici fuit imminuta, multæ gentes defecerunt, gloria illius eſt obſcurata. Quam licet in priſtinum locum
62 - 67. reſtituere ſit conatus *Nerigliſſorus*, illo tamen peremto, 2) *pedibus inſtitit* inſtar hominis meticuloſi, quod contigit ſub *Balthaſare*, ſub quo prorſus concidit.

Diſſertatione II שְׂטַר deſignat *latus*, reſpectu habito vel ad *terram*, vel ad *leonem*. Verbum הֳקִימַת conjugat. Aphel redditur *conſtitit firmiter*, vel *ſedem fixit*. *Coſtæ tres* indi-
73 - 76. cium ſunt voracitatis, caro quippe abſumta erat. Perſicum regnum hic aliqui volunt intelligi, quorum ſententiam exquiſitis rationibus refutat; in Medicum potius digitum intendi evincit, quod proxime Babylonico ſucceſſerit, quod & Scriptura, ſpeciatim *Daniel*, teſtatur, & ſcriptores exteri confir-
76 - 96. mant. Duplex eſt concipienda urbis Babelis expugnatio; prima facta eſt duce *Cyro* ſub *Cyaxare*, ſecunda a Medis, *Cyro* jam rege, quæ duplex expeditio ab Hiſtoricis fere confunditur, & qua poſteriori imperium Babylonicum, everſum pror-
96 - 107. ſus, tranſiit ad Perſas. Medi non ſponte in *Cyri* conceſſerunt poteſtatem, ſed coacti, ſimultate ob felices ſucceſſus in-
107, 108. ter ipſum & *Cyaxarem* orta. Equidem *2 Chron. XXXVI, 20*, regnum Babylonicum cum Perſico proxime conjungitur. Sed ellipſin hic aliquam obſervat, ſcilicet Judæorum ſervitutem cum fine regni Babylonici exſpirare debuiſſe, ſed impedimentum aliquod interceſſiſſe, quo minus, imperantibus
108 - 114. Medis, dimitti potuerint. Concludit hinc, regnum Babylonicum deſtructum tranſiiſſe ad *Darium Medum*, quem *Daniel* memorat, atque hoc eſſe regnum ſecundum *Cap. II*, quod
114, 115. ſub urſo *Cap. VII* repræſentetur. Dubia etiam, quæ contra hanc ſententiam a brevitate regni hujus inſtituuntur, erudite removet, inter alia obſervans, *Darium Medum Danielis* eſſe *Nabonadium* in Canone *Ptolemai*, cui dantur anni
116 - 132. 17. Hic autem ubi proſperis *Cyri* rebus geſtis, *Aſtyage* potiſſimum

mum ſuperato, excitus contra illum exercitum duxiſſet, victus, regno exutus, humaniter tamen eſt habitus, Caramaniæ præfectus. Difficultates, quæ demonſtrationi huic ex *Jer. XXV, 11, 12,* & *Dan. IX, 1,* obverti poſſunt, curate removet. His confectis, ad *ſecundum* characterem, ſive con- Pag.133 - 142
venientiam inter duplex emblema, *pectoris* ſcilicet & *brachiorum*, & *urſi*, progreditur. Prius ad regnum *Darii Medi*, poſt Babylonicum everſum, directius ſpectat, poſterius exhibet illud, quale ſeſe habuit, Babylonico adhuc ſtante. In viſo *Nebucadnezaris* conſpiciendum datur tanquam poſterius Babylonico, illique ſuccedens. In altero *Danielis tanquam urſus in uno latere* leonis ſtans, illi æquale & imminens, eidemque exitium minitans. *Pectus* cum *duobus bra-* 142 - 143.
chiis repræſentat Babelem, regni ſedem, brachia Medos & Perſas, quorum auxilio *Darius* in poſſeſſionem regni Babylonici eſt miſſus. *Brachia ex argento* referunt opes, potentiam, & amplitudinem, regni *Nebucadnezaris;* porro ſæ- 143 - 147.
vitiam & inhumanitatem Medorum, ſpeciatim crudelitatem *Aſtyagis* & *Cyaxaris*, hujusque invidiam, qua in res proſperas *Cyri* ducebatur. In *urſo* notat 1) *tardita-* 147 - 151.
tem, quæ conſpecta eſt in lentis conſiliis & tardigradis progreſſibus regum Medorum. Apud *Athenæum Deipnoſ. XII pag. 529* pro Κῦρον legi vult Κυαξάρην. 2) *Ferociam* & 151 - 155.
ſævitiam, quæ depingit tyrannidem & ſeveritatem regum Medorum in ſubjectos. 3) *Voracitatem*, quæ notat Medorum 155 - 157
luxurioſam vitam, aviditatem in conquirendis opibus, cupiditatem aliis exitium inferendi. Huic tribuuntur tres coſtæ inter dentes, quæ ſunt ſymbolum trium populorum, a Medis ſubactorum, Perſarum, Aſſyriorum, & Babyloniorum. *Stetit urſus in uno latere.* Imperium Medicum æquale fuit Baby- 157 - 168.
lonico, ad illius eventus intentum, eidemque exitium machinans.

Diſſertatione III tertium regnum, exhibitum per *ventrem & latera ex ære*, itemque *pardum*, non eſt imperium *Alexandri*, ſed Perſicum. *Quatuor alæ* ſignificant quatuor expedi- 169 - 287.
tiones, quas *Cyrus, Cambyſes, Darius,* & *Xerxes*, ſuſceperunt. *Venter & latera ex ære Dan. II, 32,* deſignant, regnum

gnum Perſicum Medico proxime ſucceſſurum eſſe, vel repræ-
ſentare poſſunt tres regni ſedes primarias, *Babylonem*, *Suſas*,
Ecbatanam, vel tres familias a latere ſibi junctas, *Cyri* nempe,
Darii Hyſtaſpidis, & *Darii Codomanni*. Omnium optime au-
tem venter expingere poteſt ipſum *corpus regni*, *duo latera*
Pag. 185-190. duos reges, *Cyrum* & *Darium Hyſtaſpidem*. In pardo notari
meretur 1) *color varius:* in Perſico regno obſervare licet ca-
ſus proſperos cum triſtibus alternantes. 2) Eſt animal intre-
pidum, robuſtum, velox curſu, ſævum & crudele: priora
animadvertuntur in *Cyro* & *Dario*, poſterius in *Cambyſe*, *Xer-
xe*, & *Artaxerxe*. 3) Tribuitur ipſi *vinoſitas*. Perſæ vino ſe
nimium dediderunt, & ab illo tempore res illorum retro ſunt
lapſæ. *Quatuor capita* ſunt quatuor reges Perſiæ ſecundum *Cap.
XI, 2*, qui *ſteterunt*, id eſt, ſub quibus regnum Perſiæ floruit,
190 - 204. & poſt quos via ad interitum illius eſt ſtrata. Factum illud
eſt, a quo tempore *totum regnum Græciæ ſuſcitaverunt*, quod
vel maxime contigit ſub *Xerxe*. Quatuor illi reges ſunt *Cy-
rus*, *Cambyſes*, *Darius Hyſtaſpis*, & *Xerxes*. *Quatuor alæ avis*,
ſive *duo alarum paria*, repræſentant copias pedeſtres pariter at-
que navales, quas illi quatuor ad potentiam ſuam amplian-
dam late protenderunt. Jungit interpretationem *Dan. VIII*,
204 - 223. *3, 4*. Arietem eſſe effigiem regni Perſici, ſolidis adſtruit ra-
tionibus. Nominantur quidem *v. 20 reges Medorum & Per-
ſarum*, ſed & ipſi reges Perſiæ in libro *Eſtheræ principes Per-
ſarum & Medorum* appellantur. Aries effigiat divitias & ſtu-
dium omnes bello impetendi. *Duo cornua Cyrum* & *Da-
rium Hyſtaſpidem* repræſentant, quorum poſterior regnum
Cyri per *Cambyſen* concuſſum reſtituit, plures regiones ad-
223 - 233. jecit, & familiam ſuam per plures reges propagavit. Aries
hic ſtans in Oriente arietavit verſus tres cœli plagas, occaſum,
ſeptentrionem, & meridiem, vicinas atque remotas regiones
233 - 238. invaſit & occupavit. *Pro lubitu ſuo egit, & magnifice ſe ex-
tulit*; prius regum Perſiæ inſolentiam, poſterius ipſorum
opes, atque inde natam elationem, exprimit.

Diſſertatione IV per *crura ferrea & pedes partim ex fer-
ro, partim ex luto*, non imperium Romanum, nec regna Se-
leu-

Digitized by Google

leucidarum & Lagidarum, ſed *Alexandri*, præſignificari, copioſe & erudite diſputat; quod poſt ipſius mortem in varia regna diviſum, quæ per 10 digitos & 10 cornua repræſentantur. Ubi memorantur *quatuor cornua Cap. VIII, 8, 22*, indicatur, ex ampliſſimo *Alexandri* regno verſus quatuor cœli plagas regna eſſe oritura. Hinc *Cap. VIII, 8*, explicationis ergo additur, *ſecundum quatuor ventos cœli*, coll. *Cap. XI*, 4. Hinc pergit ad emblemata, quibus regnum *Alexandri* proponitur. Illud quatenus unitum fuit in *Alexandro*, deſcribit *Da-* Pag. 239-294.
niel per *crura ferrea Cap. II, 33, 40*, per quæ indicatur vis omnia vincens, penetrante ſuo rigore omnia ſubigens & conterens, quod ipſum vox תקיפה exprimit. Hoc ubi transfertur ad regnum *Alexandri*, exprimuntur ipſius expeditiones, quibus brevi temporis ſpatio tot regiones ſuperavit, omnia proſtravit, & continuis victoriis populos expugnavit, unde ἀνικήτου titulus ipſi eſt tributus. Duo crura referri poſſunt ad duos regni hujus fundatores, *Philippum* & *Alexandrum*, vel, ſi ad duo corporis latera reſpicitur, regnum, quod in Europa & Aſia conſtituit. Idem ille *Cap. VII, 7,* 294 - 301.
coll. 19, pingitur tanquam beſtia terribilis, inſatiabili cupiditate nocendi inſtructa, diverſa ab omnibus aliis prioribus, in Oriente adhuc ignota, quæ omnia una cum characteribus hujus beſtiæ penſiculatius conſiderantur, & ad indolem regni *Alexandri* transferuntur. Idem depingitur per *hircum unicor-* 301 - 317.
nem, qui ſecundum interpretationem angeli dicitur rex Græciæ unus, impetiturus arietem, regem Perſiæ, qui, licet non primus fuerit, talis tamen dicitur, quia, quæ deſtinaverat, ipſe perfecit, & ſpeciatim quoniam ipſe *primus* Orientis regnum ad Macedones transtulit. *Cornu excelſum*, idemque *coruſcum*, expingit *Alexandrum*, regni gloria, rerum magnitudine, affectatione divinitatis, præ aliis regibus coruſcantem. Illud *extur-* 317 - 325.
gebat inter oculos. *Alexander* inſigni pollebat prudentia, & prudentiſſimos viros a conſiliis habebat. *Hircus hic veniebat ab occaſu in ſuperficiem terræ, nec tamen illam attingebat*. *Alexander* venit ex Europa, quæ regno Perſico eſt ab occidente, & quidem venit ſubito, & magno cum impetu, inhians non

Aſiæ

Digitized by Google

Aſiæ ſolum, verum etiam univerſæ terræ, & quidem curſu rapidiſſimo, ut terram non attingere videretur. *Verſ. 6. 7*, deſcribitur victoria a *Dario* reportata, qui regnum Perſicum per *Cyrum* & *Darium Hyſtaſpin*, quod *duo cornua* exhibent, ſubjugavit & conculcavit. Illius autem atque totius familiæ exitium præſignificatur *v. 8.*

Pag. 326-340. *Diſſertatione V pedes ferrei* coloſſi, deſinentes in 10 *digitos*, partim *ferreos*, *partim argillaceos*, &, *ſemine humano* interveniente, non firmiter cohærentes, *Cap. II, 33, 41 - 43*, notant 10 regna, ex imperio *Alexandri* orta, ex duritie ferri, robore, atque potentia *Alexandri*, multum amittentia, quorum conjunctio licet per conjugia quæſita, ipſis tamen illorum diſ-

343 - 370. ſociatio & exitium magis eſt procuratum. Concinit viſum *Cap. VII, 7, 8.* Decem cornua, poſt enata, ſunt 10 reges *v. 24*, ſive 10 regna, quibus totidem reges præfuerunt. *Cornu parvum una cum reliquis enatum, poſt vero ſe ſuper alia extulit, tribus evulſis ac dejectis, diverſum a reliquis, v. 8* coll. *24*, refert *Seleucum Nicatora*, qui, initio omni præfectura carens, poſt modicam nactus, aſſumto regio titulo, opibus & potentia, *Demetrio*, *Lyſimacho*, & *Antigono*, debellatis, ita crevit, ut vicina

370 - 383. regna multum ſuperaverit. *Oculi & os magna loquens* ſpeciatim in *Antiocho Epiphane* implementum eſt ſortitum. *Cornu ex parvo v. 9. enatum* eſt *Antiochus magnus*, ejusque ſucceſſores, maxime *Antiochus Epiphanes*, qui, ſi non fundator, tamen inſtaurator, regni Syro-Macedonici haberi debet. Illud *magnifice ſe extulit ad auſtrum & ortum, & ad decus*, referri oportet ad felices ipſius expeditiones adverſus Ægyptios, auſtrum verſus, & populos orientales, Mediæ nempe & Perſiæ ſatrapas, Bactrianos & Parthos alioſque.

383 - 391. אל־הַצְּבִי elliptice poſitum eſt pro *terra decoris Dan. XI, 16, 41*, ac intelligenda terra Judaica, quam primus petiit *Antiochus M.* Ægypti regibus Cœleſyriam & Cananæam eripiendo.

392 - 399. *Dan. XI, 4*, delineatur regnum *Alexandri*, quod ipſo vivo in ſummo ſtetit flore, ipſo vero fato peremto, fractum eſt, & ſecundum quatuor cœli ventos diviſum.

Diſputatione VI cornu porro illud parvum, cui tribuuntur *oculi*

oculi inſtar oculorum hominis, & os magnifice loquens, proferens verba ſuperba, faſtidioſa, & contumelioſa, in poteſtatem ipſius Dei involans, ſeque adverſus ſanctos efferens, & tempora atque legem mutans. *Cap. VII, 8*, coll. *25*, exhibet *Antiochum Epiphanem*, ejusdemque molimina in populum Judaicum & illius regionem. Character temporis eſt 1) *circa extremum*, Pag. 403-415.
cum regno Alexandrino, in diverſis regnis adhuc ſubſiſtenti, interitus per Romanos inſtaret, *Cap. VIII, 23*; 2) *prævaricatorum* conſummatio, proveniens partim a tyrannide *Antiochi*, partim a levitate Judæorum. Rex deſcribitur *tanquam fortis facie & ænigmatum peritus*, qui *Cap. VII* repræſentatus fuerat ſub ſymbolo *cornu*, quod foret *præditum oculis & magniſonum*; priori pervicacia, poſteriori ſuperba jactantia, itemque verſutia, regis indigitatur, quam utramque ex vi vocum in ſequentibus adſtruit. Immanis tyrannis, quam in cau- 415 - 431.
ſa religionis in Judæos exercuit, deſcribitur *v. 10-12*. *Exercitus cælorum* ſunt principes & rectores eccleſiæ *Jeſ. XXIV, 21, XXXIV, 4, LXV, 17, Hagg. II, 6, Apoc. VI, 12*, & alibi, coll. *Dan. XII, 3*, qua ex re fiebat, ut non ſolum multi extremo exponerentur periculo, ſed & muneribus, libertate, imo vita, exuerentur, quod per *caſum ſtellarum de cælo*, & *conculcationem* illarum, eſt intelligendum. Inde populus Judaicus dicitur *καταπατούμενος 1 Macc. VIII, 2*. De abolitione religionis 431 - 436.
Judæorum, & introductione cultus Deorum profanorum, ſermo eſt *v. 12*. Duratio hujus calamitatis definitur per *tempus, duo tempora, & dimidium temporis*, id eſt, tres annos cum dimidio, coll. *Dan. XII, 7*, qui terminus eſt ducendus ab illo tempore, quo *Apollonius* in Judæam eſt miſſus, *1 Macc. I, 59, IV, 52*. Vid. *Joſephus A. J. Lib. XII Cap. 7*. Numerus *bis millium & trecentorum Cap. VIII, 14*, non de totidem diebus, ſed totidem ſacrificiis jugibus, eſt accipiendus. Igitur, ſi anno dantur dies 360, uti alias apud Prophetas, anni tres cum duobus menſibus & aliquot diebus efficiuntur; quorum initium ducendum a cultus quotidiani abrogatione *v. 13*, usque ad id tempus, quo cultus quotidianus Judæis eſt redditus. Ubi au- 436 - 451.
tem calculus hic differt ab illo, qui habetur *Cap. VII, 25*, &

X *XII*,

Digitized by Google

XII, 7, oportet diſtinguere inter *ſanctorum oppugnationem* &
ſacrificii jugis ablationem, quarum illa præceſſit, & per ali-
quod tempus duraſſe videtur. Dies 1290, qui faciunt annos
tres & 7 menſes *Dan. XII, 11*, putandi ſunt a tempore ſublati
Pag. 451-455. ſacrificii quotidiani ad mortem usque *Antiochi*. Dies vero
1335, qui efficiunt a. 3. m. 8. d. 15, *v. 12*, numerandi ſunt a mor-
te *Antiochi*, qui incidit in annum ær. Seleuc. 149, usque ad
153, quo intermedio tempore Judæi multa perpeti habuerunt,
ſed, illo elapſo, quies eisdem eſt data.
455 - 460. *Diſſertatione VII*, collato *Dan. II, 34, 35*, & illius explicatio-
ne *v. 44, 45*, cum *Cap. VII, 9 ſeq.* diſtinctionem facit inter
lapidem monte exciſum, & montem inde enatum, item pro-
ceſſum judicialem & traditionem, factam filio hominis. Prius
non tam ad regnum Meſſiæ, quam illius *præparationem*, perti-
nere, docet. Per *lapidem irruentem in pedes coloſſi*, ſive partem
aliquam pedis ſtatuæ, Maccabæos, Syro-Macedonas labefactan-
tes, intelligendos eſſe, docte oſtendit. Equidem lapis hic non
omnia illa regna deſtruxit, effectus tamen hic illi tribuitur,
1) quoniam ab illo tempore regnum Syro-Macedonicum, &
alia per Ægyptum & Aſiam, ad interitum inclinarunt, Romanis-
461 - 487. que occaſio eſt data, ſe illorum rebus immiſcendi; 2) iisdem
via eſt monſtrata in regnum Syriacum invadendi; 3) lapis
eo ſcopo in coloſſum immittebatur, quo exinde mons fieret,
qui mons eſt regnum Meſſiæ, in medio populi Judaici exci-
tandum; omnia igitur obſtacula ex conſilio divino removen-
487 - 488. da erant. Et, quoniam ſtatua *Nebucadnezaris* per viſum *IV*
beſtiarum illuſtratur, ad illud, *Cap. VII* contentum, ſe conſi-
derandum confert. *Throni* dicuntur *poſiti*, ſubito & ſupe-
riori quadam vi in terram quaſi *conjecti*, ad judicium aliquod
tremendum inſtituendum. Pluralis ponitur vel ad magnifi-
centiam ſcenæ Propheticæ ornandam, vel ob emphaſin ali-
488 - 492. quam. *Sancti excelſorum v. 22* ſunt ſancti angeli, quibus
judicium exequendum eſt datum. *Libri aperti* reſpiciunt
judicium, quod Deus temporibus Maccabaicis in Syro-Mace-
492 - 499. donas exercuit. Sententiæ ſupremi judicis executio habetur
v. 11, 12. Judicium in beſtiam abſolvitur partim cæde illius,
partim

partim traditione corporis ipſius, igne abſumendi. Prius contigit, ubi regnum Syriacum omni jure ac poteſtate per Romanos eſt privatum, poſterius, ubi in provinciam eſt redactum. Judicium adverſus reliquas tres beſtias exprimitur Pag.499-504
v. 12. Phraſes circa everſionem regni Syriæ mirum quantum variant, quoniam in excidio illius ſingularia plane judicia Dei ſunt conſpecta. Implementum egregii hujus vaticinii 504 - 509.
demonſtratur 1) ratione regni Syriaci, 2) reliquorum regnorum, ex Alexandrino ortorum. Ex illis colligit, Deum Ro- 509 - 524.
manis potiſſimum uſum eſſe ad judicia in regna adverſaria exequenda, eo fine, quo regno Meſſiæ liberior curſus concederetur, quod rationibus a Romanorum indole petitis confirmatur, ſimulque inquiritur, quæ cauſa ſit, quare in coloſſo *Nebucadnezaris* & viſo de IV beſtiis nullus locus detur imperio *Romano*, nec regno *Parthico*, quod tamen in Oriente fuit am- 524 - 535.
pliſſimum.

In *Diſſertatione VIII* tria tractanda ſumit, 1) quæ ſit perſona, cui regnum datur; 2) quæ regni illius ſint attributa; 3) tempus, quo conderetur. Mons ex lapide natus repræſentat Chriſtum & Apoſtolos, quorum ille caput, hi præcipui regni miniſtri erant. Quare hic nomine *filii hominis* veniat, item illius, *qui veniat in nubibus cœli*, docetur. Quod habe- 535 - 545.
tur de traditione regni, illud ad primordia regni hujus, inaugurationem Meſſiæ divinam & cœleſtem, eſt referendum. *Sancti, quibus regnum eſt datum*, quique nominantur *v. 18, 22, 27*, ſunt Apoſtoli, principes adminiſtri regni hujus. Attri- 546 - 553.
buta illius ſunt, quod ſit cœleſte, ab regnis hujus mundi diſtinctum, ſe per omnem terram diffundat, inque omnem æternitatem ſit duraturum. Quod ad ortum hujus regni, du- 553 - 557.
plicem conſtituit epocham. Altera ſigitur in præcedaneis molitionibus, altera in ipſa regni erectione conſpicitur. Prius repetendum a temporibus Maccabaicis, quæ cum regno Meſſiæ haud uno vinculo arctiſſime fuerunt colligata, ut illius primordia inde duci queant: non habita ratione temporis intermedii, quo facies eccleſiæ haud parum fuit obfuſcata, & Romanorum jugum ſubire coacta. Expeditur denique ratio, 557 - 589.

 quare

Digitized by Google

Pag. 590 - 608. quare regnum Meſſiæ in viſis *Danielis* & reliquis vaticiniis tanquam *univerſale* proponatur, quale tamen non ſtatim ab initio fuit, ſed poſt lapſum multorum temporum demum eſt futurum.

GUILIELMI WALLI HISTORIA BAPTISMI INfantum, ex Anglico in Latinum idioma converſa, & nonnullis obſervationibus & vindiciis aucta, a JO. LUDOV. SCHLOSSER, Paſt. ad S. Cathar. Hamb. & Scholarcha.

Pars I.

Bremæ, apud Georgium Guilielmum Rump, 1748, 4. Alph. 3 plag. 11.

Gratulamur cœtui ſanctiori de labore, a Viro Venerabili, interprete *Walli* doctiſſimo, in præſentiſſimum ſane Eccleſiæ emolumentum, his quidem temporibus, feliciter ſuſcepto. Effectum enim hoc ipſo, ut in promtu habeant doctiſſimi cœtus purioris miniſtri, quid de primæva pædobaptiſmi inſtitutione moroſis atque incredulis reſpondeant hominibus. Exornavit ipſe Clariſſ. Editor Præfamine doctiſſimo librum *Wallianum*, in quo plurima refert, ad hiſtoriam literariam immerſionis infantum ſanctioris pertinentia, adjunctis aliis, ad *Wallum*, ejusque librum, ſpectantibus, rebus hiſtoricis. Initium enarrandi hujus libri faciamus *Diſſertatione præliminari*, quæ, *introductionis* loco a *Wallo* operi præmiſſa, *baptiſmum proſelytorum Judaicum* tractat, &, quale inde pro Chriſtianorum pædobaptiſmo argumentum ducatur, in aprico ponit. Summa dicendorum eo redit, a Judæis omnes atque ſingulos, in religionis ſuæ ſocietatem ſe conferentes, baptiſmo initiatos, idque ex lege quadam Moſaica *Num. XV*, *15*, coll. *Exod. XIX*, *10*, ubi per ſanctificationem lotionem intelligunt. Hinc factum eſſe, ut infantes peregrinorum, ad ſocietatem veri Dei cultus ſe applicantium, aquis tingerent, in fœdus ſcilicet veri Dei recipiendos; quale quid etiam in parvulis, bel-

Digitized by Google

lo captis, ſeu expoſititiis, Judæi committebant. In hanc rem confirmandam affert *Wallus* teſtimonium *Matth. XXVIII, 19*, ita explicandum, ut ſenſus ſit obvius & naturæ conveniens, ſi dicatur, diſcipulos Chriſti in mandatis habuiſſe a Servatore, ut eundem morem proſequerentur ratione infantum, qui perpetuo in cœtu Judaico invaluerat. Hoc enim niſi voluiſſet, diſcipulis peculiare quid de infantibus baptizandis præcepturum fuiſſe Chriſtum, recte affirmari poſſet. Adſtruit inde *Wallus*, præceptione ſpeciali de infantibus non baptizandis deſiderata, omnino mandatum Chriſti ad baptizandos omnes homines, adultos & parvulos, referendum eſſe. Proſelytorum vero baptiſmus a Judæis *regeneratio* vocabatur, qua ex denominandi ratione facilius intelligitur, quid Servator ſibi, cum *Nicodemo* diſputans, *Jo. III, 3, 5*, voluerit. Exinde plus quam decemplicem inſtituit comparationem Autor, inter Baptiſmum Judaicum & Chriſtianum obviam. Finem huic imponit *Diſſertationi*, argumenta recenſens & diluens eorum, qui conſuetudinem iſtam Judæorum cum *Nortono Knatchbulo*, *Stenneto*, aliisque, impugnarunt, ubi, uti in tota iſta pertractatione, Cel. Editoris obſervationes, *Wallum* vel deferentes, vel confirmantes, lectu & jucundiſſimæ & utiliſſimæ habentur. Opus ipſum accedentes, generatim monemus, *priorem* hanc laboris *Walliani Partem* de iis agere teſtimoniis veterum, qui per quatuor priora Secula vel pro prædobaptiſmo, vel contra eundem, aliquid memoriæ mandarunt. *Caput* itaque *primum* teſtimonia *Clementis Romani* & *Hermæ* ad primas partes rei confirmandæ vocat, quorum prior teſtatur, infantes congenita peccati labe eſſe infectos, poſterioris vero verba de neceſſitate baptiſmi agunt. Conveniunt *Hermæ* locutiones cum *Jo. III, 5*. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt in regnum Dei ingredi. Ubi hoc præclare eſt monendum, *Hermam* hæc ſcripſiſſe antea, quam *Joannes*, tunc adhuc ſuperſtes, Evangelium ſuum literis mandaret. Attingit præterea Autor viſionem *Hermæ*, in qua ſancti Vet. Teſt. ut in Chriſti nomine, poſtquam de vita diſceſſerant, ab Apoſtolis baptizati ſiſtuntur, &, quid inde pro neceſſitate baptiſmi & loco

Pag. 4. 6. 7.

Pag. 10. *Petrino 1 Epiſt. III, 19*, & *IV, 6*, de Evangelio mortuis annuntiato colligi poſſit, docet. Alium dein *Hermæ* locum excitat, confirmantem, maximo apud Deum in honore ac pretio parvulos eſſe, & deinde operam dat probando, libros, unde
13. hæc teſtimonia decerpta ſunt, genuinos *Clementis* & *Hermæ* eſſe fœtus, poſt *Petri* & *Pauli* diſceſſum ex hac vita, ante *Jo-*
20. *annis* tamen hiſtoriam evangelicam, conſcriptos. Veritati tamen non quidem ſimile videtur, judicante *Wallo*, *Clementem Romanum* fuiſſe eundem, cujus *Phil. IV, 3*, mentio injicitur, nec *Hermam* eſſe eum, cujus *Paulus Rom. XVI, 14*, meminit.
21. Ille enim *Hermas*, quemadmodum juvenis non erat, ita nec multum ætate provectus erat, cum libris conſcribendis ſe
23. daret. Teſtimonia *Juſtini Martyris*, neceſſitatem redemtionis ac remiſſionis propter labem originalem, itemque baptiſmum in locum circumciſionis ſurrogatum, declarantia,
32. in *Capite ſecundo* exponuntur. Idem *Juſtinus* ſimplicem tunc temporis, poſt ætatem Apoſtolorum ſcilicet anno XL, deſcribit baptiſmi adminiſtrationem, ex qua deſcriptione multa, quæ indirecte ad baptiſmum infantum pertinent, colli-
34. guntur. Ipſe denique *Juſtinus* teſtatur de ſeptuagenariis, in infantia diſcipulis Chriſti factis, ex quo apparet, baptiſmum eorundem circa annum poſt adſcenſionem trigeſimum ſextum, hoc eſt, media fere Apoſtolorum ætate & intra viginti annos poſt ſcriptionem *Matthæi*, contigiſſe, cum conſtet, *Juſtinum* annis non plus nonaginta poſt *Matthæum* ſcripſiſſe.
36. Ad annos LXVII poſt Apoſtolorum ætatem acceſſio fit in *Capite tertio*, teſtimonia S. *Irenæi* & *Clementis Alexandrini*, huc facientia, recludente. Fatetur *Irenæus* cum reliquis, mortales cunctos originali peccato eſſe infectos, & baptiſmum inde
40. redemtionem vocari. Inprimis *Irenæus* regenerationem dicit poteſtatem baptizandi, quando de regeneratione dicit, quæ
43. homini in hac vita contingit; de *mundi* autem & terræ regeneratione verba faciens, reſtitutionem illius, ſeu inſtaurationem, poſt judicii diem futuram, quæ ejus quaſi nova gene-
45. ratio, aut effictio, dici poteſt, intelligit. Deinde varia, præter *Irenæum*, occurrunt Patrum Latinorum pariter ac Græcorum dicta,

Digitized by Google

dicta, quibus manifeſtum eſt, *baptiſmum* non ſolum *regenerationem* vocari, ſed id vocabuli ad deſignandum baptiſmum ita conſtringi, ut excludatur a notione illi ſubjecta omnis converſio ac reſipiſcentia, baptiſmo non conjuncta. Tertio Pag. 47.
per ſe patet, regenerationem, cum de infantibus renaſcentibus ſermonem faciat *Irenæus*, non alio ſenſu hic accipi poſſe, niſi quo baptiſmum id nominis ſignificat. Id unum monuiſ- 49.
ſe hic juvat, primum expreſſis quidem verbis mentionem injicere *Irenæum* baptiſmi parvulorum, ita quidem, ut, poſtquam *infantes* aliosque regeneratos dixerat, diverſos denuo perſequatur ætatum gradus, hoc diſcrimine obſervato, ut, beneficium exempli Chriſti ad quamcunque aliam ætatem, *parvulorum, juvenum, ſeniorum*, referens, *infantum* tamen nullam hic mentionem faciat. Huc accedit, tempora *Irenæi* pro- 52.
pius accedere ad Apoſtolorum ætatem, ut fieri non potuit, quin Chriſtiani nominis aſſeclæ exacte ſcirent, quid temporibus ſuperioribus inter cœtum ſanctiorem geſtum fuerit, & in re quidem publica, omniumque cognitioni expoſita, qualis hæc eſt, baptizati, an non, fuerint infantes. Adſunt alia etiam rerum pondera, teſtimonium *Irenæi* maxime juvantia. Anno 89 poſt Apoſtolorum tempora *Clemens Alexan-* 53.
drinus vocabulo *regeneratus* & *regeneratio* in ſuis operibus non aliter, quam ad baptiſmum ſignificandum, uſus eſt, quin & ipſe alio in loco in hanc ſententiam ita verba facit *Cle-* 55.
mens, ut, baptizatos ab Apoſtolis infantes, eosque tenellos παιδία, non obſcure innuat. *Tertulliani* loca *Caput* expen- 57.
dit *quartum*, de baptiſmo tenellorum agitata. Patet quidem omnibus, *Tertullianum* atque *Origenem* haud levibus obnoxios fuiſſe erroribus; at de eo tamen, quod Eccleſiæ ſuorum temporum conſuetudo tulerit, teſtimonium ipſos perhibere poſſe fide digniſſimum, nemo facile negabit. *Tertullianus* qui- 60.
dem de parvulorum baptiſmo ea paſſim memoriæ prodidit, quæ difficulter admodum inter ſe concilientur. Sufficit, illum profiteri, neminem ſine fide ſalvari poſſe, & confutandos eos, errorisque redarguendos eſſe, qui, fidem ſine baptiſmo ad ſalutem impetrandam ſufficere, minus caute dicerent. In 63.
reli-

Digitized by Google

reliquis vero, ad infantum baptiſmum pertinentibus, adeo ſibi
Pag. 66. inconſtans eſt, ut, quid recte tuearis, vix cognoſcas. Ea ta-
men *Wallo* diverſimode dictorum conciliatio videtur optima,
Tertullianum id voluiſſe ſibi, extrema urgente neceſſitate ba-
ptizari infantes, virgines, viduas, debere; alias, ut differatur
69. baptiſmus, eſſe conſultius dicendum. Ita vero cauſa pædoba-
ptiſmi omnino ſtabilitur, accedente alia re circumſtante, ex
more ſcilicet ſponſorum, in baptiſmo adhibitorum, de quibus
70. verba *Tertulliani* aperte loquuntur. Satis tamen abſurde in-
71. terpretatur verba Chriſti, præcipientis: *Sinite parvulos ad me*
venire, explicando: *Veniant ergo, dum adoleſcunt, veniant,*
dum diſcunt. Ceterum doctor ille eccleſiaſticus teſtimonium
Pauli 1 Cor. VII, 14, de baptiſmali interpretatur ſanctitate, ubi
73. quidem reſtrictionem quandam addit. Poſt ætatem Apoſto-
lorum annis CX *Origenes*, doctrina celebris doctor, teſtatur
verbis expreſſis, *ſecundum Eccleſiæ obſervantiam* parvulis
etiam dari baptiſmum, & quidem eum in finem, ut nativita-
75. tis ſordes deponantur. Quin imo teſtatur ipſe, ab Apoſtolis
88. traditum eſſe, ut parvuli baptiſmali fonte lavarentur. Data
hac occaſione in ſcripta *Origenis*, in rem præſentem allegari
ſolita, inquiritur, &, quibus fides haberi debeat, quibusve mi-
nus ſit habenda, declaratur, addita diſquiſitione de objectione,
92. qua *αὐθεντίαν* illorum *Tombſius* impugnavit. Utut vero res
iſta ſe habeat, *Hieronymus* tamen vere teſtatur, generatim
Origenem mentionem baptiſmi parvulorum in ſcriptis ſuis fe-
ciſſe, ubi *primam* hominis generationem peccaminoſam ab
93. *ſecunda*, per lavacrum baptiſmi facta, diſtinguit, quibus alii
doctores Eccleſiæ *tertiam* inſuper addunt, vitæ ſcilicet exi-
tum, ſublimiori ſenſu vocabulo *regenerationis* uſurpato. Ce-
terum inconcuſſa adſunt argumenta, *Origenem* conſuetudinem,
ab Apoſtolis receptam, a majoribus recte habuiſſe cognitam,
adeoque in hac obſervantia errare non potuiſſe, quæ circa pæ-
94. dobaptiſmum verſatur. Poſt tempora iſta, non admodum
longiori intercedente intervallo, S. *Cyprianus* doctrina ſua cœ-
tum ſanctiorem ornavit, cujus de baptiſmali lavacro infantum
95. ſententia in *Capite ſexto Walliani* operis exponitur. Apparet
hic

Digitized by Google

hic nobiliſſima *Cypriani* & LXVI Epiſcoporum reſponſoria ad *Fidum* epiſtola, in qua quæſtio, de infante, octiduo minore, non baptizando, ita deciditur, ut, vel prima, vel ſecunda, & reliquis a nativitate diebus, infantem baptizari poſſe, ex Scriptura Sacra demonſtretur, quod pro pædobaptiſmo, communi iſtorum temporum uſu probato, non contemnendum ſane eſt argumentum. Multo etiam doctrinæ apparatu Pag. 97.
contra diſſentientes pugnat Autor, &, ſine ulla dubitatione 100.
hoc eccleſiæ monumentum eſſe genuinum, evincit, ubi ſimul in *Grotii* obſervationem animadvertit, id tenere ſumen- 101.
tis, quod pædobaptiſmi in Conciliis nulla ante annum 418 facta mentio fuerit. Nec deſunt alii mores, tunc in baptiſmo in- 104.
fantum uſitati, qui indicio ſunt, infantes tunc fuiſſe ſacro flumine tinctos. Reliqua *Cypriani* excitata teſtimonia oſtendunt, 109.
omnes omnino homines, qui ſalvari cupiunt, eſſe baptizandos, quorum ex numero, niſi injurius eſſe velis, infantes excludi nequeunt. *Caput ſeptimum* teſtimonium quoddam, ex Conci- 111.
lio *Eliberitano* depromtum, expendit, ubi acute ſatis, ſed vere, *Wallus* affirmat, pro veritate pædobaptiſmi locum illum valere. *Caput octavum* Concilii *Neocaſareenſis* teſtimonium 114.
producit, ubi, gravidam baptiſmo lavari poſſe, conceditur, ſi voluerit. Ex iſto teſtimonio oppugnatores cauſæ hujus, & *Grotius* inprimis, efficere contendunt, Neocæſareenſes Patres ad- 120.
verſus pædobaptiſmum pronuntiaſſe ſententiam; ſed oſtendit *Wallus*, plane nihil certi nec pro baptiſmo infantum, nec contra eum, ex hoc decreto probari poſſe, ſed alia plane 126.
eſſe in medium afferenda monumenta veterum. Rationem 127.
vero, quare de gravida baptizanda quæſtio fuerit mota, hanc doctiſſimi viri afferunt, quod Judæi, quorum magna multitudo in iſtis verſabatur regionibus, in proſelytorum baptiſmo hanc regulam tradiderint: *Si mulier gravida proſelytiſſa fiat, filius ejus deinde non opus habet baptiſmo; nam imputatur ei baptiſmus matris.* *Caput nonum* teſtatur de *Optato Milevitano*, inter *Catholicos* & *Donatiſtas* nullam fuiſſe controverſiam 128.
de baptiſmi ſubjecto, vel modo eum adminiſtrandi, & hinc, ad infantes quoque eum pertinere, profitetur. De *Gregorio* 130.

Nazianzeno primo, quod *Caput decimum* notat, locus aſſer-
Pag. 134. tur egregius, affirmans, *Baſilium* in infantia baptizatum fuiſ-
ſe, quæ res aliis etiam argumentis probatur. Deinde vero
de eodem eccleſiæ doctore magna teſtimoniorum copia in
136. *Capite undecimo* profertur, in quibus exponendis id ante
138. omnia eſt notandum, ſi quem alium, *Gregorium* ſane
cauſam habuiſſe probabilem, cur minus baptiſmo parvulo-
139. rum faveret. Conſtanter tamen is *Gregorius* baptiſmum
regenerationem dicit, & ſigillum in hanc vitam ingredienti-
140. bus; ſerio contendit, baptiſmum non eſſe differendum, &
hortatur parentes, ut ſine mora infantulos ſuos lavacro ſancto
144. ablui curent, nec moram nectant vanam. Ipſe quoque de in-
fantibus ſtatuit, eos, ſine baptiſmo ex hac vita decedentes,
non ſupplicia quidem ſubituros, glorificationis tamen exper-
tes fore. Si mortis periculum ſubituri infantes videantur,
146. confeſtim ſacro flumine abluendos eſſe, docet; alios ve-
148. ro trimulos baptizari, conſultum putat. Hac data occaſio-
ne in *Grotium* animadvertitur, ſenſum verborum *Gregorii*
pervertentis, & omnia in contrariam ſententiam detorquentis.
150. Docetur inſuper, tunc temporis baptizatos *ſanctificatos* & *ſan-*
ctos fuiſſe appellatos, & *Arianis* baptiſmum denegandum; ex
161. quo *Wallus* digreditur ad conficiendam quæſtionem, quæ de
pactione inter unitarios & eccleſiam catholicam ineunda ſubin-
de agitatur, quo in argumento per plurimos digreſſus ad fi-
175. nem usque *Capitis* proceditur. *Duodecimum Caput Baſilii Cæ-*
180. *ſareenſis* locos exhibet, & inprimis orationem ejus exhortato-
riam ad baptiſmum ſuſcipiendum, cujus habendæ ea fuerat
182. occaſio, quod tunc temporis multi erant doctrina Chriſtiana
imbuti, longius tamen baptiſmum differentes, & liberos, dog-
mate Chriſti licet ornati, a baptiſmo tamen, baptizatis non-
dum parentibus, excludentes. Hos in homines graviſſima
185. *Baſilius* invehit oratione. Levem etiam *Wallus* confirma-
189. tionem addit ex ritu illo, quo parvulos precibus publicis inter-
fuiſſe *Baſilius* ſcribit, unde colligit Noſter, baptizatos fuiſſe
parvulos illos, cum alia ratione vix admiſſi fuiſſent ad ſacra
192. iſta publica, idemque, *Valentis* Imperatoris filium, baptiſmo
tin-

tinctum, exemplum pædobaptiſmi præbere, ſatis veriſimiliter tradit. Annis poſt ætatem Apoſtolorum 274 *Ambroſius* cla- Pag. 193.
ruit, qui, ſecundum *Caput tertium decimum*, ipſe teſtatur, par-
vulos, ſuo & Apoſtolorum tempore, nec non a *Joanne* Bapti- 149.
ſta, ſancto lavacro initiatos eſſe, & neminem, profitetur diſer-
te, in regnum Dei introire poſſe, niſi renatus fuerit ex aqua 196.
& ſpiritu. *Caput* ſequens *Joannis Chryſoſtomi* teſtimonia de 198.
pædobaptiſmo exhibet, eadem, quæ reliqui, de baptiſmo in- 200.
fantum enarrantis, niſi quod ſpinoſam ſatis quæſtionem, nec
facile extricandam, nectit de infantibus peccati expertibus,
quod tamen ſine ulla dubitatione de peccatis tantum actuali-
bus valere videtur. Idem Præſul alio in teſtimonio morem 206.
crucis, parvulis in baptiſmo applicandæ, commemorat, ex 207.
quo, & reliquis, certitudo pædobaptiſmi efficitur. In *decimo* 208.
quinto Capite in ſcenam prodeunt *Hieronymi* & *Auguſtini* lo-
ca, ante exortam controverſiam Pelagianam deſcripta, & *ſe-*
ptem per *Sectiones* expoſita. Probatur hic ex voce *Hierony-* 211.
mi, nefas contrahere parentes, ſi culpa eorum infantes ba-
ptiſmo careant. Deinde *Auguſtinus* docet, validum eſſe infan- 219.
tum baptiſmum, in eccleſia ſchiſmatica collatum, dummodo 220.
rite fuerit factus. Loquitur idem de baptiſmo infantum, ut ritu,
per univerſam eccleſiam uſitato, nec per Concilium demum in-
troducto, ſed ab Apoſtolorum inde tempore inſtituto; hinc ba-
ptiſmi efficaciam non pendere a fide, aut intentione, offerentis 225.
infantem. Statuit etiam, & quidem recte, infantes, ante ba- 230.
ptiſmum mortuos, ſine dubio ſalvari; transſubſtantiationem 231.
vero Præſul ille Hipponenſis ignorat. *Poſteriores* hujus *Ca-* 238.
pitis Sectiones ſunt polemicæ, magna doctrinæ eccleſiaſticæ co-
pia refertæ, & ad peccati originalis, in infantibus hærentis, 244.
doctrinam, facile explicandam, pertinentes. In extremis ex 250.
Auguſtino probatur, infantes domi baptizatos non fuiſſe, niſi
extrema urgente neceſſitate. In *ſequenti Capite* teſtimonia
adducuntur ex quibusdam Conciliis, Carthagine ante contro- 257.
verſias *Pelagianas* habitis, ubi quæſtionem Epiſcopi inſtitue-
rant, utrum ad ſacros ordines admittendi eſſent, qui in infan- 259.
tia a *Donatiſtis* fuerant baptizati, nec ne. Decretum Patrum
affirmabat quæſtionem propoſitam. Alius Canon in gratiam

Digitized by Google

Pag. 261. pauperum conſtituit, nihil exigendum eſſe pro baptiſmo in-
265. fantum, niſi ſpurius ſit iſte. Adſunt tamen alii certiſſimi ar-
gumenti & genuini Canones, in quibus, infantes, in barbaras re-
giones captivos abductos, nullo de baptiſmo eorum exſtante te-
ſtimonio, baptizandos eſſe, præcipitur, quod quantum valeat
pro ſtabiliendo pædobaptiſmo, unusquisque colligere pot-
270. eſt. *Caput decimum ſeptimum* de *Decretalibus Epiſtolis*
Siricii & *Innocentii*, Epiſcoporum Romanorum, agit, &,
quid inde pro cauſa *Walli* deſumi poſſit, oſtendit. Docet
274. hic Noſter, antiquiores epiſtolas decretales eſſe ſuppoſititias,
genuinas vero eſſe *Siricii*, qui, inſtitutum eſſe eccleſiæ &
perpetuum uſum, teſtatur, ut nemo, niſi ſtatis anni tempori-
bus, feſtis ſcilicet Paſchatis & Pentecoſtes diebus, baptizetur,
275. exceptis infantibus, ægrotis, aliisque, de vita periclitantibus.
279. E contrario ratio conſuetudinis poſtulabat, ut adulti, neceſſita-
te nulla obvia, non niſi dictis baptizandi temporibus, & cate-
chumeni quadrageſimali tantum tempore, baptizarentur. Idem
Romanus Epiſcopus Chriſtianam religionem amplexos mone-
bat, ut non ex recens converſis, ſed ex baptizatis in infantia,
281. Epiſcopi atque Presbyteri eligerentur. *Innocentius* deinde
autor erat *Decentio*, Epiſcopos ſolos confirmationem conferre
infantibus baptizatis debere, licet etiam Presbyteri eos ſacra
lympha abluere poſſent. *Caput decimum octavum Paulini*,
283. Nolani Epiſcopi, & alius cognominis eccleſiæ Mediolanenſis
Diaconi, teſtimonia ſuggerit, præter cetera expreſſis verbis
pueri ſeptennis mentionem facientia, qui diu ante baptiſmo
286. fuerat tinctus. Accedimus nunc ad *Caput decimum nonum*,
ampliſſimam ſane hujus argumenti elaborationem, cui re-
cenſendæ, & in arctiores fines conſtringendæ, nec vires noſtræ,
293. nec tabularum noſtrarum ratio, ſufficiunt. Cupido eam per-
legendi Lectori integram relinquimus, addentes modo, ex *Au-guſtino*, & *Hieronymo* poſt exortam controverſiam *Pelagia-nam*, nec non ex *Pelagio*, *Cæleſtio*, *Innocentio*, *J. Zoſimo*, *Ju-liano*, *Theodoro Mopſveſtenſi*, aliisque, itemque ex Conciliis, *Carthagine*, *Dioſpoli*, *Milevo*, & alibi, habitis, hic teſtimonia eſſe collecta, ad pædobaptiſmum demonſtrandum referenda

ex

Digitized by Google

ex quibus vel doctiſſimus quisque cognoſcet, quanta dicendorum hic copia adſit, quantaque ingenii doctrina ad enodandas omnes, hic obvias, quæſtiones requiratur. *Caput vigeſimum* allegata affert loca ex *Auguſtino* & *Vincentio Victore.* Pag. 421.
Disquiritur hic primo de tempore, quo *Vincentius* in lucem 423.
protulerit hypotheſin ſuam de infantibus, in paradiſum, non
in cœlum, ingredientibus, quam *Auguſtinus* confutat, ſicut & 425.
ipſe *Vincentius* palinodiam cecinit. De conſuetudine illius 429.
temporis, in eccleſia pro defunctis baptizatis orandi, itemque
de errore nuperi ſcriptoris, *Vincentium* oppugnatorem pædo- 430.
baptiſmi ſibi fingentis, obiter quædam *Wallus* narrat. In *Ca-* 434.
pite ſubſequente producitur *Irenaus*, *Epiphanius*, *Philaſtrius*, *Auguſtinus*, & *Theodoretus*, quorum ſinguli cum ſectarum, inter Chriſtianos ortarum, quarum ad ipſos fama pervenerat, catalogos memoriæ reliquerint, nullus tamen eorum ſectæ alicujus, infantes baptizandos eſſe negantis, mentionem fecit, illis exceptis,
quæ baptiſmum omnem cupiebant remotum. Ex his patet, apud 436.
Donatiſtas, *Arianos*, *Pelagianos*, & reliquos hæreticos, de quibus *Auguſtinus* & *Pelagius* vel leviſſima quæque comperta habebant, baptiſmum parvulorum nunquam oppugnaſſe, ſed
perpetuo in uſu habuiſſe. Nec *Pelagiani* ipſi baptiſmum in- 451.
fantum negabant, diverſum modo de effectu baptiſmi in in-
fantibus alentes ſenſum. *Caput vigeſimum ſecundum* non- 456.
nulla proxime ſubſequentis ævi ſcriptorum, ad annos 300 poſt Apoſtolorum ætatem & ultra relatorum, judicia complectitur.
In *tertio* & *vigeſimo Capite* quædam librorum nothorum loca 462.
promuntur, non ab illis quidem, quorum nomina præ ſe ferunt, conſcriptorum, ſed de quibus tamen conſtat, ſatis eſſe
antiquos. Proferuntur hinc nonnulla ex *Clementis Con-* 463.
ſtitutionibus, jubentibus Chriſtianos, infantes ſuos baptizare.
Hinc quædam ex *Dionyſii Areopagitæ eccleſiaſtica Hierar-* 465.
chia afferuntur, &, gentilium objectionibus eſſe reſponſum, docetur, Chriſtianos ob pædobaptiſmi & ſuſceptorum uſum
deridentium. Denique e quæſtionibus ad orthodoxos, *Juſti-* 469.
no Martyri adſcriptis, nec non ex quæſtionibus ad *Antiochum*, quæ *Athanaſii* nomen mentiuntur, de futuro infantium ſtatu,

hinc Chriſtianorum, hinc gentilium, nonnulla proferuntur, & in rem præſentem conferuntur, ſicque finis *Parti primæ* hujus Operis imponitur, cujus *ſecunda Pars* propediem ſecutura eſt. Huic perficiendæ rei, utpote honeſtiſſimæ & publicæ utilitati inſervienti, conſtantem animi corporisque Cel. Interpreti comprecamur valetudinem. Reſtaret nunc, aliqua ut delibaremus ex *Addendis*, & inprimis ex uberrimis & doctiſſimis Interpretis noſtri *Annotationibus*, quibus vel ſolis Venerabilis Autor immortalem ſibi acquiſiturus eſt famam, cui vel hoc nomine doctiſſimi rerumque eccleſiaſticarum peritiſſimi viri, non ſine honorifica Editoris noſtri compellatione, aſſurgent. Cum vero maxima obſervationum ſit dignitas, maxima copia & varietas; minime nos decet, ſummam earum hic brevisſimis verbis complecti. Lectoribus igitur has integras perluſtrandas relinquimus, ut habeant, ex quo, vere nos omnia dixiſſe in laudem Interpretis, & notarum Autoris, intelligant. His nihil addimus, niſi ut doceamus Lectores, Venerabilem Interpretem omnia veterum revolviſſe & relegiſſe teſtimonia, a *Wallo* excitata, in notis vero id ſuarum partium quam maxime duxiſſe, ut doceret, ubi ab Autore diſſentiendum, aut adverſus nominis *Walliani* oppugnatores, *Galeum* inprimis, cujus plurima fit mentio, & creberrima confutatio, eundum ſit. Ceterum, ne tædio fieret lectori, ſedulo cavit, &, ſicubi plura dicenda reſtarent, ſcriptores propoſuit, deſiderium lectorum ex aſſe ſedaturos.

JO. ALBERTI BENGELII CYCLUS, SIVE DE Anno magno ſolis, lunæ, ſtellarum, conſideratio, ad incrementum doctrinæ Propheticæ atque Aſtronomicæ accommodata.

Ulmæ, apud Danielem Bartholomæi & filium, 1745, 8.

Plag. 8.

Cyclum ſacræ literæ, non immodicum, per ſtricturas gravitate ſua cœleſti dignas, ſubtiles, ac efficaces, ſuggerunt, qui

qui tempora mundi, eccleſiæ, Chriſti, & temporum articulos
majores minoresque, complectitur. Hæc Ven. Autoris eſt ſen-
tentia & pronuntiatum, ſic de hoc in præſens propoſito cyclo
diſſerentis in Præfatione: *Qui in præſenti proponitur cyclus,
ſuam firmitudinem, utilitatem, opportunitatem, prudentibus
Mathematicis, ut arbitror, probabit. Sectionibus XVIII* &
Appendice omnis abſolvitur tractatio. Cyclus ipſi eſt cur-
ſus duorum pluriumve, vel omnium, corporum cœleſtium,
periodos ſuas ſimul abſolventium. Hunc cyclum exiſtimat
e ſacris literis eſſe addiſcendum, quia ἡ σοφία in prophetia
repræſentetur *Apoc. XVIII, 18, Dan. XII, 4, 10.* Cyclum ſo- Pag. 11.
larem credit æqualem eſſe annis 400, lunarem 40000, ſidera-
lem 280000. Syſtema, cujus limitibus ipſi dies, menſes, an- 14.
ni, conſtringuntur, & ad æqualitatem rediguntur, vocari putat
χρόνον, partem vero chroni quintam eſſe καιρὸν *Apoc. VI, 11,
XII, 12, 14,* ſibi perſuadet. Expoſuit hæc in *Exegeſi Apocaly-
pſeos* vernacula A. 1740, ac Latina, in *Gnomone* Nov. Teſt. A.
1742, & in *Ordine temporum* A. 1741. Eis, qui aliquid monue- 15.
runt in contrarium, opponet Autor ſuo tempore *Vindicias.*
Nec ea, quæ monuimus *Tom. V Suppl. Sect. VI pag. 250,* ei
ſunt ad palatum. Inſcribet libellum ſuum *Bekræftigtes Zeug-
niſs der Wahrheit.* Hoc loco nervos quosdam pro inſtituto 16.
neceſſarios duxit partim repetendos, partim prælibandos, ut
iis, qui *Ordinem temporum,* paucis cognitum, aut Commenta-
tiones Apocalypticas, non habent, totum quiddam hoc loco
miniſtretur. En ejus verba: *Numerorum paria duo, valde
memorabilia, Apocalypſis Cap. XIII, 5, 18, XXI, 16, 17, propo-
nit:* 42 & 666, 12000 & 144. *Numerus 666 dicitur compu-* 17.
tandus, idemque appellatur numerus hominis ſimpliciter; ſed
144 *menſura hominis, quæ eſt angeli. Docent hæ duæ graviſ-
ſimæ formulæ, ſe mutuo reſpicientes, duo paria numerorum in-
ter ſe reſpondere, &* 666, *perinde ac menſes* 42, *eſſe tempora.
Utrinque numerus major per minorem dividendus eſt. Si
per* 144, *quæ ſunt menſuræ non humanæ, ſed humana angelicæ,
dividis* 12000 *ſtadia, vi oppoſitionis, humana, ſive uſitata; ha-
bes* $83\frac{1}{3}$ *ſtadia, monadi de* 144 *æqualia. Si item* 666 *dividis*

per

per 42, *qui eſt numerus menſium, vi oppoſitionis, non hominis,*
ſive communium, ſed propheticorum, quique ſolus ad computan-
dum offertur, adeoque plane eſt neceſſarius; habes $15\frac{6}{7}$. Ergo
$15\frac{6}{7}$ *de numero* 666 (*quæcunque ſunt* 666 *tempora*) *ſunt æqua-*
Pag. 18. *les menſi prophetico.* Ergo 666 *ſunt tempora hominis, id eſt,*
communia, & quidem non horæ, dies, menſes, qui tantas res
non capiunt, ſed, qui ſoli ſuperſunt, anni, & quidem commu-
nes. Ergo menſis propheticus eſt annorum ferme 16 *commu-*
nium: &, quia menſis habet dies 30 *circiter, dies propheticus*
complectitur ſemeſtre commune & aliquid amplius. Vitrin-
gam putat multa ex vero diſſeruiſſe in *Anacriſi*, at, ipſi in
temporum analyſi aquam hæſiſſe, addit. Adjicit ætatem mun-
di, ratus, annos in ſacris literis Vet. Teſt. æquales ſemper
fuiſſe diebus 365. *Sam. Schuckfordius* aliique monuerunt, an-
num ad *Nabonaſſarem* usque conſtitiſſe 12 menſibus, quorum
ſinguli 30 duntaxat dies comprehenderint. Chaldæi certe
priſci ac Ægyptii haud ſecuti fuerunt aliam menſuram anni.
Quinque menſes diluviani æquarunt 150 dies. Ergo patriar-
chales anni 71 æquales fuerunt noſtris 70. Annum 1745 Autor
21. ab orbe condito definit 5687, ratus, Jeſum ante æram *Dionyſii*
natum eſſe tres annos. Tempora mundi cœpti & finiendi
credit deſignari *Hab. III, 12*, per hæc verba: *Dominus in me-*
dio annorum mundi *vitam* illius *operis ſui notam fecit.* Ex
eo, quod Jeſus dicitur ſemel paſſus ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων,
colligit, *tempora mundi* ante adventum Chriſti in carne lon-
giora fuiſſe, quam poſtea. Exiſtimat idem, ordinem chrono-
logicum pertexi in ſerie Capitum *Apocalypſeos*, & ea, quæ ex-
ponuntur in *Apocalypſi* a *Cap. X* ad *Cap. XIX*, fluere a ſtrage,
humano generi per Saracenos ſub Væ ſecundo illata, ad in-
teritum Babylonis aliorumque hoſtium, qui neque in medium
Seculi XIX differri, neque ante exitum Seculi hujus XVIII po-
ni, poſſit. Plura addidit hiſce in *Ord. Temp. pag. 384.* Tres
conſtituit Apocalypticas periodos, 1) *non chronum Cap. X*,
2) *paucum tempus* Væ tertii, 3) tempus 1. 2. ½ mulieris, alis
23. aquilinis adjutæ. Pergit Autor: *Numerus* 666 *annorum ha-*
bet ſe ad annos 1000, *ut* 2 *propemodum ad* 3: *præciſe autem*
ſic

ſic ſe habent $666\frac{666}{999}$ *ad* $999\frac{999}{999}$, *id eſt, ad* 1000, *ut monas de numero beſtiæ ſit* $1\frac{1}{999}$, *& ipſe numerus* 666 *ſit numerus annorum humanorum, ſive communium, ſed tamen ipſo anni omiſſo vocabulo, quia anni non ſunt mere tropici, ſed ſinguli* Pag. 24. *cum appendice aliquot horarum, quæ tamen in toto non niſi* 8 *menſes infert, neque numerum* 666 *ulla monade auget. Cum beſtiæ numerus ſit* 666, *idcirco tempus* 1. 2. $\frac{1}{2}$ *ſunt anni circiter* 770: *& paucum tempus circiter* 880, *& Chronus, ad quem proxime accedit Nonchronus, circiter* 1100. *Tali pacto* καιρὸς *eſt annorum* $222\frac{2}{9}$, *numerus beſtiæ* $666\frac{6}{9}$, *tempus* 1. 2. $\frac{1}{2}$ *eſt* $777\frac{7}{9}$, *paucum tempus* $888\frac{8}{9}$, *millennium* $999\frac{9}{9}$, *Chronus* $1111\frac{1}{9}$. *In progreſſu obvenient nobis ſeptem Chroni, ſeu anni* $7777\frac{7}{9}$

Novem Chroni	10000	
Sex Chroni quadrati	40000	
Septem Chroni ducti in Novem Chronos	70000	*Quadrans cycli*
Cyclus ipſe	280000	

Menſura temporis, ad quam exiguntur motus corporum cæleſtium, & Chronus, ſeu ſpatium *annorum* $1111\frac{1}{9}$, *& Tempus*, καιρὸς, *annorum* $222\frac{2}{9}$. 26. *Sectione tertia* diſſeruit Autor de menſura loci, per quem corpora cœleſtia identidem decurrunt, 27. adſpectum Aſtrologorum decilem, qui decem gradibus conſtat, in rem ſuam vertens. *In Chrono* enim *Sol permeat regiones* 40000, *in tempore*, καιρῷ, 8000. *Hi numeri, per* 10 28. *multiplicati, numeros graduum referunt. Sectione quarta* exponit de Anno; *quinta* de Menſibus & periodicis, & ſynodicis; *ſexta* de uſu cycli ſolaris ac lunaris, & de Paſchate; *ſeptima* de Stellis fixis, ſimulque de Planetis in genere; *octava* 40. de Planetis ſuperioribus; *nona* de Planetis inferioribus; *decima* de Cometis. Intexit ibi nonnihil de aſtris *Chima & Cheſil* ex *Job. IX, 9, XXXVIII, 31, Amos V, 8*, ac de *Cheſilim Jeſ. XIII, 10.* 64. Id vero emendat in *Appendice pag. 116*, ratus, *Cheſilim* eſſe planetas, *Chima* Orionem, Canopum, Taurum, Scorpionem, conjunctim, ac præterea omnes ſtellas fixas. *Aiſch cum familia ſua*, ipſo judice, ſunt ſidera borealia; *penetralia*

tralia meridiei ſunt ſtellæ recedentes ad polum antarcticum. At quid ſunt *Mazzaroth?* Fortaſſe Cometæ, quippe qui educuntur tempore maxime raro, minimeque cognito. Hæc Autori probantur. Reditiones hujus, vel illius, Cometæ non audet definire. Cyclus nullum hic ſpondet uſum. *Sectione undecima* diſſerit de Anno magno, tanquam Cyclo ipſo. *Duodecima* profectibus ſcientiæ Coſmicæ ſacra eſt. *Decima tertia*
Pag. 87. exhibet tempora prophetica, in Cyclo magno comprehenſa, & per Cyclum comprobata. *Decima quarta ſeptem Chronos*
100. exponit. *Sequens Sectio* ætatem mundi pandit, quæ ſit longior annis 7752. & brevior annis 7798. De *ſeptenariis* agi-
109. tur *Sectione XVI. Sectio XVII* eſt anacephalæoſis characterum, quorum nexu ſoliditas cycli confirmatur. Quid nobis de hac tractatione eſt judicandum? Nihil. Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, *1 Cor. III, 13.*

THE WORKS OF SALLUST TRANSLATED into Engliſh &c.

hoc eſt,

OPERA SALLUSTII, CUM POLITICIS IN eadem Diſſertationibus, & quatuar Catilinariis Ciceronis; omnia ſermone Anglico exhibita.

Londini, apud T. Woodward & J. Peele, 1744, 4 maj. Alph. 3 plag. 9.

Celeberrimus ab Anglicano ſuo *Tacito* Autor, *Thomas Gordon*, civibus ſuis legendum nunc quoque *Salluſtium* dedit, illius æmulum, licet aliquanto inferiorem. Neque nudum dat illum, ſed comites ipſi & ſtipatores addidit egregios numero novem Sermones, quos ſi cum *Salluſtianis* ipſis compares, dubium fere videatur, cui horum primæ deferendæ ſint, & quis alteri majorem ſplendorem impertiat, aut viciſſim accipiat. Quin potius non multum dinque dubites, ſi gravitatem dictionis, ſi copiam & præſtantiam argumenti, ſpectes, Anglum Romano præferre. Quod luculenter evin-

evincent ſtatim dicenda, convincentque illos, quibus hoc aſſertum temerarium & in majeſtatem vetuſtatis injurium videbitur. Ante omnia vero luſtrabimus Operis ordinem & partes ſingulas. Inſcriptum eſt Celſiſſimo Principi, Duci Cumberlandiæ, Angliæ gloriæ & deliciis, oratione ut ampla, (nam ſedecim paginas implet,) ſic & majeſtatis plena, dignaque ſuo ſcriptore non magis, quam heroe, quem laudat & inſtruit. Docet enim, qua via pergendum ſit Principi ad gloriam; ea nempe, qua ipſe & ejus majores perrexerint, non iſta, qua vicinæ cujuspam nationis, Anglis exoſæ, Reges eam fuerint perſecuti, tyrannide bellorumque injuſtorum ſtudio, perfidia, vanitate, & vilis atque intolerabilis adulationis patientia & aucupio. Satis vehemens hæc eſt oratio, qualem ſcilicet a libero plenoque ſpirituum & erectæ indolis Anglo exſpectes, qui Principem non veneratur ut Deum, non ei aſſentitur in omnibus, non putat ſe natum ejus mancipium. Ægre ferent quidam, Monarchas aliquot, vulgo magnos dictos, hic miſere laceratos & exagitatos fuiſſe; ſed ſic ſolet Noſter.

Sequitur Præfatio, ſive, ut inſcribitur, introductio, *paginis 21*, quæ argumentum, characterem, vitia *Salluſtii*, tam in moribus, quam in dictione, perſequitur, geminum ejus bellum inter ſe comparat, *Jugurthinum Catilinario* præfert; quemadmodum eum cum *Tacito* quoque comparat, cujus laudes non attingere cenſet *Salluſtium*. Defendit porro Noſter ſuam interpretationem *Taciti*, monſtrat, interpretis provinciam longe difficillimam eſſe, illuſtri in exemplo vulgarium cenſorum ſtuporem & iniquitatem oſtendit, & vehementer declamat in malevolentiam, acerbitatem, ſcurrilitatem, qua plerique ſibi placeant ſcriptores. Suſpicimus grandem ejus, qui ubique elucet, & ſublimem animum. Verum, ut pulchra corpora ſæpe nævi obſident, ſic & ex hoc tam liberali animo illiberale aliquid haud obſcure emicat. Non videtur Autor iſta ſcripturus fuiſſe, niſi cauſam ſuam ſuſcepiſſet agendam. Et forte rectius inveniſſet hæc poſtrema Præfationis pars locum in *Magazino*, aut alio quodam diario libello; illa certe, quæ *pag. XI* de victoriis glorioſus narrat, quas de adverſariorum aliquo in

 ther-

thermopolio quodam publico (*dans un Caffé*) Londini reportavit, indigna ſunt & alta ejus mente, & tam ſplendido, qualem coram oculis habemus, libro. Sed inſunt de cetero huic Præfationi excellentes doctrinæ, quæ, quaſi τευτλία quædam, impoſita corporibus, malignitatis veneno turgidis & prurientibus, ea lenient & extenuabunt. Exſcribamus merito ſuo gravem & præclaram orationem ex *pag. 17: Dolentis invidiæ fremitus & calumnians inſania notant ſuſceptum malæ cauſæ patrocinium, & perorandæ bonæ inſcitiam. Opibus auxiliaribus ſcurrilitatis peritus homo opus non habet, probus non utitur. Ruſticitatem & ſtuporem admittas ad Criticam exercendam & lites literarias: ſtolidiſſimus primas tum feret, & vincet ſapientiſſimum. Sapiens homo, (ſed, ſapientem cum dicimus, dicimus moderatum, & commodis moribus excultum,) nunquam excellet in ea arte, quam addiſcere nequit, adeoque nequit homo ſapiens, homo commodus, cum athletis ſannarum & contumeliarum certare. Stolidi homines: (complectitur autem ea vox illos quoque, quorum haud rude datum a natura ingenium violenti affectus agitant,) illi, inquam, ſtolidi homines ſemper in hoc ſcribendi & agendi modo plurimum valent. Viliſſimi ſermonis capax artifex non eſt, niſi plebs viliſſima. Quod acerbi & malevoli animi ſibi pœnas ipſi dant, id nos aliquantum conſolatur. Non ſemper ipſis ſatis fit; nunquam certe ita omnino, ut cupiunt. Ideoque fomes ipſi fiunt ſuæ malignitati. Invidi & maligni nota eſt infelix, eſt odioſa nota; cui ſuum pectus inacceſſum conſervare debet, quisquis aut conſervare famam vult, aut ſperare. Tantundem ille contra ſe declamat, quantum contra alios ſtudebit, eademque ſubit pericula & tormina, in quæ alios conjicit: ſæpe crudeliora. Amara ſua vota magis eum, quam alium quemcunque, ſtrangulant; &, ut in eo ſibi placet & exultat, quod aliis nocet, non poſſunt alii viciſſim non lætari, quando vident ipſum eorum in ſe ultorem fieri. Saltim miſer eſt, & optimum atque ſummum, quod ipſi ſperare licet, eſt commiſeratio; eoque miſer eſt, quod nullam meretur. - - Quicquid editur ſcriptum tolerabiliter, & attentionem famamque meretur, id communis ſcriptorum*

grex

grex certo certius adoritur, qui utplurimum ſtupidi ſunt, & maligni, & a vanitate infatuati. Iſti gregi non intereſt, ſi ipſos audias, mediocris & vulgaris ſcriptor. Quid iſtud rei ſit, prorſus ignorant ſcilicet. Omnes incomparabili præditi ſunt indole. Poeta mediocris, & mediocris pictor, eſt non ens; multo minus exiſtit, ipſis quidem judicibus, apud ſe malus poeta, malus pictor, aut malus ſcriptor. Humillimus eorum ſibi eſt excelſiſſimus. Qui ſibi omnem ſumunt αὐτάρκειαν, *nullam relinquunt aliis. Qui prolixiſſima indulgentia opus haberent, prorſus nulli prorſus nihil indulgent, qui aliorum patientiam tentant maxime, neminem patiuntur. Et, qui tandem eorum præclaro donati ſunt & capace ingenio, ſed maligno & ſcævo animo, parum illis eſt, de quo ſuperbiant. Si quis commodus & ſimplex eſt, laudabiliorem id indolem notat. - - Scæva mens & os ferreum ſemper deterit, interdum & proſternit, eorum famam.* Bentlejus *erat homo literatiſſimus, Criticus ſagaciſmus, in vero falſoque diſtinguendo acutiſſime cernens, quamvis nimis audax conjectator. Abfuiſſet illa ejus, qua alios tractabat, agreſtis ruditas, illud intolerabile ſupercilium, qui ceteros omnes contemnere videbatur, illos præſertim, qui ab ejus opinione diſcedebant; certe fuiſſet ſui temporis Criticus acerrimus & maxime formidandus. At peſſum eum dabant ſua* αὐτάρκεια, *& impoliti mores; omnemque gratiam adimebant ejus indoli haud profecto communi. Deprimebant hæc omnes ejus, easque longe plurimas, excellentes dotes, & omnibus ejus defectibus claram lucem circumfundebant. Applauſum ferebant, qui morum elegantia ipſum vincebant; qui argumentorum vi vincebat, nullum ferebat, ut palam eſt ipſi contigiſſe in illa pervulgata de Phalaridis epiſtolis controverſia. Nomen ejus, tantum abeſt, ut venerationis & laudis nota ſit, ut potius ludibrio & jocis inſerviat. Qui omnes ut ferus homo adortus fuerat, ut ferus ab aliis viciſſim dignis modis excipitur. Talem ſe gerebat in vita communi, talem in ſcriptis, & talia proinde patiebatur. Utut ſemper illi, qui vires ejus noſſent, ipſum timerent; multi tamen ipſum faceti acri ſale perfricuerunt, faceti in univerſum omnes riſerunt; quid? quod ridebant*

bant ipſum, ſequente coryphæos toto cetero humano genere, illis ipſis in rebus, in quibus iſtos facetulos uno ictu contudiſſet. Tantillum reportabat lucri ex eo, quod totum genus humanum provocaret, & tantundem reportabit, qui ſic aget. Ferox dictatorem ſpirans Pedanta, utcunque literatus ſit, amicos non habet. Imbecilli forte quidam, & forte quoque alii maximi homines, ſed qui ſuam exiſtimationem maculatam ſordibus injuriarum & conviciorum videre nolint, ipſum revereantur, nemo autem amabit. Hactenus *Gordonus* noſter, cujus elegantiſſima verba non ægre, ut credibile eſt, legent noſtri Lectores; nos certe & hæc, & proxime ſequentes Diſſertationes, ſumma cum voluptate legimus, judicamusque librum hunc digniſſimum, qui pluribus innoteſcat, & in aliis quoque linguis proſtet, niſi obſtet infrænis ſentiendi & pronuntiandi libertas, quam utraque bucca ſpirat, Anglis pæne ſolis decora, & a natura fautrice prudenteque imperii conſtitutione conceſſa; cum aliis, qui monarchico parent imperio, tacite tantum gratulari liberis illis hominibus & invidere liceat. Gallis certe non placebit hoc opus, utpote quorum Reges & ſtudium Regum fœdiſſimis coloribus depingit. Neque Batavorum quidam æquo ferent animo, *Mauritium* Naſſovium paſſim a Noſtro, & præcipue *Capite ſecundo ſecundi Sermonis pag. 29*, ubi de iniqua cæde maximi viri *Oldenbarneveldii* agitur, proditorem, parricidam, oppreſſorem libertatis, tyrannum, uſurpatorem imperii, *Catilinam, Cromwellum*, appellari. Sed agedum, luſtremus illos ipſos novem Sermones, qui Præfationem excipiunt, & ad *pag. 202* procedunt.

Sermo primus agit de factionibus, & *primo* quidem *Capite* monſtrat, quam facile poſſit plebs in factionem implicari, & in ea contineri cum a ſuo fervore & pravis opinionibus, tum ab artibus ſuorum ductorum; quam difficulter ſanari queant; quanto partium ſtudio & quanta iniquitate partes ſeſe invicem excipiant; *Cap. 2*, quam proni ſint factioſi ad errorem in eligendo duce; quam parum reſpiciant veritatem & officium boni civis, quando cum oppoſita factione agendum eſt,

eſt, unde multa fluant terribilia mala; bene meritos infamari & exagitari, indignos & ſceleſtos plebi gratos eſſe, & iſtis præferri; libertatem opprimi & exſpirare; *Cap. 3*, ſtudium partium enervare publicam rem, ſpiritus diabolice inſanos, & ἀλλόκοτον cæcitatem, communemque ruinam, importare: plebem, etſi raro habeat partibus implicitos ſuos fines ſuaque commoda, acerrimam tamen in partium ſtudio & pervicacem eſſe & fere faſcinatam.

Sermo ſecundus patriæ amantes cives & parricidas, ſeu tyrannos, pingit; & *Capite* quidem *primo* declarat, qua ratione dici queant virtus & vitium, præſtitaque reipublicæ ſervitia, & in eam peccata pariter, præmia ſua ſecum ferre; *Cap. 2*, bonum civem, afflictum quamvis ob amorem patriæ, feliciorem tamen eſſe tyranno proſpere agente; oppreſſores enim libertatis publicæ infelices eſſe; *Cap. 3*, qui caveri queant & præverti ambitionis incrementa; quibus notis agnoſcendi bonus civis & tyrannus; quam, cum ex officio, tum ex commodo ſuo, teneatur omnis rector, ut bonus civis ſit; *Cap. 4*, quam facile poſſit humano generi ſplendor ſuperficialis imponere, ut proſpere agentem florentemque iniquitatem admiretur, probitatem & egregia merita, ſed non agnita, neque dignis honorata præmiis, contemnat; publici commodi ſtudium incumbere hominum cuivis, cum ejus ſtudii torpor & defectus mala plurima & maxima ſecum trahat; *Cap. 5* duo illuſtres Romani conſiderantur, *Cato* & *Cæſar*, ille patriæ commodis intentus, hic ſuis; fatumque, quod *Cæſaris* ambitionem gentemque totam manſit.

Sermone tertio abdicatio *Syllæ* expenditur; & *Cap. 1* quidem, quam politice, ſeu prudenter, quibus de cauſis, qua excitatus ſpe, imperio ſe abdicarit; *Cap. 2*, qua circumſpectione, quibus præſidiis, adhucdum Dictator ſuam ſibi ſecuritatem futuro privato præmuniverit. Et, cum demonſtrare vellet, Romanæ rei publicæ conſtitutionem optimam non fuiſſe, neque unius temporis, neque unius ſapientis hominis, ſed ſubinde, exigente temporum neceſſitate, ab urgentibus maxime vitiis, ſed palliative tantum, ſanatam, vel curatam potius medicina,

quæ

Digitized by Google

quæ æque noxia erat, atque ipſe morbus, diſſerit *Sermone quarto* de ſuperbia & impotentia Patriciorum poſt expulſos Reges, & *primo* quidem *Capite* demonſtrat, non æquabiliter librata fuiſſe momenta Imperii Romani; poſt expulſum *Tarquinium* omnem ſibi arrogaſſe & imperioſe exercuiſſe potentiam regiam Patricios, quam male ipſi ſibi eo modo imprudentes conſuluerint, quam iniquo in loco ſimul plebem habuerint; *Cap. 2*, obtinuiſſe quidem plebejanos vi medelam, ſed quæ toti communi rei periculoſa & ſuſpecta fuerit.

Hæc diſputatio Autorem ducit ad eam de inſtitutione & poteſtate Tribunorum plebis, quam *Sermone quinto* dat, cujus *Capite primo* perſequitur cœcam, quam plebs Tribunis addicebat, fidem, & horum ambitionem & tentamina violenta; *Cap. 2* expendit ſpecioſas *Gracchorum* profeſſiones & pollicitationes, ſed audaces & metuendas πολιτείας, cum reformari publica res ſumma cum circumſpectione debeat; *Cap. 3* infrænem oſtendit & licentioſam potentiam, quam Tribuni ſibi ſumebant, & audaciam, & iniquitatem, quibus eam exercebant, plebemque nunquam non ductitabant.

Clamant hæc ſatis corruptam rempublicam, & haud una ex parte laborantem. Hinc loquitur Noſter *Sermone ſexto* de corruptela publica, & Romana præcipue, & oſtendit *Cap. 1*, cujusque ſigillatim civis eſſe, ut nulli alii rei, quam virtuti, ſtudeat, ut nihil exiſtimet ſibi conducere, niſi quod honeſtum ſit, & publicæ rei conducat; *Cap. 2*, quam pernicioſi ſint fines, ad quos tendat publica corruptela, interdum adjuvari publicam rem ab excitata & attrita privatorum corruptione; non ſola pecunia, ſed & aliis artibus, corrumpi animos, ſæpe corruptores & corruptos eſſe illos ipſos, qui contra corruptionem declamant; ſæpe quoque vere probos & bonos tales, qui toto animo corruptionem execrantur, tales tamen eſſe; *Cap. 3*, vitia quædam rectius tolerari, quæ ſcilicet non poſſent tolli, niſi per introducta majora vitia; *Cap. 4*, quam difficile ſit, corruptionem impedire ibi, ubi inſtrumenta ejus poſtulant; *Cap. 5*, venales homines non poſſe niſi languide timideque vitia in iis notare, quibus ſeſe vendiderint; ſemel corruptos

ad

ad omnem progreſſum & exceſſum corruptionis pronos ruere; *Cap. 6*, apud corruptum populum flagitioſiſſimos & deſperatæ nequitiæ duces acceptiſſimos & maxime populares eſſe; *Cap. 7*, in populo penitus corrupto perire verum omnem ſenſum libertatis; profligatæ impudentiæ & libidinis effrænem licentiam pro libertate, inſolentem petulantis contumaciæ cum legibus contentionem pro nobili & ardente ſtudio cauſæ publicæ, incendiarios pro bonis & cordatis civibus, reputari; *Cap. 8* rapidos corruptelæ per Romanam rempublicam progreſſus conſiderat, & triumphum, quem illa in fine rerum egit, de ſubverſo ſcilicet & diſſoluto ſtatu Reipublicæ.

Sermone ſeptimo delineat corruptelam tribunalium Romanorum in ſpecie, & violentias, quæ ſubditas iſti imperio provincias oppreſſerunt. Oſtendit *Cap. 1*, admodum difficile fuiſſe, jus a Roma ſuum adverſus turbatorem alicujus momenti obtinere; *Cap. 2*, quam mira & enormia crimina quam confidenter *Verres* per Siciliam commiſerit, immunitatis ſecurus; quam *Cicero* pinxerit judicum imaginem; quam illi fuerint audacter conſtanterque venales; *Cap. 3*, quam recti & ſeveri fuerint priſci Romani in adminiſtranda juſtitia & gubernatione provinciarum; quibus quam fuerint diſſimiles eorum poſteri, & in eadem munia ſucceſſores; tandem comparatur ſapiens & æquum *Ciceronis* imperium cum illo gubernatorum provincialium Chinenſium.

Octavo Sermone de bello civili perorat, docens *Cap. 1*, qui primi ſint ejus autores, quid illud ſuccendat maxime, & quam ſit exſtinctu difficile; *Cap. 2*, duces civilis belli, etſi maximam teneant poteſtatem, parum tamen a militibus curari: &, hos, milites & plebem, pariter cervicoſos fieri & intractabiles; *Cap. 3*, quam fœdam corruptelam & diſſolutos mores civile bellum producat, quas invehat ſævientis barbariei terribiles ſtrages & vaſtitates; *Cap. 4*, milites in bello civili ſui tantum habere rationem: quæ quam viles & indignæ incipiendo & continuando cauſæ & inſtrumenta ſint; *Cap. 5*, quam difficile ſit, finire bellum civile, cum unum plura ſoleat producere; quam exaſpe-

Digitized by Google

ret civium in ſe animos, quam labefactet civilem conſtitutionem, & tyrannidem invehat; *Cap. 6*, quot malis & repentinis cataſtrophis implicet bellum civile particulares familias, & totam regionem; quam ſecum trahat feras ſimultates, furibunda odia, morumque & perſuaſionum vitia; *Cap.* 7 ex Hiſtoria Græca exemplum aſſertur horrorum & calamitatum, animos lectorum ferientium, quas civile bellum importavit & concitavit.

Nono tandem & ultimo *Sermone* politico differit Noſter de mutabilitate gubernationis. Et *Cap. 1* quidem oſtendit, proniores ad mutationem eſſe respublicas liberas, quam imperia, quæ unius arbitraria poteſtas adminiſtrat; *Cap. 2* pericula, quæ rebus publicis liberis intentant populares & opiniones & homines, & quas illi peſſimorum facinorum dent anſas improbis; *Cap. 3*, quam valeant enthuſiaſmus & piæ impoſturæ in fundandis, mutandis, & in perpetuum continuandis, imperiis; *Cap. 4* deſcribit mirum & novum *Jeſuitarum*, deſpoticum quidem, at tamen ob incredibilem impoſturæ vim pacificum, in *Paraguay* imperium; *Cap. 5*, quam certo & inevitabili cum periculo committantur eccleſiaſticis dignitates & provinciæ ſeculares, parteſque rerum gerendarum: *Cap. 6*, quam profeſſio Miſſionariorum in partibus infidelium manifeſto ſpuria & contraria domeſticis mittentium & miſſorum opinionibus & moribus ſit; *Cap.* 7 conſiderare pergit durationem imperii ſingularis tyrannici, & indolem admodum mutabilem eorum, qui imperio libero & populari gaudent; *Cap. 8* tandem & ultimo inquiritur in imperium maxime æquabile & perfectum; quod evincitur Anglicanum eſſe.

Intellectu jam facile Lectoribus noſtris eſt ex hoc argumentorum indice, quam bonæ res in hoc libro contineantur. Age, horum Sermonum breve ſpecimen apponamus. Sumemus illud ex *Sermonis undecimi Cap. 4 pag. 44. Iniquitatem*, ait Autor, *modo grandis ea ſit & ſplendida, cauſam ſuam perorare & approbare vulgo judici, aut, ut rectius dicam, abſolvi & laudari a miro & abſurdo vulgi conſenſu, & ab eo ipſo ſplendorem & nobilitatem accipere, a quo nigerrima fœdari infamia*

famia & opprimi debebat; id profecto, ut animadverſione dignum eſt, ita fidem judicii vulgaris haud parum elevat. Edatne terrarum orbis magis peſtiferum, magis ſacrum caput, quam ille eſt, qui partem ejus in vincula mittit. Unum illud & ſolum ſcelus in ſe ceterorum omne genus complectitur, rapinas, cædes, proditionem, inhumanitatem, quas libido & malitia edunt, ſtrages, crudelitatem, oppreſſionem, exagitationem, proſcriptionem virtutis, humiliationem juſtitiæ, omnem miſeriam, craſſam ignorantiam, ipſam brutalitatem. Atqui tamen, qui terribile hoc viliſſimæ nequitiæ & miſeriæ ſtadium proſpere emenſus eſt, invenit admirationis & adorationis honores, quos qui adeptus ſit, aut quo titulo poſtulet, æque cum aliis ipſe ignorat, neque id in quæſtionem venit. Ille, qui ob unum aliquod horum ſcelerum commiſſum, plaudentibus omnibus, ornamentum patibuli fuiſſet, ille inde famam conſequitur, quod omnia perpetravit; inde patibulum & chorda ſimplicibus & innocentibus in portionem & præmium cedunt, boniſque civibus & virtutis amantibus. Adeone vero tam iniquum judicium, tam iniqua ſors, egenos fures, viles ultimæ fæcis nebulones, & latrunculos, non afficit? Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema. *Videtur homo ſic a natura formatus, ut imponi ſibi, ut ſe ductitari, patiatur & velit, quod niſi foret, maxime infamis, maxime infelix, foret peſſimus & flagitioſiſſimus quiſque; contra probi & commodi maxime quoque florerent, gauderent adjutoribus plurimis, plurimorum ferrent plauſus & vota. Verum, quæ noſtri generis eſt infamia, & orbis terrarum infelicitas, contraria omnia obtinent. Qui lætari debebant, ſæpe plorant, &, quos viciſſim plorare decebat, exultant haud raro, innocens utplurimum opprimitur, candidus ductitatur, ſuos oppreſſores & irriſores hi ipſi admovent ſummis dignitatibus & reverentur; ſæpe miſeri iſti verveces ſuos hos inimicos &* χλευαςὰς *pro amicis integerrimis reputant; quod majus eſt, ſæpe magno molimine, magno cum impendio, miſeriam ſuam, quam inſignia commoda & beatitatem egregiam appellant, perennem laborant efficere. Sæpe pro iratis hoſtibus habent, ſi quis eos, ubi malorum verſentur, doce-*

re, & jacentes humo attollere, humanior velit. En hic eſt ille, qui ſanam rationem peculium ſuum jactat; quem capacem inſtructionis eſſe, non magis licet diffiteri, quam eadem abuti; ſed, ut verum fateamur, doctrina fere non eſt in plurimis regionibus niſi error & naturalis luminis atque doctrinæ acquiſitæ malæ applicatio, fere nihil, niſi mendaciorum propagatio, miraque & peregrina ἄνοια, veritati, rationi, & libertati, adverſa, inexpugnabilis ϛοργὴ ignorantiæ, quæ rerum divinarum ſcientia dicitur, & ſervitutis, quæ obſequii nomine venit. Inde ſit, ut Papæ & tyranni publici cultus numina in templo idololatriæ dedicentur; inde fit, ut, qui conſecratis his ſacrilegis & parricidis, maledictionum, quæ terram affligere poſſunt, maximis, ſeſe opponunt, increpentur, ludibrio & contumelia afficiantur, absque horrore & fremitu vel nomine tenus non commemorentur; inde fit, ut patriæ ſuæ domitor, poſtquam ei jugum impoſuit, rector & legislator appelletur, aut ſi quod aliud eſt pulchrum nomen; ut idem pro rebellibus reputet utaturque ceu talibus illis omnibus, qui contra ejus ἀνομίαν & ἀπειθίαν ſe patriæ ſuæ fideliter & legitime obſequioſos monſtrant. Talis eſt ridicula vis faſcinatrix, nominibus adhærens, a perverſa educatione nata. Multo, me quidem judice, venerabilior erat, multo felicior, gens Medicæa, privata adhuc, inter cives liberos opulentiſſima, quam cum a factione, a violentia, a corrupta, fœda, & infami, plebe patriæ ſuæ imponerentur vitio & injuſtitia creati domini. Imo ambigo, fuerintne olim ditiores, cum adhuc parerent, quam poſtea, cum imperarent. Id ſaltem pro certo novi, fuiſſe tum & innocentes magis & magis ſecuros. Verum ita eſt deceptrix vis grandis & ſonori nominis, ut vix appellarentur Principes, injuſte acquiſito, adeoque violenter arrepto, & præter meritum uſurpato, titulo, quin ſtatim magni Reges cum illis matrimonia contraherent: qui Reges procul dubio huc usque eorum ſocietatem, ut bonorum civium & mercatorum, dedignati fuerant. O miram cæcitatem & injuſtitiam! Mercator quin honeſtus vir ſit, & amans patriæ generisque humani, nihil obſtat: qualiscunque ſit, ſemper tamen membrum ſocietatis perquam utile. At uſurpator,

at

at tyrannus, qui catenas & calamitates infert patriæ, poteritne is partem tam honorificorum, tam ſuos aliis commendantium, nominum jure ſibi poſtulare? Magis honorificum eſſe puto, & certe eſt, ſi quis juſtus & utilis patriæ magiſtratum in libera civitate, etiamſi in oppido quodam Helvetio, gerat, quam ſi utcunque ſonoro cum titulo utcunque beatæ regioni ferreum tyrannidis ſceptrum intentet. Libertas non robur tantum, ſed & abundantiam proſperosque ſucceſſus rerum omnium, producit, vel inter ipſos ſcopulos; ridet vel in aſperrimis regionibus; benedictionem importat vel invita ſoli natura; &, natura nequidquam contra nitente, tyrannis maledictionem importat. In climatibus, quorum venuſtum & fertile ſolum quaſi capitale aliquod naturæ opus exhibet, per omnes hominum ordines immani copia conſpiciuntur attritæ laceræque pannuciæ & horribiles macie, fameque efferati vultus, egeſtatis & miſeriæ notæ. Deſperata miſerorum incolarum conditio dehoneſtare ſuum ſolum, & pro ſuo non agnoſcere, videtur. Ita re vera differt conditio pagorum Helvetiorum, qui frigidum luridumque vident, & montibus ſunt obſiti; & iſtis vicinæ cujusdam regionis conditio, quæ omnium ſub ſole poſitorum tantum non eſt pulcherrima. Hæc qui conſiderant, curamque ſuæ patriæ ſollicitam gerunt, poſſuntne libertatem ſatis unquam æſtimare & defendere? Poſſuntne patriotas extollere nimium, aut nimium odiſſe parricidas? Nimiumne metuere tyrannidem, nimiumne deteſtari mancipatum? Poſſuntne aliud quod argumentum exputare, aut credere, dignius tractatu, expoſitu, commendatu, inculcatu? Maximum hoc eſt argumentum, primus & præcipuus ſcopus, ſocietatis; quid adeo poteſt hominem tangere, quam ut aut felix, aut miſer, ſit, liber, aut in catenis? Summane fruatur benedictione, an maxime amara maledictione & calamitate, quam proferre ſecula valent? Cicero *mortem & ejectionem multo minora ſervitute, multo minus timenda, reputabat.*

Hactenus *Gordonus*, quem, utinam eſſet, qui nobis in vulgatiorem linguam dignis modis translatum daret! Plura daremus ſuaviſſimi & excelſi ſcriptoris ſpecimina, ſi locus hic pa-

 tere-

Digitized by Google

teretur. Quæ reſtant, pauca nobis dicenda tantum addemus: quod ſcilicet hos politicos Sermones excipiat Anglica interpretatio *Salluſtiani* operis *de bello Catilinario*, & quatuor *Ciceronis* adverſus eundem latronem Orationum; quarum unam aliquam ipſe Noſter non convertit, ſed aliquis primi ordinis & ſummæ dignitatis vir; deinceps legitur Bellum *Jugurthinum.* Non quidem comparavimus hanc interpretationem cum Latinis; nullum tamen nobis dubium eſt, quin omnes Noſter ad eam attulerit pulchras dotes, quas ab interprete novit requiri, & omnia cautus evitarit ſuorum in hoc opere anteceſſorum vitia, quæ in Præfatione ipſe notavit. Agmen ducunt opuſcula quædam *Salluſtiana*, ut Oratio *M. Æmilii Lepidi* Coſ. adverſus *Syllam; L. Philippi* adverſus *Lepidum; Pompeji* Epiſtola ad Senatum; Oratio *Licinii*, Tribuni plebis, ad plebem; Epiſtola *Mithridatis* ad *Arſacem;* Oratio *M. Cottæ* Coſ. ad populum; *Salluſtii* ad *Julium* Cæſarem Epiſtola prima, vel potius, ex Noſtri opinione, ſecunda; & ejusdem ſecunda, ſeu prima potius. Hæc opuſcula curavit Autor ab alio quodam, quem non nominat, Anglice reddi. Tandem & hoc notamus, Noſtrum promittere Hiſtoriam Angliæ a *Guilielmo* inde *Conqueſtore* (ſi bene cepimus ejus verba: *I have begun at the conqueſt*) usque ad tempora *Cromwelli* deductam. Dignum aliquid Autore ſuo omniumque oculis, & perfectum, non poſſumus a tam grandium & nobilium ſpirituum viro, a tam felice & potente *Taciti* imitatore, non exſpectare.

OBSERVATIONS ON THE LIFE OF CICERO.

id eſt,

OBSERVATIONES DE VITA CICERONIS.

Londini, 1741, 8.

Plag. 3½.

Libelli hujus, cujus Autor latere, quam viris doctis innoteſcere, maluit, quæ ſit deſtinatio, ſtatim ex principio intelligimus. Vivis depingere coloribus *Ciceronem*, virum celebratiſſimum, ſtudet; ſed iis tamen, qui multis ejus amicis & fautoribus non omnino placebunt. *Non dubito*, ait Noſter, *quin, ſollicite contemplando ejus actiones, ſæpe prorſus eas diſpares deprehendamus illorum moribus, qui nomen amantium*

tium civitatis & verorum civium merentur. Ipſæ Ciceronis *Epiſtolæ, in quibus liberius loquitur, & ingenio ſuo indulget, magisque ſimplex eſt & ὡς ἔφυ, quam in Orationibus, in quibus vanus haud raro apparet, Epiſtolæ, inquam, ejus declarant, publicum ejus characterem multum a perfecto, qualis eſſe debuerat, abeſſe; ſæpe ipſum magis ambitioſum Oratorem ſe monſtraſſe, quam Philoſophum rei publicæ commodis intentum, virtutes ejus occæcatas & retuſas fuiſſe multis defectibus, imbelli vacillatione, & erroribus exitioſis; eum, tam celſos incorruptæ virtutis conceptus animo gerentem virum, ſæpe tamen corrupti ſui ſeculi ſe permiſiſſe impulſui, ſalutemque rei publicæ privatis ſuis emolumentis & affectibus donaſſe. Qualis cum fuerit, tanto minus venia dignus eſt,* (ait Noſter,) *quanto perfectius intelligebat virtutis indolem. Certe non fuit, qui præcepta ejus magis animo comprehenderit, aut ejus pulchritudinem ipſo clarius inſpexerit. - - Ut jus ipſi ſuum tribuamus,* pergit Anglus, *fatendum eſt, in quibusdam ſuæ rerum adminiſtrationis partibus eum fuiſſe civem, quem pingit; ſalutem R. P. non tantummodo multum ipſi debuiſſe, ſed etiam conſervationem ſui in una illa criſi, ſeu periculoſa ſua everſione. Sed carebat ille conſtantia, & æquabilitate morum; quæ ſi acceſſiſſet ceteris ejus bonis, juſto titulo famam haberet, quam avidiſſime ambiebat, & peculiari magis & iniquo favore doctorum hominum, quam ſuffragio ſeverorum judicum hiſtoriæ ſcriptorum. obtinuit* Hinc actiones *Ciceronis* ab initio ad finem usque perſequitur, & cenſet, qua in re officio ſuo & perſonæ, quam affectabat, aut ſatisfecerit, aut defuerit. Laudabiliter eum ſe geſſiſſe in defendenda contra *Sullam* cauſa *Roſcii Amerini*, ut & in Quæſtura Sicula, ſed inflatum ſecundis ſucceſſibus gratumque jam Romano populo, eum evaſiſſe vanum, primo, dein, honorum adipiſcendorum ſtudio, tyrannidis *Pompejanæ* admiratorem & ſatellitem; quod monſtrarit pronuntiata Oratione pro *L. Manilia*, de qua Noſter paulo fuſius diſputat, qua occaſione & quem in finem dicta fuerit, num *Plutarchus* ea de re minus accurate tradat. In Conſulatu *Ciceronem* ſe non tantum perſpicacem & intelligentem rerum politicarum in cauſa *L. Rulli*, ſed & in iſta *Catilinaria* patriæ amantem, vigilem, firmum, aſſiduum, demonſtraſſe, ſed poſt Conſulatum defeciſſe & mire vacillaſſe ſæpe, ſicut appareat ex ejus literis, addictum fuiſſe *Pompejo*, rurſus

Digitized by Google

adverſum, interdum imploraſſe ejus tutelam, rurſus potentiam ſpreviſſe; nunc ſtate paratum, aut cadere, cum communi cauſa, nunc partibus tyrannorum adhærentem deprehendi; ſemper diverſis modis ratiocinantem melius, quam, ut ita ageret, a ſe poterat impetrare; ſæpe etiam ipſum levitatem ſuam prodere, ut in illa Epiſtola, qua fatetur apertis verbis, curam R. P. ſe omittere ſtudio *reditus in gratiam cum inimicis, pacis cum multitudine & ſervilis otii*; & in alia, qua ſe non negat a tyrannis auguratu capi poſſe, ſuamque ipſe *levitatem* incuſat & deridet. Præcipua libelli hujus dos eſt, ut, quod a ceteris Hiſtoricis non ſatis pertractatum fuit, ſpatium a Conſulatu *Ciceronis* usque ad exilium ejus exacte depingat, quibus modis *Pompejum* & *Cæſarem* demereri ſtuduerit, quibus hi viciſſim illum ductitarint, quomodo favens equeſtri ordini *Catoni* propterea colliſerit, quam imprudens cum *Clodio*, quem contemnebat, *Terentiæ* ſuæ magis inſtinctu, quam ſua voluntate, litem orſus fuerit, quam facile ſibi paſſus fuerit ab inimico ſimulatore imponi, ut, repudiata, quam *Cæſar* ipſi offerebat, in Gallis honorifica Legati ſtatione, maneret in urbe, ſuumque ſic ſibi ſuis manibus ſtrueret exilium, *Clodio* larvam deponente, irritato *Cæſare*, *Pompejo* ſpernente. Inde depingit, quam parum viriliter, quam dejecto & fracto ſpiritu, tulerit exilium; quam fœda macula legationem ſuam in Cilicia, dum rebus militaribus ſe admiſceret, & Imperatoris titulum ambiret, adſperſerit; quam non amore bonæ partis, ſed neceſſitate, *Pompeji* caſtra fuerit ſecutus, quam a pugna inde Pharſalica ad mortem usque *Cæſaris* ignobilem & ingloriam vitam egerit, non in modeſto & prudente otio, ſed in plena luce rei publicæ. Laudandum tamen id in eo eſſe, quod vilis adulator *Cæſari* commodis amicorum curandis ſemper intentus fuerit. *Antonio* quidem invaleſcente recuperaſſe priſtinas vires animumque libertatis aſſertorem, qui ſub *Cæſare* ſepultus fuerat; verum nimiis ſuis adverſus *Antonium* animis bonæ cauſæ magis obfuiſſe, quam profuiſſe; & in eo maxime, quod ſummam rerum poteſtatem juveni *Auguſto* in manus dederit, in leges artis politicæ peccaſſe. *Auguſtum* ideo minus accuſandum eſſe proditi *Ciceronis* deſertique, quod is incaute quædam de *Auguſto* deinceps oportuno tempore tollendo ſiverat emanare. *Ultima pagina* pingit mores *Tullii* privatos; taxat, quod nimis σκωπτόλης fuerit, excuſat ejus luctum, quo filiæ *Tulliæ*, raris dotibus præditæ, mortem proſecutus fuit. De ſcriptis ejus judicat, eſſe illa illuſtre argumentum, quantum valeat & neceſſaria ſit libertas prodendis excellentibus libris, ſtatim ab exſtincta libertate nobiles animos ita cecidiſſe, ut, qui majores vel imitari auſi fuerint, eo ipſo demonſtrarint, quam ingenium & ſapientia Romana fuerint prolapſa, quæ potiſſimum in Oratoria & Philoſophia ſeſe exerant. Poeſin quidem & alias eruditi artes otii poſſe ſub auſpiciis domini avtocratoris ſatis florere; ſed ſolidi vim ratiocinii, aut ſublimem & imperioſam eloquentiam, non pati fræna ſervitutis, neque conſiſtere cum timida alieni arbitrii obſervatione.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno MDCCXLIX.

NOUVEL ATLAS &c.

hoc eſt,

NOVUS ATLAS SOCIETATIS COSMOGRAPHICæ, Mappas generales & ſpeciales ſecundum veras ſcientiæ coſmographicæ leges, per membra Societatis deſignatas, complectens. Præfatio ideam Academiæ Coſmographicæ ſiſtit.

Norimbergæ, apud Hæredes Homannianos, 1748, fol.

Conſtat Mappis geogr. 20, Præf. plag. 3.

Qui egregio fervore in conſervanda *Homanniani* nominis gloria laborant Hæredes *Homanniani*, hoc Atlante, iisque, quæ in Præfatione dixerunt, egregiis illis, quibus jam Geographiam ornarunt, emolumentis nova addidere. Nam in Præfatione, & quibus nævis adhuc laboret Geographia, Mapparum potiſſimum confectio, & quam laudandis conatibus, ſi illis Principes aſſiſtant, tantum opus aggredi velint, exponunt. Triplici vero arte in Mappis geographicis conficiendis ex illorum ſententia opus eſt: *mathematica*, quæ optimam projectionis methodum docet; *critica*, quæ ex variis tabulis & relationibus optimum ſeligit, plura in unum concinne cohærens ſyſtema aptat, denique ex

dubiis etiam, quod veroſimillimum eſt, ſecernit; & *hiſtorica*, quæ loca memorabilibus geſtis celebria, fines regionum, & ſimilia, annotat. Projectionis methodum eam reliquis præferunt, cujus theoriam B. *Haſius* dedit, praxinque exemplis monſtravit, ſed tamen in illa ulterius perficienda operam adhuc collocandam exiſtimant. Tabulas autem geographicas, quæ ex debitis menſurationibus concinnatæ ſint, cum habeamus pauciſſimas, &, ſi verum dicere licet, præter *Caſſinianam* Galliæ, fere nullam, labor maximus Geographo imponitur, ex Tabulis, quæ vulgo proſtant, parum accuratis tolerabile aliquid efficiendi. Unde ex tanta farragine Tabularum geographicarum, quæ ad 16000 adſcendit, vix 1700 reſtant, quæ tolerari poſſint, &, ſi ex his demas ſecundum falſam projectionem deſignatas, & vetuſtate laborantes, rurſus harum numerus multum imminuetur.

Eſt igitur Hæredum *Homannianorum* ad emendandam Geographiam conſilium hoc, ut ſub Imperiali Statuumque imperii protectione Academia Geographica excitetur. Ea in tres claſſes dividetur: *mathematicam*, cujus membra projectionis leges, obſervationes aſtronomicas, & quæcunque ex Matheſi ad theoriam Geographiæ ſpectant, examinabunt; *geographicam*, quæ tum in illis ad praxin deducendis, tum in relationibus itinerariorum, in mutationibus, quas hiſtoria enarrat, &c. ad Geographiæ uſum transferendis occupabitur; & *correſpondentium*, qui de ſua quilibet patria, quæ tuto ſibi conſtant, ad ſocietatem referent. Præterea menſurationes per totam Germaniam, annuentibus Principibus, inſtituendas ſuadent, quarum directrix Academia ſtatuatur, ex his accuratas patriæ noſtra tabulas concinnatura; ſi qua etiam ſint, quæ propalari, politicæ rationes vetent, facile ex Principibus, quorum, ut ſecreta maneant, intereſt, ſervari poſſunt. Eſt tale Collegium, a quo menſurationes in Suecia diriguntur, a *Carolo XI* inſtitutum, & Sinarum Imperator *Cham-hi* menſurato regno ſuo effecit, ut vaſtiſſimi hujus & remotiſſimi imperii accuratiorem tabu-

larum,

larum, quam regionum, quæ proximæ nobis ſunt, habeamus. Academiæ autem eſſet, & eos, qui menſurationibus his vacare deberent, ſeligere, & inſtrumenta idonea, cum vulgaria non ſatis accurata ſint, ſubminiſtrare. Eſſet autem ſedes Academiæ hujus ſtatuenda apud Hæredes *Homannianos*, etſi membra poſſent per totam Germaniam diſpergi. Horum opera, quod ab eruditis Academiæ membris probatum eſſet, nihil aliud, in lucem ederetur; quo præcaveri poſſit, ne lucri cupiditas, quæ tantis jam malis artem geographicam afflixit, hic aliquid turbaret. Cum vero Germanicum hoc potiſſimum ſit inſtitutum; membra Germani eſſe debent, & in Germania degentes, *Correſpondentes* extranei eſſe poterunt. Edet vero Societas Germanico idiomate *Relationes & Collectiones de Geographia emendata*, opus per partes continuandum. Hæc generatim de Societatis inſtituto monuiſſe ſufficiat, quod patet ſumme laudabile, dignumque, eſſe, quod Principes, quorum maxime intereſt, cognitionem terræ, quæ ipſis patet, emendari, tueantur. Sincerus enim ardor, quo in Geographia ornanda flagrant *Homanniani*, abunde ex toto conſilio patet, eumque pluribus jam ſpeciminibus notum fecerunt, inter quæ dignum commemoratu eſt, *Lowiczium*, eruditum Geometram & Geographum, publicatis eclipſeos ſolaris anni præteriti tabulis inclytum, pro declinatione magnetica accuratius inveſtiganda arcus plures conſimiles parare, inter obſervatores in locis, quam fieri poteſt, maxime diſſitis gratis diſtribuendas.

Sed de Tabulis ipſis, quæ Atlantem hunc componunt, breviores erimus, cum præſtantia ipſarum magis intuitu ipſo examineque inſtituto cognoſci debeat, quam a nobis laudari poſſit. Sunt vero illæ non novæ penitus, ſed jam ſparſim Geographiæ ſtudioſis cognitæ atque probatæ. En earum catalogum: 1) Tabula orbis terrarum; 2) Europa integra tabula unica; 3) Europa tabulis quatuor exhibita; 4) Ruſſia; 5) Hungaria; 6) Auſtriacus circulus; 7) Bohemia & Sileſia; 8) Circulus Suevicus; 9) Germania

mania inferior; 10) Turcia; 11) Græcia; 12) Aſia; 13) Natolia; 14) Regni Iſraelitici tria Schemata, ex B. *Haaſii* opere de regno Davidico-Salomonæo; 15) Terra ſancta; 16) Sinarum regnum; 17) India orientalis, duabus Tabulis exhibita; 18) Africa; 19) Litus Guineenſe; 20) America. Cur hæ præcipue, non aliæ, Tabulæ compareant in Atlante, non indicatur; id tamen monemur, Tabulas eum in finem collectas eſſe, ut imperantibus, cum petito de tuenda Academia, ſpeciminis loco offerri poſſint. Germaniæ Tabula *Homanniana* non comparet, quod, utcunque in ea emendanda laboratum ſit, tamen ad perfectionem, ad quam adſpirat Academia, nondum pertingat; optant enim, ut *Caſſinianam* in Gallia delineanda diligentiam æquare detur. Monent, Atlanti huic jungi poſſe & folia Atlantis *Haſiani* hiſtorici maximorum orbis imperiorum, quo facto, ſyſtema antiquæ & novæ Geographiæ in Tabulis ſecundum eadem principia accurate delineatis haberetur. Nos vero tantis, & tanta laude digniſſimis, auſis clementiam eorum, a quibus potiſſimum res pendet, comprecamur, &, ſi illi omnes ita erga bonas literas animati ſint, ut Sereniſſimus Pruſſiæ Rex, cui Opus dicatum eſt, promittimus.

HISTOIRE GENERALE D' ALLEMAGNE, &c. hoc eſt, *HISTORIA GENERALIS GERMANIÆ, CONſcripta a JOSEPHO BARRIO, Canonico regulari S. Genovevæ, & Cancellario Academiæ Pariſienſis.*

Tomus VII & VIII.

Pariſiis, apud Carolum J. B. Delespine & Joannem Thomam Heriſſant, 1748, 4 maj.

Tom. VII Alph. 6 plag. 3, Tom. VIII Alph. 5 plag. 11.

Triſtiſſima tempora, quæ imperium *Wenceslai*, Principis

cipis quippe, omnium vitiorum labe infecti, Germaniæ attulit, Rev. Autor ſub initium *Tomi ſeptimi* delineat. Quamvis enim *Wenceslaus* inſignem de ſe ſpem ſub regiminis ingreſſum faceret; ſucceſſu tamen temporis, ubi A. 1380 propter peſtem, Bohemiam devaſtantem, Aquisgrani ſederat, usque adeo virtutis tramitem reliquit, ut Tom. VII
otio voluptatibusque unice ſerviret. Cumque eam ob pag. 3.
cauſam omnis e Germania exularet juſtitia; varia idcirco fœdera inter quosdam Imperii ordines, mutuæ defenſionis ergo, ſancita ſunt, de quibus Rev. Autor accuratam
ſuppeditat notitiam. Quomodo regnum Neapolitanum 4.
Reginæ *Joannæ*, a Pontifice *Urbano* excommunicatæ, fuerit ereptum, & a *Carolo Duraſſo*, qui Reginam illam trucidavit, occupatum, nos docet. Principes Bavariæ bellum 11.
contra *Wenceslaum* geſſiſſe, eique terras, in ſuperiori Palatinatu ſitas, & *Carolo IV* quondam ceſſas, eripuiſſe,
narrat. Turbas, in regno Daniæ, poſt mortem *Olai* Re- 19.
gis, excitatas, ediſſerit, *Margaretham*, defuncti matrem,
coronam Danicam obtinuiſſe, docens. Eandem, de- 20.
poſito Rege *Alberto*, Suecia potitam eſſe, commemorat. 23.
Helvetiorum fortitudinem, in vindicanda contra domus Au-
ſtriacæ inſultus libertate, prædicat. De aliis quibusdam 27.
turbis, in Germania tunc agitatis, nonnulla affert. *Joannis* 29.
Nepomuceni martirium deſcribit. Poſt mortem *Ludovici*, 32.
Regis Hungariæ, filia ejusdem, *Maria*, *Sigiſmundo* nupta, thronum conſcendit, eaque honoris cauſa *Regis* nomen ab ordinibus accepit. *Eliſabetha*, defuncti *Ludovici* vidua, & *Maria* mater, regiminis curas cum ea ſimul ſuſcepit. Mox autem, conjuratione contra haſce Principes exiſtente, *Carolo*, Neapolitanorum Regi, corona Hungariæ oblata eſt, qui, quamvis Rex inauguraretur, brevi tamen per inſidias harum Reginarum trucidatus eſt. Cædem poſtea *Eliſabethæ*, & captivitatem *Mariæ*, Rev. Autor 34.
deſcribit, *Sigiſmundum* tamen Hungariam ſibi ſubjeciſſe, narrans. Res Neapolitanas dum perſequitur, *Ottonem* 35.
Brunſuicenſem, trucidatæ *Joannæ* maritum, conſentiente

Pag. 37. *Clemente VII* Papa, præfectum iſtius regni conſtitutum eſſe,
40. refert. *Bonifacium IX, annatas* primum introduxiſſe, contendit. *Ottonem* Brunſuicenſem anno ætatis octogeſimo
47. mortuum eſſe, ſtatuit. Conſpirationes, adverſus *Wenceslaum* motas, & Regis Hungariæ *Sigiſmundi* expeditionem
52. contra eundem cœptam, pluribus deſcribit. *Wenceslaum*, carceri incluſum, mox libertatem & regnum
56. Bohemiæ recuperaſſe, ample narrat. Schiſmata, propter
58. antipapas exorta, erudite itidem & accurate lectoribus ponit ante oculos. De comitiis Calmarienſibus, in Suecia A. 1398 habitis, diſputat, regna Sueciæ, Daniæ, & Nor-
66. wegiæ, ibi unita eſſe, obſervans, quæ res *Unionis Calmarienſis* nomine inſignitur. Inſulam Gothlandiam, ab Ordine Teutonico poſſeſſam, Suecis reſtituere laborans *Margaretha* Regina, bello Ordinem Teutonicum petiit. Res tamen, Cæſare interveniente, in conventu, Helſinburgi inſtituto, ita eſt compoſita, ut Ordo Teutonicus, inſigni pecuniæ
69. ſumma a Suecis accepta, Gothlandiam illis cederet. Motus ordinum Imperii contra Imperatorem Rev. Autor deſcribit, &, quomodo is tandem in comitiis, *Landſteini* in diœ-
74. ceſi Moguntina habitis, depoſitus fuerit, accurate deſcribit. De *Friderico*, Duce Brunſuicenſi, *Wenceslai* ſucceſſore, diſputat, eum tamen, cum mox trucidaretur, in ſeriem Imperatorum vix referri poſſe, contendit. De electione *Ruperti*, Comitis Palatini Rheni, Renſæ peracta, diſſerit.
79. Multos eum abuſus, per *Wenceslaum* invectos, correxiſſe, obſervat. Res geſtas ejus in Italia operoſe deſcribit. Eundem urbes, a *Galeatio Viſcontio* obſeſſas, ſibi ſubjecturum
90. fuiſſe, conjicit, niſi turbæ, a depoſito *Wenceslao* motæ, eum in Germaniam revocaſſent. Hos ipſos *Wenceslai* conatus ediſſerit. *Sigiſmundum*, fratrem, partes ejus deſeruiſſe, omniaque idcirco *Wenceslai* conſilia eventu deſtitu-
91. ta fuiſſe, nos docet. Seditionem Hungarorum, adverſus
92. *Sigiſmundum* tentatam, deſcribit. De *Joanne Huſſo* quam plurima affert, incrementum ejus doctrinæ a pigritia *Wenceslai* perperam ſane arceſſens. Quomodo motus, ejus occaſione

Digitized by Google

occaſione excitati, Academiæ noſtræ Lipſienſi natales dederint, narrat. *Benedictum XIII* & *Gregorium XII* antipapas in Concilio Piſano ſimul fuiſſe depoſitos, commemorat. Pag. 105. Mortem Imperatoris *Roberti* deſcribit, ejusque virtutes valde extollit. 115. *Jodocus* inde *Luxenburgenſis*, & *Sigiſmundus*, Anticæſares electi ſunt, unde, tres eo tempore in Germania fuiſſe Imperatores, ex domo Luxenburgica oriundos, *Wenceslaum* nempe, qui jura in Imperium ſibi adhuc reſervabat, *Sigiſmundum*, atque *Jodocum*, Rev. Autor narrat. 121. Mors tamen *Jodoci*, brevi poſt inſecuta, turbis, quæ exiſtere poterant, obicem poſuit. 123. *Sigiſmundus* dein iterata vice Imperator electus eſt, in cujus virtutibus atque doctrina extollendis Rev. Autor fere nimius nobis videtur. Ægre etenim ipſi ſubſcribimus, quando *Sigiſmundo* inſignem Latinæ linguæ peritiam tribuit. 126. Peſſimum Eccleſiæ iſtius temporis ſtatum, quando *Joannes XXII* cum *Benedicto XIII* & *Gregorio XII*, in Concilio Piſano depoſitis, de ſede Papali certavit, eleganter depingit. In locum mortui *Ladislai*, Regis Neapolitani, ſororem ejus *Janellam* ſucceſſiſſe, nos docet. 137. Acta Concilii Conſtantienſis ediſſerit, ipſum Imperatorem, conſulto tamen Pontifice, illud convocaſſe, contendens. 144. Salvum conductum, *Jo. Huſſo* datum, integrum apponit, eumque nihilo ſecius, ubi Conſtantiam venerat, carceri fuiſſe incluſum, non diffitetur. 147. Abſens & Aquisgrani conſtitutus tunc erat Imperator, ubi quidem inauguratus eſt. Et, quamvis ille Princeps, accepto de captivitate *Huſſi* nuntio, eundem e carcere dimitti, illico juberet, juſſa tamen ejus ſpreta ſunt. Imo, ipſum poſtea Imperatorem, a Clericis, in Concilio præſentibus, argumentis admodum frivolis, e decretalibus Pontificum deſumtis, deluſum, ſalvum illum conductum revocaſſe, & cauſam *Huſſi* arbitrio Concilii reliquiſſe, narrat. Cum ſchiſma, per antipapas excitatum, non melius componi poſſe videretur, quam ſi *Joannes XXIII*, canonice ſiquidem electus, Pontificatum in liberas Concilii manus ſua ſponte reſignaret, ut dein novus & unus Pontifex poſ- 151.

ſet

ſet conſtitui; ea de re inprimis hac in Synodo cogitatum eſt. Quamvis autem *Joanni* ſpes fieret, ſe poſtliminio, per liberam Concilii electionem, dignitatem Papalem recuperaturum eſſe; adeo tamen is tergiverſatus eſt, ut tandem, ſolenni ſententia contra eum lata, deponeretur,
Pag. 175. quam quidem ſententiam Rev. Autor integram apponit. Sede Papali vacante, Imperatorem bona eccleſiaſtica admini-
179. ſtraſſe, varioſque Epiſcopos creaſſe, nos docet. Inquiſitionem in *Joannis Huſſi* cauſam & dogmata eleganter &
180. candide deſcribit, de perverſa cum illo agendi ratione ni-
185. hil diſſimulans. De ſupplicio denique, ab illo veritatis cœleſtis confeſſore ſumto, diſputat. Crudelitatem Concilii
192. adverſus *Hieronymum Pragenſem* ſimul monſtrat. Iter Imperatoris, in Galliam, Angliam, & Hiſpaniam, inſtitutum, deſcribit. *Friderico*, Burggrafio Norimbergenſi, Electo-
197. ratum Brandenburgicum Imperatorem in feudum dediſſe, nos docet. Quomodo *Benedictus XIII* a Concilio Conſtantienſi
204. fuerit depoſitus, narrat. Electionem novi Papæ *Martini*
207. *V* deſcribit. *Gregorium XII* circa eadem tempora, &
209. *Benedictum XIII* A. 1424, mortuos eſſe, docet. Quomodo *Fridericus*, Auſtriæ Dux, qui a partibus *Joannis XXIII* ſteterat, ideoque ex Imperio proſcriptus erat, in
210. gratiam Imperatoris redierit, narrat. Motus Huſſiticos am-
211. ple ediſſerit. Reformationem Eccleſiæ in Conſtantienſi
220. Concilio fruſtra fuiſſe tentatam, dictitat. Poſt mortem
221. *Wenceslai* regnum Bohemiæ ad Imperatorem perveniſſe, docet. Daniæ Regem, *Ericum*, Comitibus Holſatis Ducatum Sleswicenſem propter feloniam commiſſam ademiſſe,
237. & ſententiam, ideo latam, ab Imperatore confirmatam eſſe, obſervat. *Sigiſmundus*, qui propter invictam Huſſitarum fortitudinem, Moraviam & Bohemiam ſimul ſibi ſubjici poſſe, deſperabat, Moraviam *Alberto*, Auſtriæ Duci,
263. genero ſuo, ceſſit, cujus tamen adverſus Huſſitas conatus
264. neutiquam ex voto proceſſerunt. Lites, quæ inter Comites Holſatiæ, & Regem Daniæ *Ericum*, agitabantur, ab
273. Imperatore, ſententia lata, compoſitas eſſe, Rev. Autor monſtrat.

Digitized by Google

monſtrat. *Ziskæ*, Huſſitarum ducis, mortem deſcribens, fabulam, quæ vulgo circumfertur, de corio ejus in tympani uſum converſo, explodit. Huſſitas Miſniam quoque, tempore *Friderici Placidi*, Electoris, invaſiſſe, tradit, cum quidam iſtius regionis Præſules in *Jo. Huſſum* roge imponendum conſenſiſſe viderentur. Nomina interim urbium iſtius & vicini tractus parum accurate hic indicantur. Nimirum urbem *Pirnam* per B ſcribit. *Procopium Raſum*, cum exercitu Sileſiam verſus tendentem, per tractum *Littomeritz* penetraſſe, dicit, cum illum tractum *Leutmeritz* vocare debeat. Urbem *Bautzen*, *Bautſchen* nominat, in ſimilibus aliis a recta ſcribendi ratione paulo alienior. Turcorum in Hungariam invaſionem pluribus deſcribit. De Ducatu Lithuaniæ in Regnum transformando tunc temporis cogitatum eſſe, narrat. Propter continuos Bohemorum motus Concilium Baſileenſe per *Martinum V* indictum fuiſſe, docet, de quo Bononiam transferendo Pontifex fruſtra dein cogitavit. Coronationem Imperatoris Longobardicam, ab Epiſcopo Mediolanenſi peractam, ſatis plene deſcribit. Pontificem belli, a Venetorum & Florentinorum republica adverſus Imperatorem geſti, cauſam fuiſſe, contendit. Quomodo *Eugenium IV* Papam compeſcuerint Baſileenſes, narrat. De coronatione Imperatoris, quæ Romæ accidit, diſputat. *Ludovicum*, Bavariæ Ducem, propter tyrannidem erga cives ſuos, ab Imperatore in comitiis Ulmenſibus proſcriptum fuiſſe, commemorat. *Fridericum Bellicoſum*, Saxoniæ Electoratum, ſoluta centenorum millium florenorum ſumma, ab Imperatore obtinuiſſe, comprobare ſatagit. Lites, a Lauenburgenſibus eapropter motas, ediſſerit. Quomodo tandem motus Huſſitici fuerint ſopiti, & quomodo Bohemia in gratiam Imperatoris, tanquam legitimi Regis ſui, redierit, nos docet. *Albertus Auſtriacus*, Imperatoris gener, per teſtamentum *Sigiſmundi* hæres ejusdem ſcriptus eſt, qui etiam, morte Imperatoris inſecuta, poſt cruentum bellum, cum *Caſimiro* geſtum, qui a Bohemis, in fraudem *Alberti*, Rex

Pag. 275. 317. 325. 328. 344. 351. 355. 357. 369. 373. 374. 379. 391.

eligebatur, Bohemiam tandem obtinuit. Quomodo *Albertus II* Imperator electus, & Aquisgrani coronatus fuerit,
Pag. 403. nos docet, ordinum Regni Hungarici conſenſum, ad dignitatem Imperialem ſuſcipiendam, ipſi prius impetran-
405. dum fuiſſe, monens. Germaniam ſub illo Imperatore pri-
409. mum in quatuor circulos fuiſſe diviſam, Rev. Autor monſtrat. Lites, propter Concilium Baſileenſe inter Papam
412. *Eugenium IV* & ordines Germaniæ agitatas, deſcribit.
414. Res geſtas *Alberti* contra Turcos ediſſerit. Eundem, morbo epidemico, qui per Hungariam graſſabatur, correptum, anno imperii ſecundo, vitam cum morte commutaſſe, doler. Virtutes ejus, *Æneæ Sylvii* teſtimonium ſecutus, valde
415. prædicat. *Fridericus Auſtriacus*, defuncti *Alberti* proximus
422. agnatus, & *Erneſti Auſtriaci*, Stiriæ Ducis, filius, Imperator poſtea electus eſt. Quid in Bohemia & Hungaria propter
424. ſucceſſionem in regnis illis fuerit actum, Rev. Autor fuſe & accurate exponit. *Eliſabetham*, defuncti *Alberti* viduam, *Ladiſlaum*, filium poſthumum, peperiſſe, nos docet. Eundem mox Regem Hungariæ coronatum fuiſſe, narrat.
429. Ordines tamen Bohemiæ *Albertum Bavarum* Regem elegerunt. Is autem, ab Imperatore *Friderico III*, juvenis *Ladiſlai* tutore, monitus, coronam illam generoſo animo recuſavit, quo facto, Imperator, de Bohemia a ſe interim ad-
431. miniſtranda, ordinibus Regni fidem dedit. Cum autem ipſemet Imperator in Bohemia præſens eſſe non poſſet,
433. duo adminiſtratores a Bohemis conſtituti ſunt. *Ladiſlaus*, Poloniæ Rex, ab Hungaris in fraudem legitimi hæredis ſolio admotus, armata manu coronam illam ad ſe rapere anniſus eſt: mox tamen, cum bellum minus proſpere ipſi cederet, pacem cum *Eliſabetha* iniit, cujus contenta Rev.
434. Autor accurate exponit. Pruſſiam tunc temporis dominio directo Poloniæ ſemet ſubjeciſſe, narrat. De inventione
438. artis typographicæ multa affert. Coronationem *Friderici*
447. *III*, Aquisgrani peractam, deſcribit. Regem Poloniæ, mor-
463. tua *Eliſabetha*, & *Ladiſlao* juvene in Auſtria conſtituto,
464. Hungariam occupaſſe, narrat. Quid contra Turcos ille geſſerit,

geſſerit, exponit. Eundem in acie, juxta Varnam A. 1444 commiſſa, occiſum eſſe, narrat. Poloni inde *Caſimirum*, magnum Lithuaniæ Ducem, ſolio admoverunt. Pag. 473.
Bellum, quod hac occaſione inter Imperatorem & Hungaros 474.
propter juvenem *Ladislaum* geſtum eſt, Rev. Autor deſcribit. 476.
Quomodo contra Gallos, Alſatiam occupantes, dimicaverit Imperator, narrat. *Eugenium IV* Electores, Colonienſem & Trevirenſem, Concilii Baſileenſis fautores, depoſuiſſe, tradit, turbas, inde exiſtentes, deſcribens. 484.
Fridericum Palatinum, in fraudem fratris filii, cujus tutela ipſi demandata erat, Electoratum Palatinum ſibi vindicaſſe, narrat, & hiſtoriam belli, ideo excitati, perſequitur. 491.
Finem Concilii Baſileenſis, electionem *Nicolai V*, & Concordata, inter eum & Imperatorem inita, deſcribit. 500.
De electione *Chriſtierni II*, Daniæ Regis, diſputat, quem de Suecia & Norwegia in nexu Danici Regni continenda, 502.
fruſtra cogitaſſe, nos docet. *Canutſonus* enim, primus inter Sueciæ proceres Rex Norwegiæ & Sueciæ conſtitutus, unionem Calmarienſem irritam prorſus reddidit. 507.
De bello, *Albertum* inter, Marchionem Brandenburgicum, & Norimbergenſes, propter Burggrafiatum iſtius loci geſto, diſputat, &, pace inſecuta, *Alberto* juriſdictionem feudalem in territorio Norimbergenſi conceſſam eſſe, docet. 508.
Friderico Romam profecto, *Eiſingerus* quidam, nobilis Bavarus, jura juvenis *Ladislai* defenſurus, conſpirationem contra eum excitavit. 512.
Statum Italiæ iſtius temporis Rev. Autor depingit. 518.
De nuptiis, quas Imperator cum *Eleonora*, Principe Portugallica, celebravit, diſputat. 522.
Quomodo Romam iſte Princeps intraverit, ibique Imperiale diadema ſuſceperit, narrat. 526.
Rebelles in Auſtria, per acceſſionem Hungarorum fortiores facti, Neuſtadium, ubi *Fridericus* commorabatur, obſidione cinxerunt. 533.
Cum autem inter medias haſce turbas juvenis *Ladislaus* cuſtodiæ rebellium traderetur, pax tandem inſecuta eſt. 541.
Comes de Cilley, rebellium primipilus, educationi juvenis *Ladislai* præfectus, de Auſtria ad ſe rapienda, quamvis fruſtra, cogitavit. 544.
In 546.

Bohemiam poſtea veniens *Ladislaus*, & regni habenas ca-
Pag. 550. peſſens, jurejurando præſtito, privilegia Bohemorum confirmavit. De occupatione Conſtantinopoleos, A. 1453 in-
555. ſecuta, Rev. Autor multa affert. Auſtriam ſub *Friderico*
575. *III* Archiducalem dignitatem accepiſſe, commemorat. Progreſſus armorum Turcicorum deſcribit. De gravami-
585. nibus Germanorum contra curiam Romanam diſputat. Poſt mortem *Ladislai*, regnum Hungariæ *Matthiæ*, *Hun-*
589. *niadis* filio, Bohemiam autem *Podiebrado*, ceſſiſſe, nos docet. Principem illum reliquias Huſſitarum penitus deleviſſe, eorumque metropolin *Thaboram* ſolo æquaſſe, commemorat. Diſſidia, quæ Imperator cum *Alberto* & *Sigismundo*, Ducibus Auſtriæ, cum *Podiebrado*, Bohemiæ Rege, conjunctis, & de eripienda *Friderico* Imperiali dignitate
594. cogitantibus, exercuit, deſcribit. *Ludovicum*, Bavariæ Ducem, urbem *Donawertham*, quæ libera erat, dominio ſuo ſubjicere tentaſſe, eumque ideo ex Imperio proſcriptum
604. fuiſſe, narrat. *Alberto Auſtriaco*, fratri ſuo, quatuordecim millia aureorum ſe ſoluturum eſſe, pace cum illo inita, promiſerat Imperator. Cum autem in promiſſione illa adimplenda moras continuo necteret, bellum, inter hoſce fratres vix ſopitum, denuo exarſit, ipſique Vindobonen-
616. ſes cives fidem & obedientiam *Friderico* denegarunt; qui-
618. bus tandem turbis mors *Alberti* finem impoſuit. Coronam Hungaricam huc uſque apud ſe detinuerat Imperator. Cum autem *Matthias* eam inſtanter repoſceret, &, armis ſe *Fridericum* invaſurum eſſe, minaretur, ea mox reddita, *Mat-*
621. *thias* inauguratus eſt. In Bohemia Catholicos contra Regem *Podiebradum* conſpiraſſe, & a Pontifice hunc, tanquam hæreticum, corona Bohemica indignum declaratum eſſe,
627. Autor nos docet. *Matthiam* Hungaricum de Bohemia ſibi
640. ſubjicienda cogitaſſe, narrat. Imo, eundem poſtea Regem Bohemiæ, Marchionem Moraviæ, & Principem Sileſiæ, a rebellibus *Podiebradi* civibus renuntiatum eſſe, nos do-
655. cet. Spem tamen iſtarum regionum obtinendarum mox
658. ille, exercitu ſuo fugato, perdidit. Quid poſt mortem

tem *Podiebradi* in Bohemia actum ſit, Rev. Autor narrat, Pag. 663.
Ladiſlaum, Poloniæ Regis filium, regnum illud obtinuiſſe,
monens. *Caroli*, Ducis Burgundiæ, potentiam, & res ab 664.
eo geſtas, fuſe deſcribit. Belli, inter Reges Poloniæ &
Hungariæ propter Bohemiam geſti, hiſtoriam perſequitur.
Ambos tamen hoſce Principes, metu Turcorum ad pacem
inter ſe concludendam commotos eſſe, dictitat. Vi iſti-
us pacis, Moravia atque Sileſia *Matthiæ* conceſſa eſt, *La-
diſlaus* vero Luſatiam cum Bohemia obtinuit, ea lege ad-
dita, ut, ſi alteruter paciſcentium absque hæredibus decede-
ret, tunc ad ſuperſtitem terræ relictæ devolverentur. Poſt
Caroli, Ducis Burgundiæ, interitum, Regem Franciæ, *Ludovi-* 682.
cum XI, tractum illum, qui hodie *Ducatus Burgundicus*
dicitur, ad ſe rapuiſſe, nos docet. Jura Galliæ in Flan- 700.
driam & Hannoniam exponit. Progreſſus armorum Galli- 703.
eorum per Atrebatum & Flandriam deſcribit. De nu- 707.
ptiis *Maximiliani*, Imperatoris filii, cum *Maria*, Burgundiæ
Duce, diſputat. Quomodo *Maximilianus Ludovici XI* in- 712.
ſultus cohibuerit, narrat. Imperator interea *Matthiæ*
Hungarorum Regis fortitudinem expertus eſt, qui, Vin-
dobonam obſidione cingens, *Friderico* pactum, quo ju-
ribus in Hungariam renuntiandum, & inveſtitura Bohe-
miæ concedenda erat, extorſit. Holſatiam tunc Ducatus
honorem obtinuiſſe, Rev. Autor nos docet. Regis Daniæ, 713.
Chriſtierni, filium, *Joannem*, Electoris Saxoniæ *Erneſti*
filiam, *Chriſtinam*, in matrimonium duxiſſe, & hac occa-
ſione Ordinem Elephantinum, qui per Daniam viget, inſti-
tutum eſſe, narrat. A. 1478 *Maximilianus*, ubi filium *Phi-* 714.
lippum ſuſceperat, de terris Belgicis ad deſcendentes trans-
mittendis jam ſecurus, armis ea repetere, quæ Galli injuſte
detraxerant, decrevit. Bellum igitur, ab eo motum, Rev.
Autor ample deſcribit, Gallos ad inducias ab eo petendas
coactos eſſe, narrans. Equites Teutonicos *Rigam*, Li- 721.
voniæ metropolin, occupaſſe, docet. Turcos, Neapolin in-
vadentes, & Tarentum occupantes, ægre tandem per Re-
gem Neapolitanum inde fugatos eſſe, dictitat. Pa-

Digitized by Google

ſtum, mortuo *Chriſtierno*, Rege Daniæ, inter filios ejus
Pag. 732. propter Holſatiam initum, deſcribit. Poſt mortem *Mariæ* Burgundicæ, Gallorum potentia contra *Maximilianum* crevit, qui mox pacem cum illis inire, filiamque *Margaretham* Delphino Galliarum in matrimonium dare, coactus
734. eſt. De rebellione, contra *Maximilianum* a civibus Gan-
738. tenſibus excitata, Rev. Autor diſputat. Belli, quo *Matthias* Imperatorem, nomen Regis Hungariæ adhuc geren-
744. tem, petiit, hiſtoriam perſequitur. *Maximilianus* circa idem tempus Rex Romanorum electus, & pax publica, in comitiis Francofurtenſibus concluſa, per Imperium publicata eſt. Pace cum *Matthia* itidem inita, Cæſar, ſe, ei impenſas belli reſtiturum eſſe, promittens, inferiorem
754. Auſtriam pignoris loco conceſſit. *Maximilianus*, a civibus Brugenſibus, qui fidem ipſi denegabant, ſeditione exiſtente, carceri incluſus, poſt quatuor menſium captivitatem
757. ſub certis conditionibus tandem liberatus eſt. *Matthia* ſine hæredibus defuncto, Sileſia, Luſatia, & Moravia, re-
765. gno Bohemico acceſſerunt. *Ladislaus* inſuper, Bohemiæ Rex, defuncti *Matthiæ* viduam in matrimonium ducens, Rex Hungariæ renuntiatus eſt. Auſtriam, ab Hungaris ſub
767. *Matthia* regno occupatam, Imperatori ſubjecit *Maximilianus*, qui etiam, jura domus ſuæ in Hungariam armis vindica-
768. turus, munitiſſima iſtius tractus caſtella occupavit. Infauſto interim ſidere accidit, ut *Margaretha* Britannica, *Maximiliano* jam deſponſata, *Carolo VIII*, Gallorum Regi,
778. nuberet, cum prius filiam *Maximiliani* repudiaſſet *Carolus*. Bellum, idcirco contra Gallos ope Regis Angliæ ge-
783. ſtum, Rev. Autor deſcribit. Ultima *Friderici* Imperatoris fata enarrat, ſub ejus imperio torneamenta ab uſu receſſiſſe, cum, pulvere pyrio invento, illis exercitationibus non
784. opus eſſe videretur, narrans. Irruptiones Turcorum in
786. Germaniam ſub ingreſſum imperii *Maximiliani* exiſtentes, deſcribit. De Ordine religioſo militari *S. Georgii*, per *Fridericum III* & *Paulum II* fundato, poſtea tamen exſtincto, notitiam ſuppeditat. Cameram Imperialem, a *Maxi-*
789.

miliano

miliano fundatam, Francofurti primum fuiſſe, nos docet. Pag. 791.
Carolum VIII regnum Neapolitanum *Alphonſo* eripuiſſe, 795.
narrat. De nuptiis *Philippi*, Imperatoris filii, cum *Iſabella*, Regis Arragoniæ *Ferdinandi* filia celebratis, diſputat. Neapolin 796.
Hiſpanorum ope Gallis mox ereptam eſſe, docet. *Albertum*, Saxoniæ Ducem, Præfectum Friſiæ Occi- 799.
dentalis creatum eſſe, eamque dignitatem hæreditario jure ad ejus deſcendentes pertinuiſſe, obſervat. Hiſtoriam 811.
motuum, qui inter Helvetios & Imperatorem poſt mortem Archi-Ducis *Sigiſmundi* agitati ſunt, enarrat. De in- 818.
ſtitutione Conſilii Imperialis aulici, nec non de diviſione Germaniæ in circulos decem, accuratam ſuppeditat noti- 827.
tiam. Sex nimirum circuli jamjam aderant, quibus alii quatuor, Auſtriacus, Burgundicus, Saxoniæ ſuperioris, & Rhenanus, tunc temporis acceſſerunt. Quomodo *Ludovicus XII* Ducatum Mediolanenſem in ſuam poteſtatem redegerit, nos docet. Captivitatem Ducis Mediola- 834.
nenſis, ejusque mortem, deſcribit. *Carolum V* Gandavi A. 838.
1500 natum eſſe, commemorat. Reges Franciæ & Arragoniæ, ubi fœdus inter ſe inierant, regnum Neapolitanum rurſus ſibi ſubjecerunt, *Friderico* Regi annua duntaxat penſione, una cum comitatu *Maine*, relicta. Quomodo 842.
poſtea Hiſpani, pulſis Gallis, Neapolin univerſam ſibi 850.
ſubjecerint, narrat. Mortuo *Joanne Alberto*, Rege Poloniæ, frater ejusdem, *Alexander*, Lithuaniæ magnus Dux, eidem ſucceſſit, & ab eo tempore Lithuania in perpetuum cum Polonia unita eſt. Privilegia, domui Auſtriacæ a *Ma-* 855.
ximiliano conceſſa, Rev. Autor exponit. Quomodo *Ru-* 857.
pertum, Electorem Palatinum, ad Bavariam inferiorem propter teſtamentum *Georgii*, ſoceri ſui, adſpirantem, compeſcuerit Imperator, nos docet. Jura domus Auſtria- 869.
cæ in Hungariam ſuccincte declineat. Quomodo Bono- 893.
niam occupaverit Pontifex *Julius II*, narrat. Mortuo *Phi-* 896.
lippo, Rege Caſtiliæ, Imperatoris filio, *Ludovicum XII* impuberis *Caroli V* tutorem evaſiſſe, nos docet, quæ tamen tutela ab ordinibus Belgicis, metu belli a Duce Gel- 898.
driæ

Digitized by Google

driæ ipſis inferendi, ad Imperatorem *Maximilianum* dela-
Pag. 905. ta eſt. *Margaretham* inde, Imperatoris filiam, terris Bel-
905. gicis præfuiſſe, Rev. Autor narrat. Res geſtas *Maximilia-
ni* contra Venetos deſcribit. Statum provinciarum Italiæ
912. hac data occaſione depingit. Leges fœderis, inter Impera-
924. torem, Papam, ac Reges Franciæ & Arragoniæ, initi, affert.
928. Hiſtoriam belli, ab hiſce Principibus contra Venetos geſti, perſequitur. Cardinalem *d' Amboiſe* nomine *Ludovici XII*
930. Ducatum Mediolanenſem ab Imperatore in feudum accepiſſe, nos docet. Hamburgum eo tempore omni ne-
946. xu cum Daniæ Regibus & Ducibus Holſatiæ ſolutum fuiſſe, narrat. *Ferdinandum*, Arragoniæ Regem, Caſtiliam minore adhuc *Carolo V* adminiſtraſſe, nos docet. Eundem regnum Neapolitanum a Pontifice in feudum accepiſſe, commemorat. Canonem, Curiæ Romanæ a Regibus Neapolitanis annuatim ſolvendum, tunc deminutum fuiſſe, & ab eo tempore in ſumma duorum millium aureo-
957. rum, & equo albo, conſtitiſſe, obſervat. Bellum, quod *Ludovicus XII*, contra Papam, *Julium II*, geſſit, a Clericis Galliæ, ideo convocatis, pro juſto habitum eſſe, nos docet.
959. *Maximilianum*, ſocietate cum Rege Galliæ adverſus Pontificem inita, de eo deponendo, & dignitate Papali ad ſe
960. rapienda, cogitaſſe, commemorat. Societate Imperatoris cum Rege Galliarum rupta, *Maximiliano Sfortiæ* Ducatus
999. Mediolanenſis rurſus in feudum datus eſt. *Uladiſlai*, Regis Hungariæ, filiam *Ferdinando* Auſtriaco nupſiſſe, Rev.
1037. Autor narrat. Flandriam, Arteſium, & Carolo-regium, terras ad *Carolum V* pertinentes, dominium Gallorum eminens agnoviſſe, easque *Franciſcum I*, Galliæ Regem, *Carolo* in feudum dediſſe, nos docet. Quomodo maximam
1046. partem Ducatus Mediolanenſis ſibi ſubjecerit *Franciſcus I*, narrat. Imperator, nimiam Gallorum potentiam metuens, fœdus cum Rege Angliæ *Henrico VIII* iniit, & exercitum, ad loca Italiæ, quæ occupaverant, illis eripienda,
1050. inſtruxit. Quid ibi a *Maximiliano* actum fuerit, Autor exponit. Pacem, inter Galliæ Hiſpaniæque Reges concluſam,

Digitized by Google

cluſam, *Maximiliani* cœptis vehementer contrariam, deſcribit. Ad inducias cum Venetis ineundas Imperatorem ideo coactum fuiſſe, docet. Iter *Caroli V*, in Hiſpaniam inſtitutum, deſcribit, eum tunc Regem Caſtiliæ coronatum fuiſſe, narrans. *Eraſmum Ferdinandi* Auſtriaci præceptorem conſtitutum fuiſſe, obſervat. *Leonem X* ad conſummandum baſilicæ Petrinæ ædificium indulgentias pecunia redimendas publicaſſe, non negat, & in iſtum abuſum valde invehitur. *Lutherum*, *Staupitii* autoritate inductum, ſe huic rei oppoſuiſſe, contendit, ejusque ideo natales, & res geſtas, ita deſcribit, uti candidum hiſtoriæ ſcriptorem decet. Plurimis ſane elogiis eundem exornat, cjusque doctrinam valde prædicat, quamvis ei non aſſentiamur, quando, *Lutherum*, præſente Electore Saxoniæ, Doctorem Theologiæ renuntiatum eſſe, contendit, cum ipſemet *Lutherus*, obſervante *Seckendorffio Hiſt. Luth. Lib. I, 8, 19, edit. Germ. pag. 71*, ſe, Principem iſtum, unica duntaxat vice, nimirum in Comitiis Wormatienſibus, vidiſſe, pronuntiaverit. Plura hic afferre poſſemus, hiſtoriam Reformationis tangentia, quæ nobis dubia videntur, niſi brevitati ſtudendum eſſet. Quid in Comitiis Auguſtanis actum fuerit, Rev. Autor exponit. Electorem Saxoniæ de Epiſcopatu Magdeburgenſi Principi Saxonico conferendo cogitaſſe, ſeque *Alberto* Brandenburgico ideo oppoſuiſſe, & ex æmulatione erga domum Brandenburgicam partes *Lutheri* ſecutum eſſe, ſine tabulis & teſtibus narrat. Cogitare debuiſſet Rev. Autor, tunc temporis nullum adfuiſſe in domo Saxonica Principem, qui ſedem Magdeburgenſem potuiſſet occupare, cum ipſemet Elector filiis eſſet deſtitutus, frater autem *Joannes*, nec non patrueles, *Georgius* & *Henricus*, in matrimonio viverent. Inſuper notum eſt, *Fridericum* ad electionem *Alberti* Brandenburgici, quippe quem valde amabat, plurimum contuliſſe. Dolemus, Rev. Autorem, ſe ab ineptiſſimo nugatore, *Varillaſio*, quem κατὰ πόδα ſecutus eſt, decipi, paſſum eſſe. Gravamina interim nationis Germanicæ, contra Curiam Ro-

Pag. 1055. 1058. 1062. 1063. 1066. 1072.

Pag. 1073. manam in Comitiis Auguſtanis prolata, candide ediſſerit,
1077. ea etiam, quæ *Cajetanus* in Comitiis illis peregit, ſatis dextre
deſcribens. De morte *Maximiliani*, A. 1519 inſecuta, diſ-
1082. putat, virtutes ejus valde prædicans. *Franciſcum I*, Galliæ
1086. Regem, dignitatem Imperialem tunc ambiviſſe, narrat.
Poſt mortem *Laurentii de Medicis*, Florentiam *Leoni X*, ex
1097. iſta quippe domo oriundo, ceſſiſſe, nos docet. Ad Hi-
ſtoriam Reformationis poſtea reverſus, *Fridericum Sapi-
entem*, roſam auream, a Pontifice, ejus benevolentiam an-
quirente, ipſi dono datam, accipere detrectaſſe, contendit.
1098. Quod quidem neutiquam verum eſt. Quamvis enim ſa-
pientiſſimus iſte Princeps, crepundia Pontificis ridens, ipſe-
met eam non receperit, illud tamen per ejus conſiliarium,
Fabianum a Feilitzſch, Altenburgi factum eſſe, dubio caret.
Spalatinum etiam Electori perſuadere voluiſſe, ut partes
1099. *Lutheri* desereret, falſiſſime dicitur, cum apud illum *Lu-
therus* inprimis gratioſus fuerit. Egregios interim pro-
greſſus, quos *Lutheri* doctrina brevi tempore fecit, diſſimu-
1102. lare non audet. *Caroli V* electionem deſcribit. *Capitu-
lationes*, uti vocantur, tunc primum confici ſueviſſe, ob-
1107. ſervat, præcipua etiam capita Capitulationis *Carolinæ* affert.
Materiam diſcordiarum inter *Carolum V* & *Franciſcum I*
1115. eleganter & accurate deſcribit. Partes, quas reliqui per
1116. Europam Principes tunc amplexi ſunt, nobis ante oculos
ponit. Hiſpaniam ab omni nexu cum Imperio Romano
1118. liberam declaraſſe *Carolum V*, obſervat. Eo tempore com-
mercia in Americam inſtitui cœpiſſe, narrat. *Zwinglii* nata-
1120. les & doctrinam deſcribit. De bello, inter Epiſcopum
Hildeſienſem, & *Ericum*, Ducem Brunſuicenſem, geſto, diſ-
putat. Quid in itinere *Caroli V*, in Germaniam inſtituto,
1125. acciderit, narrat.

Integrum *Tomum octavum* narratio de vita & rebus potentiſſimi iſtius Imperatoris implet. Sub initium ejus provincias, quæ *Carolo* paruerunt, Rev. Autor recenſet, ejusque Principis mores & educationem deſcribit. Statum dein Europæ iſtius temporis, nec non præcipuorum Principum in defendendis juribus ſuis conſilia,

Digitized by Google

ſilia, exponit. De Comitiis Wormatienſibus, A. 1521 Tom. VIII
habitis, operoſe diſputat, &, quid ibi actum fuerit, nos pag. 8.
docet, *Lutheri* ſimul res ſic ſatis candide enarrans. *Carolum V* monarchiam abſolutam, nulliſque limitibus circumſcriptam, ſibi aſſerere tentaſſe, contendit. Imperatore in
Germania conſtituto, aliquem, *Antonium a' Acunha* di- 20.
ctum, ſeditionem in Caſtilia ſuſcitaſſe, narrat. Hac autem occaſione uſus Rex Galliæ, *Franciſcus I*, bellum, quod 25.
jam diu meditatus erat, Hiſpaniæ intulit, cujus hiſtoriam Rev. Autor perſequitur. Quid *Robertus*, Princeps Se- 26.
danenſis, a *Franciſco* ſollicitatus, contra Imperatorem tentaverit, exponit. Quomodo *Hadrianus VI* per Imperatoris 27.
artes ad Papale faſtigium fuerit evectus, nos docet. Iter 42.
Caroli V, in Angliam inſtitutum, & fœdus, ibi inter eum & Regem *Henricum VIII* concluſum, deſcribit. Poſt Imperatoris in Hiſpaniam reditum, ſeditioſos mox imperio 47.
ejus ſemet ſubjeciſſe, narrat, & hac occaſione *Caroli V* inſignem clementiam, excelſumque ejus animum, prædicat.
Quid in Ducatu Mediolanenſi inter Imperatoris & Gallo- 50.
rum copias actum fuerit, poſtea exponit. Quomodo Tur- 52.
ci Rhodon occupaverint, narrat. Res Danicas & Suecicas 60.
ejus temporis depingit, *Chriſtiernum*, Daniæ Regem, a ci- 63.
vibus ſuis ſolio dejectum eſſe, obſervans. Eodem tem- 69.
pore religionem *Lutheranam* in Suecia fuiſſe diſſeminatam, 71.
fatetur. Acta etiam comitiorum Norimbergenſium, ſub finem anni 1522 convocatorum, candide exponit, neque tyrannidem curiæ Romanæ, de qua merito tunc conqueſti ſunt ordines Germaniæ, diſſimulat. De bello, quod *Fran-* 73.
ciſcus Sickingenſis contra Electorem Trevirenſem geſſit, 92.
diſputat. Telam hiſtoriæ belli, inter Imperatorem & Gallos geſti, dein pertexit, captivitatem *Franciſci I* eleganter 119.
deſcribens. Quid cum capto Rege fuerit actum, nos docet. *Henricum VIII*, Angliæ Regem, nimiam domus Auſtriacæ potentiam reformidantem, fœdus cum *Franciſco I* iniiſſe, narrat, ejuſque leges apponit. Inſula Gothlan- 140.
dia, a quodam *Norbio*, qui piraticam exercebat, infeſta,

 ad

Digitized by Google

ad preces Lubecenſium a Rege Sueciæ occupata eſt. Cum autem Rex Daniæ, cui ſe ſubjiciebat iſte *Norbius*, Gothlandiam ad ſe pertinere, contenderet, multæ lites idcirco Danos inter & Suecos agitatæ ſunt, quas Rev. Autor fuſe deſcribit. De hæreſi Anabaptiſtarum etiam diſputat, ubi
Pag. 141. tamen, quicunque a partium ſtudio alienus eſt, de eo minus favebit Autori, quod, errores horum hominum ex *Lutheri* dogmatibus fluere, contendat, infirmiſſimisque rationibus eam rem comprobare non erubeſcat. Certe, baptiſmum infantum neutiquam damnaſſe *Lutherum*, vel invitus Autor confiteri cogitur. In libertate
147. autem hominis Chriſtiani aſſerenda neutiquam id egit beatus vir, ut cives a vinculo fidelitatis erga Principes liberos declararet, cum ejus dogmata inprimis obedientiam magiſtratibus debitam hominibus injungant, & Pontificiorum errores, de Principe hæretico impune occidendo, caſtigent. Sine omni fundamento inſuper, & citra omnem veri ſpeciem, dicitur, fanaticiſmo Anabaptiſtarum præluſiſſe *Lutherum.* Non opus eſt, hiſce conviciis refellendis tempus terere, quibus nemo, quem æquus amavit Jupiter, & qui a præconceptis opinionibus vacuus eſt, in hodierna literarum luce fidem habebit. Nos vehementer miramur, Rev. Autorem, hiſtoricum alias ſatis candidum, tanta conviciandi libidine ſe abripi paſſum eſſe, cum præſertim, ſibimet ipſi non conſtans, *Lutherum* in convellendis Anabaptiſtarum erroribus totum fuiſſe, declaret. Nec minus miramur, ab eodem *Philippum Melanchthonem* Ana-
148. baptiſtarum gregi annumerari. Sed pergimus. Fœdus, inter *Franciſcum I* & *Carolum V* Mantuæ Carpetanorum conclu-
172. ſum, poſtea exponit. *Franciſcus I* inde mox e captivitate dimiſſus eſt, cum prius *Eleonoram*, Regis Portugalliæ viduam, & Imperatoris ſororem, matrimonio ſibi copulaſſet. Quamvis ergo juribus in Neapolin, Mediolanum, & Belgium, renuntiaſſet *Franciſcus*, eum tamen fidem Imperatori da-
175. tam mox eluſiſſe, Autor confitetur. Res per Italiam poſtea

Digitized by Google

ſtea geſtas deſcribit. De nuptiis *Caroli V* cum *Iſabella*, Regis Portugalliæ filia, diſputat. *Albertum* Brandenburgicum, Ordinis Teutonici magiſtrum, *Lutheranam* religionem profeſſum eſſe, Pruſſiam a Polonis in feudum accepiſſe, Pag. 187.
eam ut Ducatum gubernaſſe, familiæque ſuæ aſſeruiſſe, 191.
narrat. Proteſtantes Principes Imperatori ſuppetias contra Turcos ferre recuſaſſe, ejusque rei conſilia *Lutherum*
eis dediſſe, præter veritatem contendit. Quomo- 194.
do Hungariæ & Bohemiæ regna ad *Ferdinandum*
Auſtriacum pervenerint, exponit. Cum *Clemens VII* 197.
Pontifex a partibus Gallorum ſtaret, deque Imperatore ex Italia prorſus expellendo conſilia agitaret; Imperator, eum bello petere, ipſamque Romam occupare, nullus dubitavit. Obſidionem adeo Romanam Rev. Autor accurate
deſcribit, ſedem illam Pontificalem a militibus Imperato- 202.
ris miſerrime tunc direptam, ipſumque Pontificem captum
eſſe, narrans. *Carolus V* interim, ſuperſtitioni Hiſpano- 203.
rum prudenter ſerviens, preces publicas pro ſancti Patris
libertate impetranda inſtitui præcepit. Quanto denique 215.
pretio libertatem redimere coactus fuerit Pontifex, Rev. Autor nos docet. Eundem ante plenam pacis concluſio-
nem e carcere evaſiſſe, narrat. Seditiones, a ruſticis per 217.
Germaniam motas, ample deſcribit. *Schwenckfeldium* 220.
errores anabaptiſticos per Sileſiam diſſeminaſſe, conten-
dit. *Lutherum* ſe huic homini inſano fortiter oppoſuiſſe, 231.
non negat; unde facile intelligitur, quam inique ſupra dixerit, *Lutheri* dogmata Anabaptiſmo viam ſtraviſſe. *Carolum V* a *Franciſco I* ad certamen ſingulare provocatum eſſe, narrat. Res inter Gallorum & Impe-
ratoris copias per Italiam geſtas deſcribit, jura domus 242.
Saxonicæ in Ducatum Juliacenſem, Clivienſem, & Ber-
genſem, demonſtrans. Regnum Neapolitanum ſub lege 253.
albi equi ſingulis annis dandi in feudum a Pontifice *Caro-
lum V* accepiſſe, nos docet. Articulos pacis, inter Impe- 258.
ratorem & Galliæ Regem A. 1529 concluſæ, affert. Quo-
modo *Lutherani* decreto comitiorum Spirenſium ſemet op- 259.

 poſuerint,

Digitized by Google

poſuerint, nos docet. *Ferdinandi* Auſtriaci erga eos clementiam prædicat. Obſidionem Vindobonenſem, a Turcis
Pag. 267. tentatam, deſcribit. Privilegia, Genuenſibus a Cæſare data, exponit, eam tamen rempublicam nexu feudali Imperatori obſtrictam fuiſſe, inculcat. Acta colloquii Marburgenſis, inter *Lutheri* & *Zwinglii* ſectatores inſtituti, exponit.
271. Coronationem Imperialem *Caroli V*, Bononiæ peractam, accurate deſcribit. Ducatum Mediolanenſem *Franciſco Sfortiæ* ſub lege fidelitatis feudalis ab Imperatore conceſ-
280. ſum eſſe, narrat. Florentiam, poſt cruentum bellum ab Imperatore ſubactam, *Alexandro* Mediceo datam eſſe,
286. nos docet. Acta comitiorum, Auguſtæ A. 1530 celebratorum, & inprimis Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoriam,
287. ſatis dextre enarrat, neque callida Imperatoris conſilia, in Principibus quibuſdam ad Pontificiorum caſtra reducen-
296. dis fruſtra adhibita, diſſimulat. Tempore comitiorum Auguſtanorum, cameram Imperialem Spiram eſſe transla-
311. tam, contendit. Quomodo *Ferdinandus*, Rex Romanorum, fruſtra intercedente Electore Saxoniæ, A. 1531
314. conſtitutus fuerit, exponit. Inſulam Melitam a *Carolo V*, tanquam Rege Hiſpaniæ, Ordini Joannitico ſub lege annui
318. canonis conceſſam eſſe, commemorat. De fœdere Smalcaldico fuſe diſputat, Principes, in eo comprehenſos, auxilium Regis Angliæ & Franciæ imploraſſe, contendens. Sub finem *Partis primæ* hujus *Voluminis* de conſilio Imperatoris aulico Diſſertatiunculam Rev. Autor addidit, quod quidem tribunal A. 1512 in locum *Regimenti Imperialis* ſucceſſiſſe, ſibi perſuadet. Conſilia, de Synodo in cauſa Proteſtantium convocanda agitata, exponit, Pontificis machinationes non diſſimulans. Fidelitatem Proteſtantium erga Imperatorem, in ſuppetiis contra Turcos eidem ſub-
347. miniſtrandis declaratam, prædicat. *Philippus*, Haſſiæ Landgrafius, *Chriſtophoro*, Duci Wurtenbergico, terris ſuis a domo Auſtriaca ſpoliato, ſuppetias laturus, atque a *Franciſco I* opibus adjutus, arma adverſus Imperatorem tulit, resque eo devenit, ut, Ducatu Wurtenbergico

ad

ad priſtinum dominum reverſo, *Ferdinandus*, nomine Impe-
ratoris, pacem a fœderatis Smalcaldicis petere cogeretur,
cujus pacis conditiones, Proteſtantibus admodum ſaluta-
res, Rev. Autor appōnit. De ſeceſſione Regis Angliæ ab Pag. 369.
Eccleſia Romana diſputat. *Cornelii Agrippæ* vitam deſcri- 373.
bit. Expeditionem, quam *Carolus V* in Africa adverſus 375.
Barbaroſſam piratam ſuſcepit, delineat. De vita & dog- 387.
matibus *Calvini* aliquam ſuppeditat notitiam. Jura Ducis 394.
Sabaudiæ in urbem Genevenſem explicat, eandem circa
ea tempora liberam civitatem evaſiſſe, docens. Mortuo 400.
ſine liberis *Franciſco Sfortia*, Imperator Ducatum Medio-
lanenſem tanquam dominus directus occupavit. Cumque 404.
Franciſcus I, Galliæ Rex, eundem tractum ad liberos ſuos
pertinere, contenderet, poſt varios litis iſtius componendæ
modos fruſtra tentatos, bellum cum *Carolo V* geſſit. Re- 433.
gis Galliæ filium per Imperatoris inſidias veneno eſſe ne-
catum, fama tunc temporis tulit, quamvis, nihil certi hac
de re conſtitui poſſe, Rev. Autor declaret. Pœnas, a *Jo-* 442.
anne a *Leyden*, ejusque complicibus, anabaptiſmi reis,
ſumtas, deſcribit. Turcos tunc inferiorem Italiæ partem 457.
depopulatos eſſe, nos docet. Privilegia, Proteſtantibus, 478.
quorum auxilio contra Turcos indigebat Imperator, in
comitiis Francofurtanis, A. 1539 habitis, conceſſa, expo-
nit. Iter *Caroli V*, per Galliam, poſt inducias, A. 1538 492.
initas, ſuſceptum, deſcribit, &, quid Lutetiæ Pariſiorum
inter eum & *Franciſcum I* fuerit actum, eleganter & am-
ple narrat. *Carolum V* de Suecia, Dania, & Norwegia, 500.
in poteſtatem ſuam redigenda, ſollicitum fuiſſe, & Reges
Daniæ & Sueciæ ideo fœdus cum Gallis iniiſſe, comme-
morat. Progreſſus, quos religio *Lutherana* poſt mortem 509.
Marchionis *Georgii* in Saxonia fecit, deſcribit, de teſta-
mento iſtius Principis diſputans. Poſt mortem *Caroli*,
Ducis Geldrienſis, tractum illum ab Imperatore in frau- 514.
dem *Wilhelmi* occupatum eſſe, commemorat. Quid por- 516.
ro cum Proteſtantibus actum fuerit, fuſe perſequitur. Ca-
lamitatem exercitus Imperatorii in oppugnando Algerio,
Africæ

Digitized by Google

Pag. 543. Africæ caſtello, deſcribit. *Franciſcus I*, ſpe Ducatus Me-
diolanenſis recuperandi deluſus, ſummoque odio contra
Imperatorem ideo flagrans, iterata vice arma adverſus
552. eum movit. Ducatum Lotharingicum in comitiis
Norimbergenſibus, A. 1543 habitis, ab omni nexu cum
Imperio liberum eſſe declaratum, Rev. Autor narrat.
561. Fœdus, cum Rege Angliæ *Henrico VIII* contra Gallos a
569. *Carolo V* initum, deſcribit. Pontificem hoc vehementer
indigne tuliſſe, cum *Henricus VIII* excommunicatus eſſet,
571. nos docet. *Wilhelmum*, Cliviæ Ducem, juribus, quæ ipſi
in Geldriam competebant, renuntiare coactum eſſe, com-
575. memorat. Galliæ Rex, ab Imperatore in an-
guſtias redactus, fœdus, olim jam cum Turcis conclu-
580. ſum, inſtauravit. Daniæ Rex poſtea contra Imperato-
rem arma ſuſtulit, qui, de regnis Sueciæ, Daniæ, &
Norwegiæ, Electori Palatino ſubjiciendis, conſilia agita-
bat, quamvis illud bellum, pace inſecuta, mox ſopiretur.
584. A. 1544 in comitiis Spirenſibus Proteſtantibus egregia
rurſus ab Imperatore indulta ſunt privilegia, cumque
illa bilem & ſtomachum moverent Pontifici, *Carolus* Lega-
to Apoſtolico reſpondiſſe fertur: ſe ipſum a *Lutherana*
religione amplectenda non valde alienum eſſe futurum,
ſi fœderati Smalcaldici illud pertinaciter poſtulaſſent. Poſt
597. bellum cum Gallis vario Marte geſtum, pax denique A.
1544 inſecuta eſt, cujus contenta Rev. Autor exponit.
613. *Paulum III* filio ſuo (vixerat olim in matrimonio iſte Pon-
tifex) Parmam & Placentiam, conſentiente Imperatore, in
629. feudum dediſſe, probare annititur. Electorem Palatinum
dogmata *Lutheri* amplexum eſſe, nos docet. Acta Collo-
631. quii Ratisbonenſis ediſſerit, & *Lutheri* mortem deſcribit.
Mortuo Duce Aurelianenſi, cui Mediolanum ſe eſſe con-
ceſſurum, Imperator promiſerat, nova eum inter & Gal-
los nata ſunt diſſidia, eaque fecerunt, ut fœderatorum
641. Smalcaldicorum amicitiam anquireret *Franciſcus*. Quo-
modo bellum adverſus Proteſtantes, qui Concilium, Triden-
ti convocatum, pro legitimo agnoſcere recuſabant, diu
jam

Digitized by Google

jam ab Imperatore tentatum, tandem eruperit, Rev. Autor narrat, ejusque hiſtoriam fuſe & accurate perſequitur. Pag. 647
Albertus, Ducis Bavarici filius, *Annam*, *Ferdinandi*, Regis Romanorum, filiam, in matrimonium duxit. *Ferdinandus* poſtea in tabulis teſtamenti, A. 1547 conditi, juſſit, ut ad deſcendentes iſtius filiæ ſuæ, *Alberti* Bavarici conjugis, omnes terræ, a domo Auſtriaca poſſeſſæ, devolverentur, ſi quidem *hæredibus legitimis* Auſtria deſtitueretur. Ex hoc quidem teſtamento controverſiæ illæ, inter Auſtriam & Bavariam nuper & calamis & armis agitatæ, exſtiterunt, cum Bavari per *legitimos hæredes* ſolos deſcendentes maſculos intelligant, Auſtriaci contra, etiam feminas ſub eo
nomine comprehendi, urgeant. Ducatum Mediolanen- 655.
ſem *Philippo* filio in feudum dediſſe Imperatorem, Rev. Au- 661.
tor nos docet. Seditionem, a republica Genuenſi adverſus
Imperatorem motam, deſcribit. De moribus *Henrici* 669.
VIII & *Franciſci I*, Galliæ Angliæque Regum, qui uno
eodemque anno vivere deſierunt, eleganter judicat. In 703.
regno Neapolitano Imperatorem, importunis Papæ interpellationibus tandem expugnatum, tribunal ſancti officii introduxiſſe, nos docet, ſeditionem, ideo adverſus Impe-
ratorem a Neapolitanis motam, deſcribit, &, deteſtandum 708.
hoc tribunal tunc Neapoli iterum abrogatum eſſe, narrat.
Bohemos, jurium ſuorum jacturam metuentes, arma ad- 710.
verſus domum Auſtriacam ſumſiſſe, & cum Electore
Saxoniæ ſocietatem iniiſſe, nos docet. Iter exercitus Im- 717.
peratorii in Saxoniam deſcribens Rev. Autor, urbes *Altor-*
fium & *Olnitiam* nominat. Sed dubio procul *Adorfium* 722.
& *Oelsnitiam* dicere voluit, quippe quæ oppida in illo tractu poſita ſunt. Prælium, juxta Muhlbergam commiſſum, & captivitatem Electoris Saxoniæ, eleganter deſcribit,
Electorem iſtum ſententiam capitalem, adverſus ſe la- 733.
tam, adeo contemſiſſe, ut poſt ejus publicationem cum Du-
ce *Erneſto* latrunculis luderet, narrans. Malam Imperato- 730.
ris fidem erga *Philippum*, Haſſiæ Landgrafium, non diſſimu-
lat. Quomodo Bohemos rebelles caſtigaverit *Ferdinandus*, 750.

commemorat. Ducem Parmenſem, *Pauli III* filium, a no-
Pag. 768. bilibus quibuſdam ipſi infenſis occiſum eſſe, notat. Ci-
ves Parmenſes dein, Imperatoris legato, *Ferdinando de
Gonzaga*, fidem jurejurando interpoſito promittere ſunt
770. coacti. Quamvis Concilium Tridenti congregatum in ur-
bem quandam Italiæ transferre conaretur Pontifex;
huic tamen cœpto vehementer ſe oppoſuit Imperator; un-
de graviſſimæ lites eum inter & Curiam Romanam
agitatæ ſunt, quas Rev. Autor ample deſcribit. Ducatum
776. Plumbinum miniſtro ſuo *Mendozæ* in feudum dediſſe Im-
peratorem, cum prius iſte tractus a quodam *Jacobo Appia-
no* poſſeſſus eſſet, narrat, quamvis poſtea A. 1557 a *Phi-
lippo II*, Hiſpanorum Rege, *Appianorum* familiæ redditus
778. fuerit. Conatus Pontificis in tractu Parmenſi & Placenti-
782. no recuperandis exponit. Cum de Concilio celebrando
conveniri non poſſet, Imperatorem formulam illam reli-
gionis, quam Proteſtantes usque ad Concilii celebratio-
nem ſequerentur, *Interim* ideo vocatam, confici juſſiſſe,
obſervat. Inter illos, qui eam componebant, *Joannem
Agricolam* Auguſtanæ Confeſſioni addictum fuiſſe, com-
783. memorat. Motus, per illud ſcriptum excitatos, deſcribit,
Proteſtantes placita ejusdem conſtanter repudiaſſe, nar-
786. rans. Pompam inveſtituræ, qua *Mauritio* Electoratus
Saxoniæ a *Carolo V* ſolenniter Auguſtæ Vindelicorum con-
ceſſus eſt, Rev. Autor deſcribit, fratrem ejus, *Auguſtum*,
ſimultanee inveſtitum eſſe, nos docens. Diu nimirum
Mauritius dimiſſionem Landgrafii Haſſiaci fruſtra quæſi-
verat. Imperator igitur, de amicitia *Mauritii* conſervan-
da valde ſollicitus, hoc veluti redhoſtimento eandem con-
791. firmare ſtuduit. Tempore controverſiarum, propter *In-
terim* agitaturum, illos Theologos Proteſtantes, qui eam
religionis formulam non prorſus damnabant, *Adiaphori-
ſtarum* nomen tuliſſe, contendit. Curiam Romanam atrociſ-
ſima adverſus *Interim* vibraſſe fulmina, ejusque publicationem
798. juribus Pontificiis contrariam judicaſſe, narrat. *Chriſtierno
III*, Daniæ Regi, ejusque fratribus, *Joanni* & *Adolpho*, Hol-
ſatiam

ſatiam in feudum dediſſe Imperatorem, nos docet. De Pag. 800.
nuptiis *Maximiliani*, Regis Romanorum filii, cum *Maria*,
Caroli V filia, celebratis, diſputat. Adventum *Philippi*, Im- 801.
peratoris filii, in Belgium depingit, & virtutes iſtius Prin-
cipis valde extollit. De motibus, ab *Henrico Brunſuicenſi* 804.
excitatis, diſſerit. Magdeburgum a Duce Meclenburgico, 810.
ſpe obtinendi Archiepiſcopatum iſtius loci allecto, fruſtra
obſeſſum fuiſſe, narrat. *Mauritium* poſtea exercitus 811.
Imperatorii ducem eſſe conſtitutum, eumque Magdebur-
genſem obſidionem in ſe ſuſcepiſſe, nos docet. Impera-
torem de *Philippo* filio, Rege Romanorum, in fraudem 815.
Ferdinandi fratris conſtituendo, fruſtra illo tempore co-
gitaſſe, commemorat. Conditiones, quas Magdeburgen- 826.
ſibus urbe ipſorum occupata, *Mauritius* præſcripſit, Rev.
Autor affert. Cum Comitatus Dietzienſis, fruſtra contra- 836.
dicente *Mauritio*, Comitibus Naſſovienſibus ab Imperato-
re concederetur, neque is libertatem *Joannis Friderici*
& *Philippi*, captivorum, obtinere a *Carolo V* poſſet, bel-
lum ideo adverſus eum parans, ſocietatem cum plurimis
inter Proteſtantes Principibus, nec non Rege Galliæ *Hen-
rico II*, iniit. Res geſtas Turcorum per Hungariam, in- 839.
primis occupationem *Temeswariæ*, Autor depingit, fractam
a barbaris fidem erga Chriſtianos devictos vituperans.
Quomodo bellum adverſus Imperatorem, ſcripto publice 863.
emiſſo, declaraverit cum ſociis ſuis *Mauritius*, narrat,
Ulrici Bartenſteinii etiam Diatriben, *de bello, Carolo V a
Mauritio illato*, citat, ipſamque belli iſtius hiſtoriam accu- 871.
rate enarrat. Quid Rex Galliæ hac occaſione adverſus Im- 872.
peratorem effecerit, itidem nos docet. Articulos trans- 876.
actionis Paſſavienſis apponit. Terras in Lotharingia ſitas, 899.
atque a Gallis occupatas, repetiturus Imperator, armis ea
loca petiit. Obſidionem urbis Metenſis, quæ admodum
infeliciter *Carolo* ceſſit, Rev. Autor deſcribit. Ubi tamen 915.
poſtea æquiori Marte adverſus hoſtes depugnaverat Impe-
rator, &, capta funditusque deleta *Teruanna*, nihil ipſi a
Gallis metuendum amplius eſſet, turbas, dein ab *Alberto*

Pag. 921. *Brandenburgico* per Germaniam excitatas, componere annisus eſt. Cum vero omnes pacis conditiones *Albertus* reſpueret, bello per Electorem Saxoniæ juſſu Imperatoris eſt petitus, quod quidem bellum, quamvis ſumma cum laude a *Mauritio* geſtum, valde luctuoſum Saxoniæ extitit, cum præſtantiſſimus ille Princeps, in acie graviter vulneratus, debitum naturæ in medio victoriarum curſu ſolvere cogeretur. Rev. Autor in laudibus *Mauritii* celebrandis admodum liberalis eſt, &, res geſtas ejus enarrando, de ſcholis provincialibus, ab eo fundatis, deque caſtellis, ab eo exſtructis, diſputat, more interim ſuo nomina locorum adeo corrupte effert, ut vix intelligi poſ-
927. ſit. Nuptias *Philippi*, Imperatoris filii, cum *Maria*, Angliæ Regina, deſcribit, &, vi pactorum, tunc inter hoſ-
934. ce conjuges initorum, Imperatorem utriusque Siciliæ
937. regnum filio ceſſiſſe, narrat. Transactionem, inter *Auguſtum*, Saxoniæ Electorem, & *Joannem Fridericum* concluſam, ediſſerit, *Joannem Fridericum* nomen Electoris
939. ad dies vitæ retinuiſſe, obſervans. Pacis religioſæ, in Co-
961. mitiis Auguſtanis A. 1555 concluſæ, contenta Rev. Autor accurate exponit. Hiſtoriam belli, per Italiam & Belgium ab Imperatore contra Gallos geſti, poſtea perſequitur, tandemque abdicationem Imperii, a *Carolo V* Bruxel-
976. lis peractam, ample deſcribit. Antequam vero Imperator terras, hæreditario jure ad ſe pertinentes, penitus *Philippo* filio cederet, inducias cum Rege Galliæ & Duce
978. Parmenſi iniit, quarum conditiones Rev. Autor apponit. Per Bavariam & Auſtriam tunc temporis plurimos religionis per *Lutherum* repurgatæ aſſeclas fuiſſe, eosque liberum religionis ſuæ exercitium a *Ferdinando* ſibi expetiiſſe, nar-
979. rat. Seditiones Hungarorum adverſus *Ferdinandum* depingit, Turcos, hac occaſione uſos, plurima Hungariæ lo-
985. ca ſub jugum miſiſſe, obſervans. *Carolum V* de Vicariatu per Italiam *Philippo* filio concedendo fruſtra cogitaſſe,
986. narrat. Depoſitionem dignitatis Imperialis ſerio jam decreverat *Carolus*. Et, quamvis conſenſum Pontificis ideo fruſtra

fruſtra anquireret, eo tamen poſtea invito id, quod meditabatur, perfecit. Formulam renuntiationis ſolennem Rev. Autor integram cum lectoribus communicat. Iter *Caroli* Pag. 987.
in Hiſpaniam, deinceps inſtitutum, & locum domicilii, quod tanquam privatus inhabitavit, deſcribit. Varios 990.
Electores abdicationi ejus ſe oppoſuiſſe, narrat. In comi- 992.
tiis Ratisbonenſibus, A. 1557 celebratis, pacem religioſam confirmatam fuiſſe, nos docet. Quomodo *Carolus* in ſoli- 993.
tudine, quam ſectabatur, diem deceperit, eleganter exponit. De ultimis denique ejusdem *Caroli* fatis diſputat, præcipuosque Duces, qui ſub ejusdem ſignis militarunt, in ſcenam producit. Sub finem hujus *Tomi* de ſucceſſione in 1000.
regno Bohemiæ in peculiari Diatriba diſſerit.

PRO CULTU LITERARUM IN HUNGARIA, ac ſpeciatim Civitate Diœceſique Nitrienſi, Vindicatio INNOCENTII A D. THOMA AQUINATE, *Clerici regularis Scholarum Piarum, inde genere, patria, domicilio.*

Romæ, ex typographia Joannis Zempel, Auſtriaci, 1743, 4.

Alph. 1 plag. 3.

Cauſa caderet, ſi ſtaret hoc vindice, Literata Hungaria. Autor enim, dum, meliores literas coli in Hungaria, magna contentione diſputat, iis in rem ſuam argumentis utitur, quæ quidvis aliud, quam quod docendum erat, demonſtrant. Quorſum enim, quæſumus, operoſa illa nugarum Scholaſticarum encomia, in quibus exponendis cumulanlandisque totus eſt *Innocentius?* An forte exiſtimavit, *Duns Scoti*, *Thomæ Aquinatis*, & iſtiusmodi nugatorum, difficillimis nugis, (præceptis dicere debebamus, literariæ rei ambitum abſolvi? Fallitur, ſi id exiſtimavit. Ita vero exiſtimaſſe, inde collegimus, quod ex Proteſtantium in Hungaria eruditis, qui non plane nulli

ſunt, ne unum quidem, forte quod aliam literas excolendi viam illi ſequuntur, recenſuit. Ergo,

Si licet exemplis, in parvo, grandibus uti,

idem de eo, quod de *Salmaſio* dictum olim fuit, magno ipſius merito, dicas: quod *optimam cauſam peſſime defenderit.* Aut enim, quid ſint bonæ literæ, quid literas colere, penitus ignorat *Innocentius;* aut, ſi non ignorat, quemadmodum forſitan ipſe ſibi perſuadet, quando *pag. VIII* Præfationis ſcribit, *ſe iis, quibuscum propius eſt verſatus, pluſculum videri*, eorum numero habendus eſt, qui ſenſa animi exprimere neſciunt. Quod quidem cum illa eloquentiæ laude, quam toto opere, atque inprimis *pag. XVII* Præfationis, & Partis prioris *pag. LIX*, confidenter affectat, minime convenit. Multa videntur, quæ non ſunt. Dedicatio, ad Illuſtriſſimum atque Excellentiſſimum Comitem *Antonium Graſſalkovichium*, tum Regiorum Judiciorum in Hungaria, nunc Cameræ, Præſidem, magnæ in rebus gerendis & prudentiæ, & dexteritatis, facta, nihil habet, quod tanto Viro dignum judicari queat. Primum plane *puerilis* eſt; quando enim exponit *Innocentius*, quibus cauſis adductus fuerit, ut opellam hanc ſuam Illuſtriſſimo Comiti dicaret, hæc affert: *quia Hungarus, quia Nitrienſi Comitatu ortus, quia eruditus, eſt.* Quod quidem infantiſſime ſcriptum, nemo Lectorum negaverit. Ex his enim rationibus, omnibus Hungaris, omnibus Nitrienſibus, omnibus eruditis, dicare ſua poterat. Deinde etiam *inepta eſt*, & *contra omnes prudentiæ regulas conſcripta.* Documento iſtud ſit, quando, tam Illuſtri Viro *qualemcunque ac properatum laborem* ſe inſcribere, ipſe ſcribit. Talis quidem labor ejus eſt, quod vel paginæ primæ legentibus perſuadent; ſcribere tamen ipſe non debebat, talem eſſe, ſi, quam Excellentiſſimo Comiti reverentiam, quam ſibi exiſtimationem, debeat, ſecum penſitaſſet. Scilicet prudentiæ hoc erat, palam, atque in ipſa quidem dedicatione, profiteri, citius omnem libellum fuiſſe conſcriptum, quam coquuntur aſparagi. Hanc vero imprudentiam impudentia

pudentia

pudentia cumulat *Innocentius* noſter. Rogat Mecænatem ſuum, ut *qualemcunque ac properatum laborem*, ad inaugurationem regiam Bohemicam profecturus, *aliquam impedimentorum ſuorum particulam, ſecum ſumat, nec non tædii levandi gratia, nonnunquam per viam inſpiciat, lectitet interdum.* Potius *impedimentum* hoc itineris, quod lectio nil niſi tædium Illuſtriſſimo Comiti afferre poterat, nominare debebat; niſi forte plurali uſus, nugas atque ineptias ſuas, cum *Quintiliano*, malebat impedimenta dicere. Denique & *mole* Dedicatio ea *laborat*; quod vitium, incognitum Romanis, quos imitari ſe voluiſſe ſcribit *pag. XVII* Præfationis, evitare eo ſolertius debuerat. Atque his rebus omnibus factum eſt, ut in ipſo limine opellæ iſtius, quid ſperare Lectores de Autore hoc debeant, pateat. Quia igitur ex ſe nullum libello pretium ſtatui poterat; nihilo minus *Innocentius* multum optabat,

populo ut placerent, quas feciſſet fabulas:

cenſuram & facultatem Ordinis duplicem, uti ipſe vocat, *triplicem* item *approbationem*, Dedicationi attexuit: tum ſcilicet æquiorem lectorem habiturus, ubi, quanti viri, quam inſigniter, approbaſſent, quivis intellexerit. Nobis certe, R. P. *Paulini a S. Joſepho*, in Romana ſapientia Publici Profeſſoris, cenſuram legentibus, qua ita ſcribit: *Quæ ab Autore afferuntur rationes, & argumenta, ad vindicandam patriæ literaturam, ac decus, adeo firma ſunt ac luculenta, ut, de iis ambigere, perinde ſit, atque in meridiana luce umbras inquirere:* iſtud in mentem venit, vel ironia uti, jocarive, voluiſſe doctiſſimum Virum, cum iſta ſcriberet, vel errorem typographicum irrepſiſſe, & loco *luculenta* legendum eſſe *lutulenta*. Jam de ipſo Opere diſpiciamus. *Pro cultu literarum in Hungaria, atque Diœceſi inprimis Nitrienſi, Vindicationem* inſcripſit, propterea, quod paulo ante Vir quidam illuſtris *Jo. Erneſto Harrachio*, Epiſcopo Nitrienſi, *Caroli VI*, Rom. Imp. tum in urbe oratori, erepto e vivis, parentaverat, in eaque, typis dein vulgata, funebri laudatione, de neglecta

meliorum

meliorum literarum cultura inter Hungaros, jure meritoque, his potiſſimum verbis, conqueſtus eſt: *Etſi Nitriæ tantus a me habetur honor, quantus nobiliſſimæ urbi videatur eſſe tribuendus; non tamen diſſimulabo illius, totisque illis Regionibus communem, in literis calamitatem; quarum vel nulla eſt, vel certe prava, & inutilis, tradendarum colendarumque ratio. Ex qua literarum inſcitia, incredibile eſt, quantum detrimenti res eccleſiaſtica capiat; quam enormes Chriſtiani officii perverſiones, quam multi & pernicioſi errores in Evangelicam doctrinam irrepere poſſint.* Atque hæc doctiſſimi Viri ingenua profeſſio, habet enim hoc veritas, ut odium pariat, (ſcribente *Terentio*,) adeo offendit *Innocentium*, Virum Doctiſſimum, ut ad eam infirmandam omnia colligeret venena, iisque ſuppliciis lugentem illum remuneraretur; quæ *Vindicationis* huius ſemina ſunt. Quod autem *pro cultu literarum in Hungaria vindicationem* nominavit, fecit quidem ſuo ſenſu; præter veritatem tamen. Toto enim opere, quod bipartitum eſt, nihil egit, niſi ut Epiſcopos Hungariæ, Societatem Jeſuitarum, Clericos regulares, a Scholis Piis nuncupatos, laudibus in cœlum tolleret, atque literato dein orbi exponeret, qua induſtria pueris prima literarum elementa, provectioribus termini Ariſtotelici, atque Theologia Scholaſtica, inſtillarentur; (vid. *pag.* inprimis *62, 63*,) tum qua violentia, quam ipſe fortitudinem interpretatur, Proteſtantes Hungaria eliminentur, ingenti ſcommatum profuſione, diſſereret. Quæ quidem omnia alia, quam literarum in Hungaria culturam, demonſtrant. Proinde aut vera ſunt, quæ jam diximus, *Innocentium*, quid ſint bonæ literæ, quid literas colere, penitus ignorare; aut, Sophiſtarum more, ſtatum controverſiæ, quod dicunt, immutavit. Nam, lectionem pueros, terminologiam Ariſtotelicam, Theologiam Scholaſticam, Jura Civilia, atque Eccleſiæ Canones, adoleſcentes, doceri, etiam in Hungaria, ut in plerisque regionibus omnibus, id nemo unquam negavit; ergo ridiculum ſane erat, ea ſumma contentione vindicare, quæ vocarit

vocavit in dubium nemo. De alia literarum cultura locutus eſt, cum parentaret, Vir ille doctiſſimus, quocum *Innocentio* res eſt. Excuſationem mereremur apud Lectores quosvis, ſi, quæ literarum cultura inter Hungaros deſideretur, fuſe hic loci diceremus; propterea, quod ipſe Scriptor noſter *pag.* 40, ita quærit: *Ecquas enim tu ibi literas requiris? Quas? Quas, quaſo, ſcientias illic atque doctrinas deſiderari putes? Quarum denique calamitoſam orbitatem operoſe exaggeras?* tamen, ne vel inhumanitatis arguamur, vel videamur ἀγωνίυεσθαι, tacebimus. Id unum addere liceat, literarum culturam, qualis requiritur, vigere adhuc in ſcholis Proteſtantium Hungariæ, quas tamen, niſi per ſcommata, non laudavit *Innocentius*. Sed lubet flores operis nonnullos decerpere, ut pateat, libellum, per omnes etiam particulas, properatum eſſe, & futilem, quod ipſe profeſſus eſt in dedicatione Autor *Innocentius*.

Pag. 40 expoſiturus, cur vitio Hungaris verti nequeat, quod hiſtoriam ruderum, aut ſcientiam lapidarem ac nummariam, ignorent, has rationes affert: *Quia in Hungaria neque materiam invenit ea ſcientia, neque uſui eſſe poteſt; quod numiſmata veterum Romani Imperii principum in arvis Hungaricis vix reperiantur.* Quod quidem omni experientiæ contrait; lapides, nummi, aliaque antiquitatis monumenta, tota Hungaria, atque in Daciæ veteris finibus inprimis, maxima copia eruuntur, neque adeo *doſſuario*, uti Autor loquitur, opus eſt, *qui moles, inſcriptaque vetuſtis characteribus ſaxa, eo comportet.* Eſto autem, non reperiuntur; an inde ſequitur, nulli eam ſcientiam in Hungaria eſſe uſui? Quale hoc ratiocinium eſt? profectum ab homine, qui adverſario ſuo toties oggerit, eum in arte ratiocinandi parum eſſe exercitatum. Immunis ſit, oportet, ab omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Pag. 44, 45, Matheſis, inquit, floret in Hungaria,

Digitized by Google

quia Tyrnaviæ publicus Matheſeos Doctor conſtitutus eſt, & quia in metallifodinis ſunt prodigioſæ & incredibiles machinæ. Quæ? qualis? quanta? Ad has conſequentias

Auribus arrectis, atque ore patente, ſtupemus.

Pag. 48 commendatio Philoſophiæ Peripateticæ legitur, ab *antiquitate*; ab *auctore*; a *ſectatoribus*; inter quos *Thomam de Aquino*, & *Joannem Duns Scotum*, *Magiſtros divinos, ac cælo demiſſos potius, quam communes terræ filios*, appellat: ignarus forte, iſtos ipſos homines inanibus nugis veram eruditionem compleviſſe, ſuamque iis debere originem ſecutorum ſeculorum barbariem; cujus nullum, niſi excuſſo antiquiſſimo illo jugo *Ariſtotelico*, finem videmus. Ceterum, ab *antiquitate* Philoſophiam, ab *autore*, a *ſectatoribus*, laudare, idem eſt, ac ignorare, quid Philoſophia ſit, profiteri. Rationem ducem in Philoſophicis, non autorem aliquem, ſequare oportet; veritatem ex ſe ipſa, non ex antiquitate, æſtimes, neceſſe eſt, ſi veri nominis Philoſophus eſſe, quam *Piſiſtratus* philoſophicus, malis. Omnis reliqua Philoſophorum natio, quæ aliter philoſophatur, ad *ſervum pecus imitatorum* pertinet.

Pag. 50 de Atomis & moleculis quædam ſatis jejune diſputat *Innocentius;* quæ profecto huc minime omnium pertinebant, quando oſtendendum potius fuit, veri nominis Philoſophiam vigere quoque inter Hungaros. Eſt hoc Delphinum ſilvis appingere. At talis eſſe properatus labor ſolet, neque alia exſpectari facies poterat operis

— — — — — — *quod non*
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Præſectum decies non caſtigavit ad unguem.

Pag. 59, Latinæ Linguæ ſtudium florere apud Hungaros, glorioſus miles noſter ſuo exemplo docet, quando confidenter ad adverſarium ſcribit:

Congredere eloquio, vel carmine, delige quodvis,

Ipſe

Ipſe ego pro ſociis pergam contendere vires:
Nec certe ancipiti tecum concurrere Marte.
Scilicet haud tantum, quantum, ſi me aſſiliat mus,
Te moror; aut veſcis pugnet ſi muſca lacertis.
Et mihi vena ſalit, viget & mihi carminis ardor,
Me quoque nutrices vatem finxere ſorores,
Aptaque Caſtalia tinxere aſpergine labra.
Atque meo pariter conſedit Tullius ore,
Non prorſus macer, exuccus, jejunus, & ille:
Sim licet exiguus, neque par noſtratibus usquam.

Hem! ut ſæpe ſumma ingenia in occulto latent! Nunc demum intelligimus, verum eſſe & illud alterum, quod vulgo dicitur: multa ſunt, quæ non videntur. Nempe:

— — — — *centum in Cilicia,*
Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidiſti uno die;

lingua videlicet tua, Vir incomparabilis, ſi verbis tuis fides.

Quæ *pag. 62 ſeq.* de methodo tradendi elementa literarum, pietatis, Grammaticæ, linguarum, Poeſeos, Rhetorices, hiſtoriarum, Arithmetices, ab Autore afferuntur, tam puerilia, tam ridicula, ſunt, ut nihil ſupra; quæque judicium adverſarii, de prava literas in Hungaria edocendi methodo, plane confirmant, cum deberent evertere.

Quid? quod & falſa immiſcuit Vir Doctiſſimus; quo illa pertinent, quæ de hiſtoriarum ſtudiis, deque linguarum cultura, commentatus eſt.

Pag. 88 & ſequentibus, usque ad *Partis primæ* finem, laudes Primatum Hungariæ, atque Epiſcoporum quorumvis, fuſe narrat *Innocentius;* ut demonſtratum daret, quanti, quamque literati, viri eſſent in univerſum omnes. In qua narratione illud non parvo dedecori cedit Autori, civi Hungaro, quod nomina propria Magna-

 tum,

tum, quos enumerat *pag. 90 & 91*, miſere delumbavit. Deinde etiam illud, niſi properati laboris ratio aliquo modo excuſaret, culpandum foret, quod, cum in laudandis viris omnino ſummis occupatus eſt, novam Theologiæ Scholaſticæ commendationem, laudes *Auguſtini*, prædicationem Doctoris Angelici, quem *Solem Theologorum* nominat, loco quippe alieniſſimo, orditur.

Ordinis, ſcilicet, *hæc virtus erat*, *& Venus*.

Tandem ad Hæreticos, uti ipſe vocat, in Hungaria delapſus, ne in ſolum adverſarium inhumanitatis documenta dediſſe videretur, & hos intemperanter lacerat; quando *perfricta audacia blaterones*, & *vix ullis malleis cedentia pectora duratorum*, ut cetera ſcommata ſileamus, appellat. Hæe ut probata daret, hæreticis ſuis exprobrat, quod Concilii Tridentini decreta, (quæ in Hungaria nunquam fuiſſe publice admiſſa, doctiſſime expoſuit *Godofredus Schwartz*, Vir Cl. in *Vita Duditbii pag. 56 ſeq.*) quod traditiones, quod Patrum Eccleſiæ conſenſum, omnino reſpuant. Quæ ſi cordatiores naſo adunco ſuſpenderint, ipſius *Innocentii* culpa id fiet, qui talia

— — — *ſibimet ſuſpendia nectit*.

Ad hæreticos iſtos convellendos Thraſo noſter opus ſuum, quod adverſus perfidiæ triarium ſcripſerit, *de Exiſtentia purgatorii*, medicamentine, an jurisjurandi, ignoramus, magnopere commendat.

Quod *pag. 119* de *Kermanno*, Lutheranorum Superintendente, quem ob id ipſum *impoſtorem conſceleratum*, (ut olim gentiles de Chriſtianis, *vir bonus*, *tantum quod Chriſtianus*,) nominat, in perpetuo carcere arcis Piſonenſis defuncto, ſcribit, quaſi ad Deum ſeptem collium paulo ante mortem deſciverit; illud omnino nequiſſimum mendacium eſt. Ecquid enim prohibet, ſcapham ſcapham dicere? Certiora omnia de viri obitu novimus. Quando autem de Hungaris *pag. 136* prædicat, eos omni oſtentatione abſtinere, illudque *Tullii*, *vitandam eſſe ingenii oſtentationisque ſuſpicionem*, addit; vera quidem profeſſus

feſſus eſt, ſed, ab Hungarorum indole quam longiſſime ſe defeciſſe, ſimul fateatur, neceſſe eſt; quod omnis ejus properatus labor mera oſtentatione abſolvitur.

Pag. 136 & ſequentibus iterum hæreticos adoritur *Innocentius*, atque *brevem hiſtoriam infauſti hæreſium incrementi in Hungaria* ſubnectit; quam vel propterea non moramur, quod nullas ibi modeſtia, humanitas, veritas, partes ſibi vindicat, ſola contra bilis loquitur.

Tandem, ut ſtaret, quam Comœdiam parte prima egiſſet, fecit, quod plerumque facere Comœdi ſolent. Hi, ut fabulæ exitus divini quid habeat, omni opere anniruntur; Deum proinde aliquem ex machina fingunt, qui finem ſcenæ miraculo imponat; ita Noſter, poſteaquam *paginis 146* omnia miſcuit, deſinit in prodigio, quod *pag. 147* legat, & credat, qui volet.

Vindicationis Pars altera ſpecialis, (Actus Comœdiæ ſecundus,) pro Diœceſi Nitrienſi conſcripta eſt, quia ipſe inde Autor, genere, patria, domicilio, eſt, quod ipſe titulo libelli profitetur. Geographia civitatis Nitriæ, atque Chronographia, primo loco exponuntur, tam ſcrupuloſe, ut neque *cancros retrocedentes*, neque *lentam teſtudinem*, neque minutiſſima alia, quæ Nitra flumen alit, omiſſa videas. Immo, quæ res maximi momenti, notatuque digniſſima, fuit, & *platea*; *regiis prærogotivis a reliquis diſtincta*, indicatur, qua cœlo demiſſum pignus divinum, Doctiſſimus *Innocentius*. Diſceptent, quantum volent, de *Homeri* patria, urbes Græciæ; ne idem de ſe Hungari facerent aliquando, providit *Innocentius*, quando non urbem modo, ſed & plateam, qua natus eſt, quæ eſt in cives ſuos benignitate plane ſingulari, tam operoſe expoſuit. Reliqua enim literaria Reſpublica hominem non novit. Inde laudes *Epiſcopi*, *Parochi*, *regularium & irregularium virorum*, *Scholarum* item *Nitrienſium*, leguntur, tam copioſe, ut mireris, quam profuſus verborum, rerum autem inanis, ſit *Innocentius*. Ne vero Lectores ignorarent, qua ipſe arte reliquorum Nitriæ

Epiſcoporum meminiſſet, Lemmate adſcripſit: *Præteritio Rhetorica Epiſcoporum Nitrienſium propioris retro temporis &c.* digna ſcilicet præteritio, quam, nugis ſcholaſticis relinquendam, prætereamus. Tandem exoptatiſſima lecturis *Concluſio particularis ipſius Autoris circa ſuam perſonam pag. 201* ſuccedit; hoc ipſo ridicula, quod barbara. *Circa ſuam perſonam!* quæ unquam latinitas ita locuta eſt? Et tamen inçomparabilis Scriptor verba *Ciceronis*, quibus de ſuo ingenio gloriatus eſt, ſuſtinuit de ſuis in puram latinitatem meritis uſurpare. Scilicet ſumma eſt ignorantia, opinio ſcientiæ. Atque tum bella hæc Vindicatio

Explicit ruri
per autumni otium in Hernicis
haud longe a cunabulis
M. Tull. Cic. C. Mar. Plin. Plautique, &c.

Profecto, ſatur erat, ita oportet, cum *circa ſuam perſonam* tam *concluderet particulariter* Innocentius; nam ruri erat, erat in otio, perſonatus erat. Ceterum non habet, quod ſibi gratuletur hanc rei literariæ in Hungaria vindicationem, Hungaria literata; Autor enim, quod vindicare poterat, quodque debebat, quia pollicitus eſt, minime vindicavit; quin potius omnem deturpavit patriam, eo majore crimine, quod civis. Illud quoque notandum eſt, Virum Doctiſſimum nullas plane orthographiæ regulas toto ſuo libello obſervaſſe; perpetuo enim ſcribit: *plerasque*, *cæpit*, *Cartheſius*, *Praesbyterum*, *hypotipoſis*, *tyara*, *Per-ipateticorum*, &c. Ex quibus etiam illud pueri noſtrates intelligent, *Innocentium* hoſpitem eſſe in Græcis, ut forte in pleriſque aliis. Adde, quod vetuſtas & obſoletas voces pæne infinitas adhibuit, ut eruditior vulgo haberetur. Nempe,

Quo facetior videare, & ſcire plus quam ceteri,
Pertiſum *hominem, non* pertæſum, *dicere ferunt.*

Verba ſunt *Lucilii*, in *Sat. P. Scipionem Africanum* ſugillantis. Aliter doctiſſimi quique, cum *Cicerone*, *uſum loquendi populo concedunt*, *ſcientiam ſibi ſervant.*

GEOR-

GEORGII COOPMANS, M. D. BREVIS DEſcriptio febris intermittentis, epidemicæ anomalæ mali moris, præcipue Franequeræ graſſatæ A. 1748.

Ex diverſa cœli temperatione varios concitari morbos, jam olim & antiquis Medicis fuit cognitum. Quid enim frequentius, quam quod aer cœnoſus, humidus, nubilus, propter inſenſilem perſpirationem, *Sanctorianam* dictam, impeditam, ejusque materiam retentam & acrem factam, profert catarrhos, itemque febres catarrhales? Sic quoque aer ſiccus, præter conſuetudinem calidus, febres producit ardentes, billioſas, varias, diverſæ indolis intermittentes. Ita & hoc anno 1748, poſt inſuetum, & intenſum, calorem æſtivum, plures menſes perſeverantem, febres, & præcipue in urbe noſtra Franequera, ortæ ſunt intermittentes, epidemicæ, anomalæ. Quæ incipiebant potiſſimum circa initium menſis Auguſti, maxime regnabant poſt medium ejusdem menſis, per totum tractum menſium Septembris, Octobrisque, quando adeo ſæviebant, ut nulli fere parcerent, complures in una domo, imo plerumque omnes, infantes æque ac ſenes, pauperes ac divites, ſexum utrumque temperamenti infeſtarent: donec, mutata cæli temperie, cedente calore, circa finem menſis Octobris, & quidem magis magisque in initio Novembris, relangueſcebant.

Dum potiſſimum autumno hæ febres graſſabantur, partim erant intermittentes, partim vero remittentes, gravibus plerumque ſymptomatibus comitatæ, anomalæ, irregulares, adeo ut non dubitaverim, quin haſce *Febres* cum Cel. *Friderico Hoffmanno*, quæ annis hujus Seculi 26, 27, 28, regnabant, appellaverim *intermittentes*, *Epidemicas anomalas mali moris*, ab Eruditiſſimo

mo & Excellentiſſimo Viro in *Tom. II Sect. I Cap. IV Edit. in Folio* deſcriptas.

Diſſerendum mihi hic prolixe non eſt, quinam Medici palmam teneant, an febres dentur intermittentes malignæ? Melius duxi, concinnam & accuratam hujus morbi tradere hiſtoriam, quam quidem plurima & facile inania in utramque partem afferre argumenta. Experientia tamen teſte, collatisque obſervationibus, non dubito illud affirmare.

Incipiebant plerumque hæ febres cum horripilatione, frigore, oſcitatione, ſubſequente vero calore, & æſtu; tandem in ſudores deſinebant.

In quibuſdam febris erat in initio tertiana, poſt unum alterumve paroxiſmum in continuum degenerans, alternis diebus in nonnullis, in aliis ſingulis, ſemel, imo bis, ſuam habens exacerbationem. Aliquot a primo inſultu febrem habebant continuam, quamvis rarius. In quibuſdam periodum ſervabat plane intermittentem. Poſtquam febris illa, in continuam mutata, per 7, 9, 11, vel 14, dies perſeveraverat, iterum ſeſe in intermittentem invertebat. Quidam magnopere conquerebantur de capitis, nullis remediis cedente, alii cervicis, nonnulli dorſi, quidam rurſus lumborum, manuum pedumve alii, dolore acerbo, lancinante. Omnes fere, maximus ſaltem laborantium numerus, ſentiebant dolorem gravativum circa ventriculum, inteſtinum colon, alii in latere ſiniſtro infra coſtas ſpurias. Quamplurimi tam per vomitum, quam per alvum, materiem excernebant pituitoſam, bilioſam, acrem. Sudores ſæpe aderant frequentes, copioſi, & præcipue circa remiſſionem febrilem. Poſt unum alterumve paroxiſmum omnes propemodum ſentiebant ſummam & incredibilem virium jacturam. Quidam quoque (ut annis ſupra citatis annotavit *Hofmannus*,) conquerebantur ſimul de calore & algore. Alii ſitiebant, in aliis vero ſitis minime urgebat. Lingua interdum erat madida, interdum ſicca, ſpaſmodica, cruſta tenaci obtecta.

Nonnulli,

Nonnulli, clauſis oculis, inſomniis ſpectriſque variis erant obnoxii. Quidam vero placide non tantum, ſed ſomnolentia quaſi affecti, paroxiſmo febrili, dormiebant. Alii vigiliis, jactationibus, inquietudinibus, deliriis, agitabantur. Nullum ſymptomatum tam frequens erat, quibus ægroti afficiebantur, neque tam dirum atque vehemens, quod in me ipſo, proh dolor! quoque expertus ſum, quam anxietas illa circa hypochondria, quæ in nonnullis adeo dura & notabilis erat, ut omnia ſuperare videretur. Infantes, hac febre laborantes, inprimis paroxiſmis, ſæpe convulſionibus, quaſi divellebantur. Urina rubra, flammea, bilioſa, ſedimento rubro, cinnabarino, interdum magis griſeo, ſive cinerio, oppleta. Pulſus nihil peculiare in ſe habebat.

Licet ingens ægrotantium numerus, tam dira affuerint ſymptomata, & febres ſæpe recidivæ; perpauci tamen, niſi ingenti errore, & perverſa medendi ratione, naturæ ſatisfecerunt.

Veſtigatis accuratiusque penſitatis harum febrium cauſa, indole, ſymptomatibus, videbatur mihi ſaburram, vel collectionem humoris pituitoſi, bilioſi, corrupti, aeris, in primis viis hærentis, omnia hæc producere: ideo has formavi indicationes; 1) ut materiam peccantem blandis evacuantibus tam per vomitum & alvum, quam per cutem, eliminarem; 2) ſanguinem humoresque corrigerem; & tandem 3) ſymptomatibus ſuccurrerem, eaque lenirem.

Si quis opem meam & conſilium imploraret, poſtquam ægrum ſedulo examinaveram, in initio uſus ſum vel laxantibus, clyſmatibus, emeticis, vel, prout indicatio patiebatur, mixtura temperante, nitroſa, ſubacida, decocto aperiente, &c. Hanc quidem obſervavi methodum: Si vires permitterent, præſcripſi emeticum ex Rad. Ipecacuanhæ gr. XXV ad ʒß, vel laxans quoddam remedium ex Rheo Electo, ſive Pulpa Tamarindorum, Maſſave Pilul. Cochiæ majoris; contra, ſi vires magnopere eſſent debilitatæ, ſtatim adhibui mixturam ex Antim. diaphor. non abluto, Nitro, Sale Prunellæ, Polychreſto, Extr. Taraxici, Succo Citri recenter expreſſo, Oxymelle ſimplici,

plici, Syrupo aceteſitatis Citri, Aqua Cichorei, Fl. Rhoeados, Sambuci, Lactucæ, Meliſſæ, Menthæ, ſimilibusque, vel Decoctum ex Radicibus Herbisque aperientibus, & pro re nata, ad virium jacturam refocillandam, ſtimulantibus, interpoſito poſt biduum triduumve ex ſupradictis laxante, vel clysmata. Hac methodo febre continua ſuperata, & ad intermittentem redacta, ſtatim in uſum vocavi Corticem Peruvianum, qui efficaciſſimum tutiſſimumque præſtitit effectum, neque minores ad recidivam tollendam edidit vires.

Ut anxietates ſpaſmodicas circa hypochondria lenirem, ſummum laborantes habuerunt ſolatium & levamen ex Ra. Caſtorei & Sp. Menthæ ad gtt. 40, 50, vel 60, adhibita. Capitis vero dolor tempore paroxiſmi febrilis nullis plane cedebat remediis, ſed febre remittente ſponte evaneſcebat.

Quod ad Venæſectionem, in hiſce febribus bis terve inſtitutam, ſicco pede præterire nequeo, quæ tamen partim ex inſcitia ægroti, partim ex falſa perſuaſione & perverſo præjudicio eorum, eſt peracta, qui publice hariolari audent, ſe omnes omnino morbos phlebotomia curare, & in omnibus quoque febribus cujuscunque indolis adhibere. Verum enim vero, niſi vehementer fallor, hæc curandi methodus e diametro morbi genio contrariatur, omnemque materiæ peccantis excretionem ſufflaminat, imo potius intra viſcera coercet, præſertim cum vires vitales, ſi unquam, hic præcipue, tam neceſſaria materiæ morbificæ ſecernendæ inſtrumenta exhaurit. Fateor, fuerunt quidem nonnulli, ſed pauci admodum, in quibus plethora, venæ inciſionem quoque imperavi, attamen in iis tantum, in quibus diatheſis inflammatoria, vel viſceris cujusdam inflammati indicia, aderant. Cogitandum non eſt, B. L. me ſanguinis miſſionem ſtudio partium omiſiſſe, ſed amore erga alienos incitatum, & ſalutem ægrorum quærentem, abhorruiſſe.

Hac curandi methodo obſervata, abſit inanis gloriandi

andi ſuperbia, vere dicere poſſum, nullum laborantium, qui opem & conſilium meum implorarunt, niſi antea perverſam medendi rationem adhibuiſſent, fuiſſe exſtinctum, præter unicum, cujus hæc eſt morbi hiſtoria.

Matrona quinquagenaria optimæ & robuſtæ conſtitutionis opem meam & conſilium requiſivit, quæ decimo Octobris die febre corripiebatur cum frigore, horrore incipiente, & crudelibus anxietatibus, circa hypochondria per totam fere noctem durantibus, ſtipata; altero vero die melius ſeſe habebat; circa veſperam diei ſequentis, ſcilicet duodecimæ, me arceſſit; inveni tum ægrotam adhuc febricitantem, & conquerentem de dolore gravativo circa hypochondria; quare præſcripſi mixturam temperantem, nitroſam, ex ſupradictis; accedebam ſequenti die, omnia fere, ut ante, perſeverabant, præparare juſſi pulverem ex Rhei Electi ʒß, unde alvus hac die leniter ter quaterve reſpondebat, & melius circa veſperam ſeſe habebat; interim continuabat uti præſcripta mixtura; circa mediam noctem febris iterum invadebat & exacerbabat, verum anxietates & reliqua ſymptomata præcedente paroxiſmo longe erant mitiora. Viſitabam illam tempore matutino, mihi narrabat, quod alvus ſæpe fuiſſet ſoluta, & exereviſſet materiam pituitoſo-bilioſam. Pulſus erat ſatis regularis, & febris fere nulla, continuavit uſum præcedentis mixturæ. Poſt meridiem iterum me conſulebat, quando ancilla dicebat, quod fæces ſanguine eſſent tinctæ, quas & mihi oſtendebat; inveni tum pulſum debilem, frigus extremorum, reſpirationem difficilem, quare clyſma ex lacte dulci, Terebinthina, & Saccharo rubro, fuit applicatum, & poſtea iteratum, ſpe, ut opem afferret, ſed fruſtra; nam paulo poſt ſextam veſpertinam viſitavi, vidique, miſerrimam in agone mortis verſari, jactationibus, anxietatibus horrendis, vexari, oculis caliginoſis, reſpiratione difficillima, deglutitione plane impedita, pulſu tam debili, ut tactu fere explorare non potuerim, & ſic circa ſeptimum diem halitum extremum efflavit.

Digitized by Google

C. F. OECHLIZII ADDITAMENTUM AD Analyſin Problematis Catoptrico-Analytici, in Novis Actis Anni ſuperioris Menſ. Octobr. pag. 601 expoſitam; & Analyſin novam, & Conſtructionem, ſiſtens.

Fidem feci ſub finem *Schediaſmatis* citati, exhibiturum me ſolutionem Problematis illius geometricam; quæ cum facilem, eamque generalem, Conſtructionem ſuppeditet, tum præterea novam, & ab allatis prorſus independentem, ſolutionem analyticam præbeat, cum præcedente tamen perfecte conſpirantem. Hocce promiſſo ſtare eo minus dubito, quod non ſolum illud ad omnimodam hujus Problematis ſolutionem deſiderari videatur, ſed & dicta ſolutio analytica ſimplicitate gaudeat maxima.

TAB. IV Fig. 1. Sit itaque MAm Curva propoſita, radios omnes, ex C exeuntes, poſt duplam reflexionem in M, m, iterum in C colligens; ſitque DNd Cauſtica, concurſu omnium radiorum reflexorum, ut Mm, genita, quam Mm contingat in N. Ex proprietatibus Cauſticarum conſtat, ſi ſumatur initium Curvæ MA ubicunque, ut in B, & radius inde reflexus ſit BD; fore ſemper $CM + MN = CB + BD +$ arc. DN. Unde colligitur, ſi eodem modo ſumatur ad alteram partem punctum Curvæ b, ſitque reflexus inde bd; fore ſummam trium $CM + Mm + mC = CB + BD +$ arc. $Dd + db + bC$, adeoque ſemper conſtantem.

Concipiatur jam, in ſingulis punctis M produci radium reflexum MN in O, ut ſit $MO =$ incidenti MC; & orietur exinde nova Curva EO, quam conſtat generari evolutione Cauſticæ DN, ſi in D fiat longitudo fili $DE = CB + BD$. Facta nunc ſimili conſtructione in puncto m, ut prodeat punctum o; facile intelligitur, duas partes EO, eo, ex eadem Curva continua MAm, eodem prorſus modo, genitas, eandem quoque conſtituere Curvam continuam, cujus quidem hæc erit proprietas, ut (ex nat. Evolutionis) Oo ſit ei utrinque in O, o, normalis, & (vi præced.) conſtantis magnitudinis.

Sed

TAB. IV. ad Nov. Act. Erud. A. 1749. M. April. pag. 236 ſeq.




Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.

Digitized by Google

Sed præterea liquet, ex hac Curva, ſi eſſet cognita, ſtatim dari ipſam quæſitam MAm. Nam, ducta quavis ei normali ON, junctaque CO, cui biſectæ agatur perpendicularis QM, occurret hæc ipſi Oo in puncto Curvæ quæſitæ M. Redit itaque generalis Solutio & Conſtructio præſentis Problematis ad hoc aliud multo ſimplicius: *Invenire Curvas omnes continuas, ut* EOoe, *ejus natura, ut normalis quævis* ON *occurrat ei iterum normaliter in* o, *ſitque* (quod exinde per ſe ſequitur,) *conſtantis magnitudinis.*

Huic ſolvendo adhibeo eandem Methodum generalem, qua jam pro præcedenti Problemate, aliisque ſimilibus, uſus ſum. Relata nempe Curva ad axem CA, ſit $CR = x$, $RO = y$; $\frac{dy}{dx}$ (ſeu tang. ROV ad rad. 1) $= p$; TAB. IV. Fig. 2.

$CV = u$, unde $u = x + yp$. Conſideretur jam relatio inter x, y, & p, & u. Primo cuivis angulo normalis cum axe, h. e. cuivis p, duo puncta Curvæ O, o, h. e. duo valores ipſius x, vel y, reſpondere debent. Dein utraque normalis in idem punctum V debet incidere, ut rectam continuam efficiat, h. e. eidem p unicus reſpondere valor ipſius u. Unde habentur duæ conditiones: ut 1) x, y, ſint functiones irrationales ipſius p; 2) u functio ejusdem rationalis. Ad inveniendas x, y, ex relatione inter p, u, differentietur $u = x + yp$, & ſubſtituto $dx = dy : p$, factaque denuo integratione, habebitur

$$y = \frac{r}{\sqrt{(p^2+1)}} \int \frac{p\,du}{\sqrt{(p^2+1)}} - \frac{c}{\sqrt{(p^2+1)}}$$ ubi c conſtans arbitraria.

Unde & $x = u - yp$ habetur per p, u. Si ergo ex condit. 2) ſumatur u functio quævis rationalis ipſius p, & conſtans c non ponatur $= 0$, ſemper y, x, conditioni 1) reſpondebunt, quia ad minimum terminus per c affectus ſemper eſt irrationalis. Curvæ autem algebraicæ pen-

a $\int \frac{p\,du}{\sqrt{(p^2+1)}}$. Sed, ut Solutio generalis habeatur, quærantur primo omnes Curvæ algebraicæ, e relatione inter p, u, prodeuntes; unde ſumma hæc reſolvenda in $\frac{pu}{\sqrt{(p^2+1)}} - \int \frac{u\,dp}{(p^2+1)^{\frac{3}{2}}}$; quæ erit algebraica, ſi, poſita P functione quavis algebraica ipſius p, ſit $u = (p^2+1)^{\frac{3}{2}} \frac{dP}{dp}$. Ut jam inter has Curvæ omnes Problematis eruantur, debet eſſe u functio rationalis ipſius p; unde P irrationalis, eaque talis, ut irrationalis $(p^2+1)^{\frac{3}{2}}$ diviſione abeat. Ponatur itaque $P = \frac{R}{\sqrt{(p^2+1)}}$, ubi R rationalis, fietque $u = (p^n+1)\frac{dR}{dp} - Rp$; & hinc porro $y = p\frac{dR}{dp} - R \mp \frac{c}{\sqrt{(p^2+1)}}$; & $x = \frac{dR}{dp} \pm \frac{cp}{\sqrt{(p^2+1)}}$; ubi adeo ſumta R functione quavis rationali ipſius p, conditionibus Problematis generaliſſime ſatisfit. Ponatur e. g. $R = ap + b$, & prodit æquatio generalis ad Circulum. Poſita $R = ap^2$, fit $y = ap^2 \mp \frac{c}{\sqrt{(p^2+1)}}$, $x = 2ap \pm \frac{cp}{\sqrt{(p^2+1)}}$.

Tranſeamus nunc ad *Problema catoptricum*, ubi totum negotium eo redit, ut inveniatur interſectio M normalis OV, & perpendiculi QM, CO biſectæ erecti. Jungatur

gatur CM, & eſt $PM = \frac{CV}{\text{tang.}\ CMP + \text{tang.}\ PMV}$, & $CP = PM.$ tang. $CMP.$ Sed $CMP = 2COM - PMV = 2COR + ROV$; unde ob tang. $COR = x : y$, & tang. $ROV = p$, invenitur tang. CMP; & hinc $PM = \frac{y(y - px) - x(x + py)}{2(y - px)}$, $CP = \frac{y(x + py) + x(y - px)}{2(y - px)}$. Cum jam ſit $y - px = - R \mp C\surd(p^2 + 1)$; $x + py\ (= u) = (p^2 + 1)\frac{dR}{dp} - Rp$; habebuntur pro valoribus ipſarum $2PM$, $2CP$, duæ fractiones, quarum denominator $- R \mp c\surd(p^2 + 1)$, numeratores vero $-(p^2 + 1)\frac{dR^2}{dp^2} + R^2 + c^2 \mp 2c\left(\frac{pdR}{dp} - R\right)\surd(p^2 + 1)$, & $-2(p^2 + 1)\frac{RdR}{dp} + (p^2 + 1)p\frac{dR^2}{dp^2} + R^2p - c^2p \mp \frac{2cdR}{dp}\surd(p^2 + 1)$.

Quæ formulæ, mutatis omnibus ſignis numeratorum & denominatorum, prorſus coincidunt cum iis, quas in *Solutione An. præc. pag 611* exhibui; cum hic ſit p, quod ibi eſt v, nempe tang. PMV, & R denotet hic functionem quamvis rationalem ipſius p, illic ipſius v. Quod autem ibi eſt p, eſt tang. PMT, cui $= ROC$, ſeu hic $y : x$.

E formulis præced. etiam nunc facilis derivatur *Conſtructio*. Sit enim DS Curva quævis, in qua ordinata $NS = R$ ſit functio rationalis abſciſſæ $BN = p$. In B ſit normalis indefinita; in eaque BE recta, quæ pro unitate aſſuma- TAB. IV Fig. 3.

Digitized by Google

aſſumatur; & radio $BF = c$ deſcribatur circulus. Ducta jam tangente Curvæ ST, erit $BT = \frac{pdR}{dp} - R$. Ducatur per E ei normalis EW, eritque $BW = \frac{dR}{dp}$. Jungatur EN, eique ducatur parallelus radius BX; & ad BN ducatur parallela Xy, & normalis XZ, eritque $BZ = \frac{cp}{\surd(p^2+1)}$, $By = \frac{c\,1}{\surd(p^2+1)}$. Unde facta $Bz = BZ$, $BY = By$, erunt WZ & TY, atque Wz & Ty, binæ abſciſſæ cum ordinatis reſpondentibus pro Curva EO, quæ nempe dant duo ejus puncta, normalem communem habentia. E Curva EO autem, uti jam ante dictum, facile conſtruitur Curva catoptrica MAm.

TAB. IV Fig. 2.

Si e. g. DS ſit recta, erunt puncta T, W, fixa, & pro Curva EO prodibit ipſiſſimus Circulus FXF. Ex eo autem porro pro Curva MAm prodit vel Ellipſis, vel Hyperbola, prout punctum C jacet vel intra, vel extra, circulum.

Ceterum ex iisdem Curvis EO facile etiam Solutio & Conſtructio pro Caſu Parallelîſmi deduci poſſet, paucis mutatis. Sed dicta ſufficiant.

Liceat *Errata* quædam, in *Figuris Schediaſmatis praeced.* *pag.* 6?1 relicta, addere: *Fig.* 1 extremitati rectæ, ex O ad CM ductæ, adſcribatur Q. *Fig.* 2 jungatur LT; item perpendiculo, ab M ad CA demiſſo, adſcribatur P.

Exiit nuper prelo noſtro *Tomi ſeptimi Supplementorum ad* hæc *Nova Acta Sectio prima*, cum *Tomi ſexti Miſcellaneorum Novorum Lipſienſium Parte quarta*, quam *Tomi ſeptimi prima* proxime ſequetur.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXLIX.

APPENDIX AD THESAURUM GRÆCÆ Linguæ, ab Henrico Stephano conſtructum, & ad Lexica Conſtantini & Scapulæ, ſtudio & labore DANIELIS SCOTT, J. U. D.

Tomi II.

Londini, typis Jac. Nettenham, venditur apud Jo. Noon, 1745, fol. Alph. 7 plag. 6.

Splendidum hoc eſt Opus, & forte plus, quam oportebat. Neceſſarium quoque erat; & ſane Supplementum *Theſauri Stephaniani*, ſi rite inſtituatur & peragatur, eſt utiliſſimum opus, quod aliqui parvis editis ſpeciminibus jam tentarunt, ut *Grammius* in *Xenophonteis* ſuis, doctus ille Anonymus in *Tomo V Miſcellan. Obſervat. Critic. Amſtelod.* aliique plures, quibus Noſter non videtur uſus. Nulli dubitamus, Anglo noſtro ſuum hoc opus multis vigiliis, & diuturno magnoque labore, conſtitiſſe: quod ſolet omnibus accidere Lexicographis; ſi tamen ipſum ex levi inſpectione hujus operis ſatis & ex vero æſtimare didicimus, pæne audeamus eum imparem huic exequendo affirmare. Facile quidem agnoſcimus, unum hominem tam vaſto, tam ingrato labori, qualis eſt, Lexicon Græcum condere, vix ſufficere; ultro quoque locum facimus precibus ſub Præfationis finem *lapſibus ſuis ignoſci* rogantis, *quandoquidem non gloriæ, non certe lucro, ſed ſolius rei publicæ literariæ commodo, conſuluerit.* Digna profecto ampliſſimis laudibus rara in literatis animi nobili-

bilitas. Neque dubitamus, hoc Opus utiliſſimum multis fore, & longe magis, multoque pluribus, futurum fuiſſe, ſi pretium ei ſplendoremque Autor circumcidiſſet. Fatendum tamen omnino eſt, huic operi tam ſplendido labem non unam adhæreſcere. Non illud urgemus, hic nova omnia non comparere; ſæpius repeti ab *H. Stephano* jam allata. Nam id ex Noſtri erat inſtituto, quæ *Stephanus* nimis vage, aut nulla cum autoritate, aut autore non ſatis probo & præclaro, commemoraverat, ea curatius definire, & cum elogio gravis & illuſtris alicujus ſcriptoris Græcæ civitati aſſerere. Verum id omnino in culpam incidit, quod viam ingreſſus eſt, qua ſi quis pergat, poſſit his duobus Voluminibus ſimilia centum alia non magno negotio congerere. Quid enim? Annotare gerundia omnia, in εον terminantia, ſi velis, ubi erit operi finis? Id tamen Noſtrum voluiſſe, quis non conjiciat, videns, tanquam rara & digna, ἀποβλητέον, ἀποδοτέον, & talia plura, hic notari? Quæ quis dicat *Stephano* deeſſe, qui radices eorum ἀποβάλλειν, ἀποδιδέναι, &c. habet? Hæc in tironum gratiam notari ſi dicas, qui neſciant illa ab his derivare, nimium deprimes operis hujus dignitatem, & maxime imperfectum eſſe clamabis, quando quidem longe plurima hujus generis non habet. Quis ἀνωδύνως merito deſideret in *Stephano*, aut κακῶς, qui ἀνώδυνος & κακὸς habet; ἀπελάω in eo, qui ἀπελαύνω promit? Inutilis erit, & oneroſus, & nunquam ſuperabilis, labor, omnes poſſibiles vocum formas ſeorſim enotare, quas vel imaginatio fingat, vel lectio ſuggerat, præſertim in lingua, in qua non fuit ætas, non Autor, qui fictionem non tantum non permiſerit ſibi, ſed etiam non affectarit. Annotat Noſter e. c. ἀπαγνίζομαι, formam Ionicam pro conſueta ἀφαγνίζομαι. Atqui, ſi Ioniſmum aſſerre totum voluerat, & Doriſmum quoque, debuerat utrumque *Æmilii Porti Lexicon Herodoteum & Pindaricum* transſcribere. An etiam conſultum fuerit ſtudioſis in eo, quod omnes a Grammaticis pro arbitrio confictæ voces, ut eſt e. c. ἀπεριςκεψία, omnia inquinatioris ævi, ut eſt ἀποβλήμιον, huc, tanquam in Cyceonem, conjecta fuerint, de eo cenſeant peritiores. Dubia profecto

&

& manifeſte corrupta, ut ἀπεριάλλητον, pro ἀπεριλάλητον, ut ἀνώσιμος pro ἀνύσιμος, & hujus farinæ plura, absque judicio, absque admonitione, in medium conjici, id tolerabile non eſt. Lectores enim ea non tantum non adjuvant, ſed implicant magis. Et quid facilius, quam *Heſychii*, *Suidæ*, *Etymologici*, *Phavorini*, aliorum, hallucinationes compilando, librum comportare, qui bajulum oneret? Judicium etiam in illis ridiculis & æque ad Scythas, quam ad Græcos, pertinentibus, ἀπιϛονοϛάτρα, ἰατ]ατ]ατ]ατ]αυ, φλατθοτρατθ, & ſimilibus, deſideramus. Mirum, illud ejusdem pæne commatis ὑληψιχϛυσοχαυνοπρωκ]ιασναῦ annotatum non fuiſſe. In Lexico Græco accentus utplurimum abeſſe, & ſæpe absque neceſſitatis diſcrimine ſpargi, tanquam ſacculo excuſſos, item Latinam interpretationem deeſſe tam Gloſſis ipſis, quam teſtimoniis Autorum, id magnum profecto vitium eſt. Hæc ſunt ferme, quæ notanda nobis viſa fuerunt, obiter tantum, nec a pagina ad paginam, librum hunc luſtrantibus. Interea pro congeſtis magna mole magnoque labore bonis & utilibus gratias, ut par eſt, habemus doctiſſimo Viro, cujus & eruditionem & bene de Græcis literis merendi ſtudium agnoſcimus.

HISTOIRE GENERALE D'ALLEMAGNE, &c.

hoc eſt,

HISTORIA GENERALIS GERMANIÆ, conſcripta a JOSEPHO BARRIO, Canonico regulari S. Genoveveæ, & Cancellario Academiæ Pariſienſis.

Tomus IX & X.

Pariſiis, apud Carolum J. B. Deleſpine & Joannem Thomam Heriſſant, 1748, 4.

Tom. IX Alph. 4 plag. 20, Tom. X Alph. 5 plag. 3.

Emenſi maximam partem ſumus iter, quod, Rev. *Barrio* duce, adhuc inſtituimus. Reſtat, ut, quomodo ille

 res,

res, ultimis duobus Seculis per Germaniam geſtas, ediſſeruerit, doceamus. *Ferdinandum*, *Caroli V* fratrem, & in imperio ſucceſſorem, pariter, ac *Philippum II*, Hiſpaniæ Regem, ſub initium hujus *Tomi* in ſcenam producit, eorumque Principum mores ita deſcribit, ut de Sereniſſima domo Auſtriaca, & natione Hiſpanica, durius paulo judicium ferre vi-
Pag. 2. deatur. Pontificem *Paulum IV* diu detrectaſſe *Ferdinandum*
4. pro legitimo Cæſare agnoſcere, nos docet. Poſt mortem *Alberti*, Marchionis Brandenburgici, ſucceſſori ejus damna, per proſcriptionem *Alberti* domui Brandenburgicæ data, Cæ-
7. ſaris autoritate reſtituta eſſe, commemorat. Cædem *Melchioris Zobelii*, Epiſcopi Herbipolitani, conſilio *Wilhelmi Grum-*
8. *bachii* perpetratam, deſcribit. De turbis, per equites Teutonicos in Livonia ſuſcitatis, ample diſputat. Lutheranam religionem tunc temporis per ea loca diſſeminatam eſſe, narrat.
13. Cæſarem ſe irrito conatu hiſce progreſſibus oppoſuiſſe, fatetur. *Baſilium I*, Moſchorum Ducem, compellationem *Czaar* primo loco uſurpaſſe, docet, & hac occaſione de religione, moribus, & diſciplina militari, Moſchorum,
14. qualis Seculo XVI fuit, ample diſputat. Hiſtoriam belli, a Moſchis, occaſione turbarum, ab Ordine Teutonico
17. datarum, per Livoniam moti, perſequitur. Ducatum Sleſwicenſem ab omni nexu cum Imperio per Cameram Spirenſem
21. A. 1559 liberum eſſe declaratum, obſervat. Dithmarſos poſt cruentum bellum ſe Regibus Daniæ & Ducibus Holſatis ſubjeciſſe, & leges ſubjectionis a Cæſare confirmatas eſſe, obſer-
33. vat. *Philippum II*, Hiſpaniæ Regem, plurimos per Belgium, prævio Pontificis conſenſu, inſtituiſſe Epiſcopatus, notat, multos Archiepiſcopos, quorum jurisdictio hac ratione vehemen-
34. ter diminuebatur, id ægerrime tuliſſe, monens. Acta comitiorum Auguſtanorum, A. 1559 habitorum, ediſſerit, deque Concilio in cauſa Proteſtantium celebrando fruſtra ibi cogitatum
36. eſſe, narrat. Pontificem *Pium IV* dignitatem Imperialem
41. *Ferdinandi* tandem agnoviſſe, notat. *Maximilianum*, Cæ-
42. ſaris filium, Lutheranorum doctrinis, non obſtantibus Papæ minis, inſigniter faviſſe, non negat. Quid inter Ponti-

ficem,

ſicem, & Europæ Principes, circa Concilium Tridentinum fuerit actum, exponit. Bullam Pontificis, vi cujus illud Concilium, adhuc ſuſpenſum, denuo convocatum eſt, deſcribit. Pag. 43.
Livoniæ incolas, bellis Moſchorum fere oppreſſos, dominio 48.
Regum Sueciæ & Poloniæ, quorum quippe auxilio indigebant, ſemet ſubjeciſſe, narrat. Ordini Teutonico hac ratione Livoniam fuiſſe ereptam, Curlandiam *Gothardo Kettlero* tanquam Ducatum eſſe conceſſam, & Lutheraniſmum per ea loca valde fuiſſe diſſeminatum, commemorat. Quid in Concilio Tridentino, A. 1562 iterum celebrari cœpto, actum fuerit, ſic ſatis candide narrat, faſtum Papalem in negligendis ordinum Germaniæ gravaminibus non diſſimulans. De electione *Maximiliani*, Regis Romanorum, Francofurti ad Mœnum peracta, diſputat. Principem illum, non Aquisgrani, uti per Bullam auream fieri debebat, ſed Francofurti, coronatum eſſe, obſervat. Eodem tempore inducias per octo annos cum Turcis Cæſarem concluſiſſe, nos docet. Proteſtantes nullos ad Concilium Tridentinum miſiſſe deputatos, neque illud pro legitimo agnoviſſe, concedit. Genuenſes, *Finalium* occupantes, ad eam urbem legitimo domino reſtituendam a Cæſare coactos eſſe, monet. Bellum, inter Daniæ & Sueciæ Reges, propter commercia, cum Moſchis, Livoniam infeſtantibus, inſtituta, exortum, ample deſcribit. *Wilhelmi Grumbachii*, qui ſub ſignis *Alberti* Brandenburgici quondam militaverat, & ab Imperio proſcriptus erat, vitam, & turbas, in Epiſcopatu Herbipolitano ab eo excitatas, lectoribus ante oculos ponit. Finem Concilii Tridentini pariter, ac vitæ *Ferdinandi* Cæſaris, deſcribit, deque ejus familia & diviſione regionum, quibus præerat, inter filios ſuperſtites, accuratam ſuppeditat notitiam. *Maximiliani II* virtutes prædicat, neque ejus erga Proteſtantes clementiam præterit. Imo, eundem a Pontifice petiiſſe, ut communio ſub utraque ſpecie concederetur, & matrimonium Clericis inire liceret, nos docet. Priori ejus petito exitum reſpondiſſe, alterum vero Pontificem prorſus recuſaſſe, pronuntiat. Quid in Hungaria adverſus Turcos Imperator geſſerit, narrat. Lites, inter ſenatum & cives Roſtochienſes agita-

[Margin page references, in order: 53. 54. 55. 61. 64. 68. 70. 78. 80. 83. 85. 86. 91. 92.]

agitatas, per Ducem Meclenburgenſem, a Cæſare ad id depu-
Pag. 96. tatum, compoſitas eſſe, monet. *Albertum Brandenburgicum*,
qui olim Ordinis Teutonici Magiſter fuerat, & Pruſſiam tan-
quam Ducatum familiæ ſuæ aſſeruerat, eamque a regno Po-
loniæ ſub fidelitatis feudalis lege tenebat, in teſtamento ſuo
domui Brandenburgicæ Pruſſiam deſtinaſſe, ſiquidem deſcen-
102. dentes maſculi in ſua familia deficerent, narrat. *Joachimum*
Fridericum, Electoris Brandenburgici filium, ubi Archiepiſco-
pus Magdeburgenſis conſtitutus erat, religionem Lutheranam
103. ibi introduxiſſe, docet. Archiducatus Auſtriaci & regni Bo-
hemiæ incolas liberam dogmatum Lutheranorum profeſſio-
113. nem ſibi a Cæſare expetiiſſe, obſervat. Motus, in Belgio A. 1567
cœptos, propter tribunal ſancti officii ibi introducendum or-
114. tos eſſe, commemorat. Calamitates, quas *Joannes Frideri-*
cus, Saxoniæ Dux, *Grumbachio* favens, ideo expertus eſt, diſ-
115. ſerit, infeliciſſimum illum Principem Neapolin tandem
121. deductum eſſe, contendens. De matrimonio *Caroli*, Cæſaris
fratris, cum *Eliſabetha*, Angliæ Regina, fruſtra tentato, diſpu-
123. tat. Hiſtoriam turbarum in Belgio accurate perſequitur.
124. Diſſidia, inter Archiepiſcopum & cives Trevirenſes agitata,
130. deſcribit. Cæſarem nobilibus Auſtriacis liberam religionis
Lutheranæ profeſſionem, fruſtra intercedente Pontifice, tan-
131. dem conceſſiſſe, narrat. Cum inter Duces Ferrariæ atque
Florentiæ inſignis contentio propter jus προεδρίας exiſteret,
Pontifex *Pius V*, illis litibus finem impoſiturus, *Coſmum Me-*
dicæum magnum Florentiæ Ducem renuntiare auſus eſt.
Admodum indigne, uti par erat, eam Papæ audaciam tulit
Imperator, gravesque ideo contentiones cum Curia Romana
exercuit, quæ ægre tandem compoſitæ ſunt, quando Cæſar
135. Florentinum Ducem hoc ipſo tandem mactavit elogio. Con-
ditiones pacis, inter Daniæ & Sueciæ Reges A. 157[illegible] concluſæ,
140. Rev. Autor apponit. Turbas, quæ poſt mortem *Sigiſmundi*
Auguſti, propter electionem novi Regis, Poloniam agitarunt,
147. ample recenſet. Cæſarem de regno illo uni ex filiis ſuis aſ-
ſerendo admodum fuiſſe ſollicitum, narrat, *Henricum* vero,
Ducem Andegavenſem, coronam illam tandem obtinuiſſe, mon-
ſtrat.

Digitized by Google

ſtrat. *Rudolphus*, Cæſaris filius natu major, in comitiis Ratisbonenſibus, A. 1575 congregatis, Rex Romanorum conſtitutus eſt. Poſt diſceſſum *Henrici*, Regis Poloniæ, quippe qui, poſt mortem fratris ſui, *Caroli IX*, in Galliam, regno illo potiturus, reverſus erat, Poloni novum conſtituerunt Regem. Quamvis autem ipſe Imperator tunc a quibusdam Poloniæ proceribus eligeretur, ob continuam tamen nobilitatis contradictionem, ſolium illud obtinere non potuit, ſed *Batorio* cuidam, Tranſylvaniæ præfecto, qui *Annam*, *Sigismundi Augusti* ſororem, quinquageſimum ætatis annum jam ſupergreſſam, in matrimonium duxerat, diadema iſtius regni datum eſt. *Mercurialem*, Medicum in Italia celeberrimum, Comitis dignitate ab Imperatore *Maximiliano* decoratum eſſe, Rev. Autor obſervat, & generatim favorem hujus Cæſaris erga literatos valde prædicat. Academiam Helmſtadienſem, a *Julio*, Duce Brunſuicenſi, A. 1576 fundatam eſſe, commemorat. Calvinianos, in Gallia vehementer preſſos, ſub auſpiciis *Principis de Condé*, armata manu liberum religionis exercitium impetrare tentaſſe, eosque a nonnullis Germaniæ Principibus adjutos eſſe, narrat, hiſtoriam iſtorum motuum ample perſequitur, & poſt cruentum bellum Calviniſtas tandem A. 1570 pacem æquis conditionibus impetraſſe, nos docet. De pace Gandenſi, inter Belgium & Regem Hiſpaniæ concluſa, diſputat. Res novas, a *Joanne ab Auſtria* Belgii præfecto excitatas, lectoribus ponit ante oculos. *Matthiam*, Cæſaris *Rudolphi II* fratrem, ejus locum in Belgio occupaſſe, obſervat. Gedanum, Regi Poloniæ jusjurandum fidelitatis præſtare renuens, bello ab eodem petitum eſt. Cum cives Aquisgranenſes Conſules duos, Proteſtantium ſacris addictos, eligerent, quos Cæſar confirmare recuſabat; maximis ea res cruentisque motibus anſam præbuit, ægre tandem ab Imperatore compoſitis. Proteſtantes novum Calendarium, a Pontifice *Gregorio XIII* publicatum, recipere detrectaſſe, Rev. Autor narrat. Factum ideo eſſe, ut *Julianos* faſtos in judicio Cameræ Imperialis retineri juſſerit Cæſar, commemorat, perperam tamen ſtatuit, Proteſtantes in Germania eadem adhuc ratio-

Pag. 157. 162. 167. 170. 172. 173. 178. 182. 184. 185. 206.

Pag. 208. ratione tempora computare. Scire enim debebat, nos plane non antiquo illo & vitioſo, ſed potius emendato, publica autoritate introducto, & *Gregoriano* longe meliore, uti Calendario. Coloniæ Agrippinæ quamplurimos fuiſſe Lutheranos, eosque liberum religionis ſuæ exercitium fruſtra ſibi expe-
209. tiiſſe, narrat. Res *Gebhardi*, Archiepiſcopi Colonienſis, qui, ubi ad Proteſtantium caſtra tranſierat, matrimonium cum *Agnete Mansfeldica* meditabatur, ample & eleganter Rev. Au-
210. tor deſcribit. *Erneſtum*, Principem Bavariæ, in ejus locum
224. Archiepiſcopum Colonienſem conſtitutum eſſe, narrat. Mortuo *Georgio Erneſto*, Principe Hennebergico, familiam illam prorſus exſtinctam eſſe, notat, & Principes, ad quos terræ Hennebergicæ hæreditario jure tunc devolutæ ſunt, nominat.
228. Calendarium *Gregorianum* A. 1584 Auguſtæ Vindelicorum receptum eſſe, docet, ea tamen lege addita, ut cives, ſe non juſſu Papæ, qui illud publicaverat, ſed juſſu Cæſaris, rece-
234. piſſe, profiterentur. Multos tunc per Germaniam Epiſcopos,
235. relictis ſedibus ſuis, matrimonium iniiſſe, narrat. De morte *Auguſti*, Electoris Saxoniæ, diſputat, prudentiam œconomicam ejus Principis valde prædicans. Proteſtantes, in Gallia ab *Henrico III* contra fidem datam vehementer preſſos, ſeditionem adverſus eum concitaſſe, eosque a Regina Angliæ, *Eliſabetha*, variisque Germaniæ Principibus, adjutos eſſe, comme-
237. morat. Poſt mortem *Batorii*, Regis Poloniæ, circa electionem ſucceſſoris ejus graves, ut fieri ſolet, exſtiterunt turbæ. Principem Sueciæ, *Sigiſmundum*, & Archiducem, *Maximilianum*, a diverſis partibus Reges eſſe electos, Rev. Autor obſer-
249. vat. Bellum, inter hos coronæ Polonicæ æmulos geſtum, de-
253. ſcribit, *Maximilianum* ibi captum fuiſſe, docens. De Crypto-Calviniſmo, qui ſub imperio Electoris *Chriſtiani* Saxoniam
267. afflixit, nonnulla affert. Mortuo Comite de *Manderſcheit*, Epiſcopo Argentoratenſi, Canonici, Pontificiorum ſacris initiati, *Carolum*, Ducem Lotharingiæ, Proteſtantes autem *Joannem Georgium* Brandenburgenſem, in ejus locum elegerunt. Graves inde Argentorati exſtiterunt motus, quos Rev. Autor ample deſcribit. Hiſtoriam belli, cum Turcis geſti, itidem

perſe-

Digitized by Google

perſequitur. De ſeditione ruſticorum Auſtriæ, adverſus Imperatorem *Rudolphum* excitata, diſputat. *Sigiſmundus Batorius*, domui Auſtriacæ Tranſilvaniam & Walachiam ceſſerat, ea lege, ut ſibi principatus Ratiporiæ & Oppoliæ, in Sileſia ſitus, in compenſationem daretur. Cum vero poſtea eum pacti iſtius pœniteret, bellum ideo eum inter & Imperatorem geſtum eſt. Juribus autem ſuis in Tranſilvaniam, in favorem patruelis, Cardinalis *Batorii*, *Sigiſmundus* renuntiavit, qui poſtea, ab Pag. 318.
exercitu imperiali in anguſtias redactus, ipſemet periit, quo facto voti ſui compos Imperator evaſit. Seditionem interim con- 320.
tra Imperatorem præfectus Walachiæ, ſpe obtinendi præfecturam Tranſilvaniæ deluſus, commovit, quæ poſt cruentum bellum tandem exſtincta eſt. *Joannes Georgius*, Electoris Brande- 331.
burgici filius, Epiſcopus Argentoratenſis per Proteſtantes Canonicos conſtitutus, accepta centum triginta millium aureorum ſumma, Præſulatum illum *Carolo* Lotharingico con- 343.
ceſſit. Miſerrimum Hungariæ ſub *Rudolpho* ſtatum, progreſſus armorum Turcicorum, & continuas ſeditiones, quæ inprimis ex oppreſſionibus Poteſtantium oriebantur, Rev. Autor ample deſcribit. De diſſidiis, inter civitatem Donawer- 351.
tham, & Abbatem S. Crucis, propter ſtationes ſolennes inter Pontificios uſitatas, motis, diſputat, Donawertham, quæ inde 360.
ab anno 1420 libera fuerat, dominio Ducum Bavariæ hac occaſione iterum fuiſſe ſubjectam, narrans. Societatem, com- 361.
merciorum in Indiam exercendorum cauſa inſtitutam, A. 362.
1603 in Belgio coire cœpiſſe, docet. Quomodo Belgium fœderatum, induciis cum Hiſpanorum Rege initis, plenam libertatem obtinuerit, exponit. Imperatorem de dominio ſupre- 365.
mo in eam Rempublicam Imperio aſſerendo fruſtra cogitaſſe, monet. *Matthiam*, Imperatoris fratrem, dominium in nonnullas provincias, ad Imperatorem pertinentes, affectaſſe, nos docet. Pri- 370.
vilegia, quæ Proteſtantibus, in Bohemia conſtitutis, Imperator indulſit, affert. Eundem regnum Hungariæ, una cum Auſtriæ 374.
ducatu, *Matthiæ* fratri ceſſiſſe, commemorat. Clementiam 375.
Matthiæ erga Proteſtantes non diſſimulat. Bellum civile, in- 379.
ter Pontificios atque Proteſtantes in Bohemia excitatum, de-

Digitized by Google

Pag. 381. ſcribit. Lites, de ſucceſſione in Ducatu Clivico poſt mortem
Ducis *Joannis Wilhelmi* inter varios Principes agitatas eſſe,
384. commemorat. Cum domus Auſtriaca, in fraudem quorun-
dam Principum proteſtantium, Cliviam ad ſe rapere molire-
tur, illi tandem, Conſilii aulici & Cameræ imperialis
injuſtitia commoti, fœdus, ſub *nomine Unionis Evangelicæ*,
pepigerunt, & Electorem Palatinum ducem & caput ejuſ-
dem conſtituerunt. Pontificii, ſub Ducis Bavarici auſpiciis,
390. *ligam catholicam* eidem oppoſuerunt. Proteſtantes poſtea
fœderatos ſocietatem cum *Henrico IV*, Galliæ Rege, iniiſſe,
391. Rev. Autor narrat. Eundem vero Principem, ad auxilium
Proteſtantibus ferendum properantem, occiſum eſſe, nos do-
392. cet. Turbas, a *Leopoldo* Auſtriaco in Bohemia excitatas, de-
ſcribit, quæ tandem, *Matthia*, Rege Hungariæ, interveniente,
& poſtquam exercitus *Leopoldi* ſtipendia debita a Bohemis ac-
400. ceperat, ſedatæ ſunt. Regnum Bohemiæ vivo adhuc Imperatore
401. *Matthiam* occupaſſe, Rev. Autor ample exponit. Proteſtan-
tes, in Bohemia conſtitutos, plenam tunc libertatem religionis
404. obtinuiſſe, & templa ædificaſſe, narrat. De morte *Rudolphi*
poſtea diſputat, Principem illum ſatis quidem eruditum, im-
perio tamen adminiſtrando neutiquam parem, fuiſſe, aſſeve-
408. rans. Quid poſt mortem Imperatoris in Imperio acciderit, docet,
411. de electione etiam Imperatoris *Matthiæ* eleganter diſſerit, eo
tempore cautum eſſe, ut etiam invito Imperatore Rex Romano-
414. rum poſſit eligi, obſervans. Ad Imperatorem, coronatione per-
acta, Pragæ ſedentem, legati a Rege Perſarum, nec non a Mo-
ſchis, miſſi ſunt, quorum ille, inducias cum Turcis initas
rumpi, deſiderabat, alter vero, Ducem Moſchis ab Imperatore
420. conſtitui, petebat. Turbas, circa ſucceſſionem in Ducatu Juliæ
& Cliviæ tunc temporis agitatas, Rev. Autor admodum fuſe
432. & eleganter deſcribit. Diſſidia, inter ſenatum & cives Fran-
441. cofurtanos exorta, delineat. Bellum contra Turcos propter
Tranſilvaniam iterum exardeſcere videbatur, cum, occiſo ejus
regionis præfecto, *Batorio*, *Betleemem Gaborium* in ejus lo-
cum ſurrogaret Imperator. Cum autem porta Ottomannica in-
teſtinis quateretur motibus, pacem æquis conditionibus cum
Impe-

Digitized by Google

Imperatore iniit, cujus contenta Rev. Autor cum lectoribus Pag. 445.
communicat, inque illis ne verbum quidem de Tranſilvania
dictum eſſe, obſervat. Lites, inter *Fridericum Ulricum*,
Brunſuicenſem, agitatas, Landgravii Haſſiaci arbitrio compo-
ſitas fuiſſe, docet. Ejusdem Landgravii curam in ſacris 448.
Lutheranorum ordinandis prædicat. Varia hac occaſione de
autoritate Conſiſtoriorum & Superintendentium apud Prote-
ſtantes, *Zieglerum*, quem etiam citat, ſecutus, affert, bonæ
frugis plena, & lectu non injucunda. *Ferdinandum Auſtria-* 449.
cum vivo adhuc Imperatore ſucceſſorem Regni Bohemici eſſe
conſtitutum, nomenque & dignitatem Regis illico uſurpaſſe,
docet. Proteſtantes eo tempore ſocietatem illam, quæ 453.
Unionis Evangelicæ titulo inſignitur, Heilbrunnæ de novo in-
iiſſe, memorat. Imperatorem fruſtra ſe huic fœderi oppo-
ſuiſſe, tradit, imo, Proteſtantes recte & jure in eo egiſſe, non ne-
gat, cum *Ferdinandus*, Bohemiæ Rex, ad quem omnes Impera-
toris terræ una cum Imperio perventuræ erant, ultimum Pro-
teſtantibus minitari videretur exitium. Quomodo ille ipſe 455.
Princeps Proteſtantes per Bohemiam afflixerit, revocatisque
eorum privilegiis, templa Lutherana everterit, nos docet. Pro- 456.
teſtantes, jura ſua defenſuri, ſocietatem ideo ſub auſpiciis Co-
mitis *de Tour* inierunt, utque privilegia ſua conſervarentur,
anxie poſtularunt. Cum autem nullum petitis eorum relinque- 457.
rent locum Imperatoris miniſtri, res eo devenit, ut eosdem de
feneſtra arcis Pragenſis dejicerent Proteſtantium deputati. Ex 458.
ipſis poſtea Pontificiis quamplurimi *Ferdinando*, cujus crude-
litatem metuebant, fidem denegarunt, indeque graviſſima illa
exſtitit ſeditio, quæ bello tricennali anſam præbuit, & quam
Rev. Autor ample deſcribit. Cardinalem *Kleſelium*, Epiſcopum 459.
Vindobonenſem, intimum Imperatoris Conſiliarium, propter
violenta, quæ ſuppeditabat Imperatori adverſus Bohemos, con-
ſilia, præcipuam iſtius calamitatis cauſam dici debere, non negat.
Imperatorem poſtea Bohemos, bonis conditionibus propoſitis,
ad obſequium revocare fruſtra tentaſſe, commemorat. Prote- 460.
ſtantes, Sileſiam inhabitantes, & a curia Vindobonenſi itidem
vehementer preſſos, Bohemis ſe ſociaſſe, narrat. Mortuo ſine 461.

 libe-

Digitized by Google

liberis *Matthia*, *Ferdinandus II*, ejusdem ſucceſſor, jusjuran-
dum fidelitatis ab Auſtriæ incolis, qui clandeſtinum fœdus
Pag. 468. cum Bohemis inierant, fruſtra exegiſſe, nos docet. Seditio
Proteſtantium per Bohemiam, Sileſiam, Moraviam, Luſatiam,
quin & Auſtriam ſuperiorem, nequicquam oblatis a *Ferdinan-
do* pacis conditionibus, in dies crevit, ipſaque Vindobona a
472. rebellibus obſidione, quamvis irrito conatu, cincta eſt. Quid
intuitu electionis Imperialis fuerit actum, & quomodo tan-
dem *Ferdinandus II* Imperatoriam dignitatem conſecutus
478. fuerit, eleganter Rev. Autor exponit. Bohemos ejus electio-
479. nem pro irrita declaraſſe, nos docet. *Fridericus V*, Elector
Palatinus, Rex poſtea Bohemiæ conſtitutus, a republica Ve-
netorum, nec non præfecto Tranſilvaniæ, pro legitimo Rege
481. agnitus eſt. Idem Tranſilvaniæ præfectus rebellibus Bohemis
482. ſemet ſociavit, multasque Hungariæ urbes ſubjugavit. Electo-
rem Saxoniæ a partibus Imperatoris ſtetiſſe, Rev. Autor monet.
487. Eundem *Friderico* ſuaſiſſe, ut coronam Bohemicam ſua ſpon-
489. te deponeret, commemorat. Cum autem nulla ratione a
cœptis ſuis avocari poſſet Palatinus, armis Luſatiam petiiſſe
Electorem Saxoniæ, multasque ibi urbes occupaſſe, nos do-
496. cet. Prælium decretorium, inter Imperatoris & *Friderici* copias
502. commiſſum, nec non fugam iſtius Principis, ejusque proſcri-
507. ptionem ex imperio, deſcribit. Reges Daniæ & Angliæ de
pace inter Cæſarem & Electorem illum concludenda irrito
508. conatu cogitaſſe, commemorat. Præcipuos per Bohemiam
515. rebelles ultimi ſupplicii pœnam ſubiiſſe, narrat. Pacem cum
præfecto Tranſilvaniæ, *Gaborio*, qui Regis Hugariæ nomen ad-
518. optaverat, a Cæſare initam, deſcribit. Belli, contra *Frideri-
cum* Palatinum, ejusque ſocios, geſti, hiſtoriam fuſe perſequi-
tur. Expugnato *Mannhemio*, Bibliotheca Electoris Palatini
528. Duci Bavariæ dono data eſt, qui maximam ejus partem Bi-
bliothecæ Vaticanæ poſtea inſeruit. Lutherani, in Bohemia
conſtituti, fruſtra intercedente Electore Saxoniæ, e regno illo
534. proſcripti, eorumque templa clauſa ſunt. Dignitas Electo-
ralis, *Friderico* Palatino in comitiis Ratisbonenſibus ademta,
Bavaricæ domui collata eſt, cum, ut illa dignitas apud *Fride-*

ricum

Digitized by Google

ricum remaneret, fruſtra petiiſſent Proteſtantes Imperii Ordines. Electori Saxoniæ, qui perſecutiones, Proteſtantibus in Pag. 544.
Bohemiâ immiſſas, admodum ægre ferebat, & immenſas præterea opes, Imperatori auxilium præbens, erogaverat, Luſatia A. 1623 tam diu conceſſa eſt, usque dum expenſæ bellicæ ipſi reſtituerentur. Interea Reges Angliæ atque Daniæ, inita cum 547.
Ducibus Saxoniæ inferioris, quos Dux Cæſaris, *Tillius*, tanquam hoſtes adortus erat, ſocietate, armis Cæſarem petierunt, utque *Fridericus* Palatinus in priſtinum ſtatum reſtitueretur, annifi ſunt. Elector Saxoniæ diſſidia, eos inter & Cæſarem 553.
exorta, componere fruſtra tentavit. Cum poſtea Dani ab exer- 556.
citu Imperatoris ad internecionem usque funderentur, ſocietas illa mox diſſoluta eſt, plurimique Principes Saxoniæ inferioris in gratiam Imperatoris redierunt. Tam proſpera autem 570.
fortuna elatus Imperator, de Proteſtantibus nunc plane delendis, deque imperio nullis limitibus circumſcripto ſibi familiæque ſuæ hereditario jure aſſerendo, ſerio cogitavit. Pontificii, 572.
Imperatoris autoritate excitati, reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, quæ Proteſtantes poſt transactionis Paſſavienſis tempora acquiſiverant, poſtularunt. A Rege Daniæ, in angu- 574.
ſtias redacto, pacis conditiones, domui Auſtriacæ admodum ſalutares, Imperator extorſit. Mortuo *Vincentio II*, Duce Man- 578.
tuæ & Montis feracis, proximus ejusdem agnatus, *Carolus de Gonzaga*, hereditario jure ejusdem terras ſibi vindicavit quidem, ab Hiſpanis tamen, & Duce Sabaudiæ, Ducatu Montis feracis mox ſpoliatus eſt. Gravibus ea res turbis occaſionem 582.
dedit, quarum hiſtoriam Rev. Autor perſequitur. De edicto reſtitutorio, A. 1629 ab Imperatore publicato, egregie idem diſputat. Injuriis, a *Wallenſteinio*, Imperatorii exercitus duce, ordinibus 587.
quibusdam Imperii illatis, animos Germanorum adverſus *Ferdinandum* in dies magis irritatos eſſe, monet. Nonnullos Statuum proteſtantium, ſigillatim Ducem Wirtembergenſem, edicto reſtitutorio paruiſſe, obſervat. Electorem Saxoniæ autem, cu- 588.
jus filius, *Auguſtus*, Archiepiſcopatum Magdeburgenſem tenebat, ſe huic edicto omnibus modis oppoſuiſſe, commemorat. De fœdere, cum *Guſtavo Adolpho*, Rege Sueciæ, a Prote- 589.

Digitized by Google

ſtantibus inito, Rev. Autor egregie diſſerit. Acta comitiorum Ratisbonenſium, A. 1630 habitorum, notatu digniſſima,
Pag. 592. accurate itidem deſcribit. Cauſas, quæ Regem Sueciæ ad bel-
597. lum contra Imperatorem movendum impulerunt, recenſet. Res geſtas præſtantiſſimi iſtius herois, cujus fortitudinem valde
600. prædicat, deſcribit. De nuptiis *Ferdinandi*, Imperatoris filii, cum *Maria Anna*, Regis Hiſpaniæ *Philippi IV* ſorore, celebra-
602. tis, diſputat. Leges fœderis, inter Regem Sueciæ, & *Ludovi-*
603. *cum XIII*, Galliæ Regem, ſanciti, affert. Quid in conventu Principum proteſtantium, Lipſiæ A. 1631 inſtituto, actum fue-
604. rit, nos docet. Mortem Regis Sueciæ ample deſcribit. *Fri-*
630. *dericum* Palatinum, accepto de interitu ſummi iſtius Regis nuncio, mortuum ex ægritudine animi, eapropter concepta,
632. eſſe, cum jam antea febri laboraret, notat. De ſeditione, quam *Wallenſteinius* adverſus Imperatorem tentavit, diſputat.
655. Cœpta ejus a quodam, *Piccolomini* dicto, prodita eſſe, commemorat, &, quomodo per cædem *Wallenſteinii*, Egræ pera-
656. ctam, iſta ſeditio fuerit exſtincta, nos docet. Interitum iſtius Ducis maximis motibus per Sileſiam occaſionem dediſſe, ob-
657. ſervat. Cum Elector Trevirenſis, *Philippus Chriſtophorus*, Regis Galliæ ſocius, ab exercitu Cæſareo captus eſſet, ea res adeo male habuit *Ludovicum XIII*, ut, armis domum Auſtriacam petere, ſecum conſtitueret, cum adhuc opibus duntaxat adjuviſſet domus iſtius adverſarios. Societatem ideo, cum circulis, Suevico, Franconico, nec non Rhenano, Wor-
663. matiæ initam, Rev. Autor deſcribit. Cum Elector Saxoniæ directionem ſupremam unionis Evangelicæ non poſſet obtinere, adeo indigne eam rem tulit, ut de conditionibus pacis cum Imperatore A. 1634 conveniret, quæ a loco, ubi conſummatæ ſunt, *Pacis Pragenſis* nomine inſigniuntur. Beneficia eccleſiaſtica, ſub territoriis ordinum Imperii ſita, in perpetuum, immediata autem per quadraginta annorum ſpatium, Prote-
674. ſtantibus relicta ſunt. Varios per Germaniam Principes huic
675. paci acceſſiſſe, Rev. Autor docet. Quo ſucceſſu Galli contra Imperatorem dimicarint, narrat, Ducem Saxo-Vinarien-
681. ſem ſocietatem cum illis iniiſſe, commemorans. Sueci, injuriam,

juriam, a Saxonibus per pacem Pragenſem ipſis illatam, ulturi, arma adverſus eos converterunt. *Ferdinandus*, Imperatoris filius, A. 1636 Ratisbonæ Rex Romanorum electus eſt. De morte Imperatoris *Ferdinandi II*, A. 1637 inſecuta, Rev. Autor diſputat, juſtitiam, & animi magnitudinem, vehementer in iſto Principe deſideratam fuiſſe, veriſſime judicans. Lites, inter Sueciam & Electorem Brandenburgicum de ſucceſſione in Ducatu Pomeraniæ poſt mortem Ducis *Bogislai XIV* exortas, deſcribit. *Carolum Ludovicum*, Principem Palatinum, ad ſucceſſionem mortui Ducis Vinarienſis adſpirantem, Pariſiis carceri eſſe incluſum, at interceſſione Reginæ Suecorum, *Chriſtinæ*, ægre tandem liberatum, nos docet. A. 1640 Portugalliam, excuſſo Hiſpanorum dominio, peculiare regnum conſtituere cœpiſſe, obſervat. Hamburgi eodem anno inter Sueciæ, Franciæ, & Imperatoris miniſtros, de conditionibus, in limine pacis concludendæ, obſervandis, actum eſſe, monet, ſimulque, Monaſterium & Osnabrugam pacis conſummandæ negotio deſtinatas eſſe, narrat. Cum autem varia ibi concluſa eſſent, quæ Imperatori neutiquam placebant, acta ejusdem conventus approbare, is recuſavit. De morte *Bannerii*, exercitus Suecorum ſupremi Ducis, diſputat, notabiliora ejusdem fata recenſens. A 1643 deliberationes de pace univerſali concludenda Monaſterii & Osnabrugæ cœptas eſſe, nos docet. Mortem *Ludovici XIII*, Galliarum Regis, deſcribit. Suecos contra Regem Daniæ, naves Suecicas, commerciorum cauſa inſtructas, occupantem, arma corripuiſſe, & Holſatiam invaſiſſe, narrat. Imperatorem Regi Daniæ ſuppetias tuliſſe, monet. Principes Germaniæ, & urbes Imperii liberas, fruſtra ſibi in comitiis Francofurtanis expetiiſſe, ut deputatos ad deliberationes de pace inſtituendas mitterent, eorumque poſtulatis ſe Electores potiſſimum oppoſuiſſe, obſervat. Quomodo pax inter Suecos & Danos fuerit reſtituta, nos docet. Fœdus, inter Franciæ & Daniæ Reges initum, & Cæſari vehementer ingratum, deſcribit. Turbas, a *Ragotzkio*, Tranſilvaniæ præfecto, contra Imperatorem motas, a Gallis & Suecis, opes iſti rebelli ſubminiſtrantibus, inſigniter auctas eſſe, commemo-

Pag. 684. 690. 694. 695. 727. 731. 733. 735. 740. 762. 765. 766. 769. 771. 772.

Digitized by Google

Pag 774. memorat. Quibus conditionibus Elector Trevirenſis, per
integrum decennium captivus, libertatem recuperaverit, nos
787. docet. Inducias ſex menſium inter Electorem Saxoniæ, qui
terras ſuas, belli flammis fere abſumtas, ex ultimi exitii
faucibus eripere ſtudebat, & Regem Sueciæ, A. 1645 initas
788. eſſe, narrat. Locum *Ketzſchenbrodo* in Miſnia, ubi de iſtis
induciis conveniſſe dicit, nobis ignotum eſſe, profitemur, &
in genere monemus, nomina urbium per Germaniam nimis corrupte a Rev. Autore afferri. Imperatorem iſtas inducias inique tuliſſe, monet. De pace, quam iſte Prin-
789. ceps cum *Ragotzkio* iniit, diſputat. Acta conventus Monaſte-
790. rienſis perſequitur, & conſilia ſingulorum Principum, qui deputatos eo miſerant, pro juribus ſuis defendendis agitata, detegit. Varia privilegia Proteſtantibus, in Hungaria conſtitutis,
808. Imperatorem reddidiſſe, narrat. Pacem, quam Elector Bavarus
809. cum Gallis, Imperatore admodum invito, iniit, deſcribit. Cum Suecorum armis omnia proſpere cederent, neque pacis conditiones ab illis poſſent impetrari, eundem Electorem paulo
812. poſt partes Imperatoris iterum eſſe amplexum, nos docet. Calamitates, quæ ideo Bavariæ a Gallis & Suecis immiſſæ ſunt, ex-
821. ponit. Articulos pacis Monaſterienſis, inter Imperatorem &
829. Gallos concluſæ, integros exhibet. Oſnabrugenſis vero pacis
837. contenta cum lectoribus communicat. Quomodo curia Romana ſeſe huic paci irrito conatu oppoſuerit, nos docet.
839. Jura Sereniſſimæ domus Saxonicæ in Ducatum Juliacenſem
845. demonſtrat. Comitem Palatinum Neuburgenſem Ducatum illum una cum Bergenſi, & dynaſtia Ravenſtein, obtinuiſſe, domui Brandenburgicæ autem Ducatum Cliviæ, cum Comi-
848. tatu Marcæ, & Ravensbergi, ceſſiſſe, commemorat. Palatinatum inferiorem Electori Palatino rurſus in feudum eſſe datum, narrat. Electionem Regis Romanorum *Ferdinandi*
852. *IV* deſcribit. Præcipua momenta Capitulationis, cum eo initæ, apponit. De Capitulatione quadam perpetua tunc tem-
857. poris fruſtra cogitatum eſſe, obſervat. Privilegia urbis Bremenſis, fruſtra intercedente Sueciæ Rege, cui ea urbs per pa-
860. cem Weſtphalicam ceſſerat, conſervata eſſe, monet. Officium *Archi-*

Digitized by Google

Architheſaurarii Electori Palatino in comitiis Ratisbonenſibus datum eſſe, commemorat. De morte Regis Romanorum, *Ferdinandi IV*, anno ætatis vigeſimo exſtincti, diſputat. Pag. 861.
Bellum, a Rege Sueciæ, *Carolo Guſtavo*, adverſus *Caſimirum*, 862.
Poloniæ Regem, qui, Sueciam ad ſe pertinere, contendebat, geſtum, ample deſcribit. De teſtamento *Joannis Georgii I*, 863.
Electoris Saxoniæ, nonnulla affert. Lepidum hac occaſione errorem commiſit Rev. Autor, quando *Langenſaltzam*, pro urbibus ſeparatis, quarum una *Langen*, altera *Saltza*, dicatur, habet. Ultima *Ferdinandi III* fata, ſtatum Germaniæ 872.
ſub ejus imperio, nec non ejusdem Principis mores & familiam, lectoribus ante oculos ponit. De *Bernhardo van Galen*, Archiepiſcopo Monaſterienſi, varia differit notatu digna, lites, quas cum civibus ejus loci exercuit, deſcribens. 873.
Acta electionis novi Imperatoris ample recenſet, &, varios dignitatis Imperialis candidatos tunc exſtitiſſe, Electores etiam 879. 881.
Leopoldum, Hungariæ Regem, ægre imperio admoviſſe, ne iſta dignitas hæreditario jure ad domum Auſtriacam pertinere videretur, monet. *Leopoldum* interim Francofurti præſentem exſtitiſſe, narrat, quem imperio adminiſtrando neutiquam parem fuiſſe, contendit. Diſſidia propter Vicariatus Imperii 888.
adminiſtrationem inter domum Palatinam atque Bavaricam agitata eſſe graviſſima, narrat, Bavarum illam dignitatem in fraudem Palatini tunc obtinuiſſe, tradens. De Capitulatione, cum novo Imperatore *Leopoldo* inita, differit. Statum Germaniæ, Tom. X
qualis ſub initium imperii *Leopoldi* fuit, depingit. Turcos, pag. 2.
fuſo fugatoque *Ragotzkii* exercitu, Tranſilvaniam ſibi ſubjeciſſe, commemorat. De conditionibus pacis Pyrenææ, inter 3.
Reges Gallorum & Hiſpanorum concluſæ, nonnulla affert. Res geſtas *Ragotzkii* contra Turcos, ejusdemque Ducis interitum, deſcribit. Copiæ, quas Imperator, Turcorum invaſiones 6. 9.
cohibiturus, in Hungariam mittebat, maximam apud Hungaros excitarunt ſuſpicionem, ac ſi privilegiis eorum inſidias ſtrueret *Leopoldus*. Graviſſimos inde motus in Hungaria exſtitiſſe, Rev. Autor narrat. Belli Turcici, A. 1662 cœpti, hiſtoriam texit. Inducias, cum hiſce barbaris A. 1664 initas, no- 15. 19.

Kk vam

vam indignationis materiam adverſus Imperatorem Hungaris
Pag. 26. præbuiſſe, monet. De bello, quod *Bernhardus van Galen*, Epiſcopus Monaſterienſis, ob leviſſimas & inanes cauſas Bel-
29. gis intulit, diſputat. Jura Regis Galliæ, quæ ipſi poſt mortem *Philippi IV*, Hiſpanorum moderatoris in terras Belgicas com-
33. petere videbantur, demonſtrare annititur. Bellum, inter Electores, Moguntinum & Palatinum, propter *jus Wildfangiatus*, geſtum, deſcribit, de illo ipſo jure accuratam ſuppedi-
36. tans notitiam. Conditiones pacis Aquisgranenſis, A. 1668
40. concluſæ, apponit. De rebellione, a quibusdam Hungaricis Comitibus contra Imperatorem tentata, nec non de fœdere,
43. quod illi cum Turcis inire tentarunt, diſputat. Motus ipſos, ab iſtis rebellibus excitatos, deſcribit, &, præcipuos tandem iſtorum hominum duces ultimi ſupplicii pœnam ſubiiſſe,
61. commemorat. De bello, adverſus Belgas A. 1672 a Gallis moto, omnia ſcitu neceſſaria Rev. Autor ediſſerit, Belgas Principem Arauſionenſem *Wilhelmum III*, in communi patriæ ſuæ calamitate, ſupremum belli ducem conſtituiſſe, nar-
66. rans. Imperator, abolito Palatini Hungarici officio, vicarium regium per Hungariam conſtituit, cum potentia Palatinorum
70. ipſi nimia videretur. Regem Sueciæ, *Carolum XI*, cum Gallis fœdere conjunctum, Electori Brandenburgico bellum ideo intuliſſe, ut eum a ſocietate Imperatoris abſtraheret, Rev.
105. Autor narrat. Ordines Hollandiæ pariter, ac Regem Daniæ,
110. Sueciam armata manu invaſiſſe, commemorat. Diſſidia, inter Regem Daniæ & Duces Holſatos agitata, fuſe ediſſerit.
112. Interitum ducis *Turennii* deſcribit. *Carolum*, Lotharingiæ
121. Ducem, & exercitus Imperatorii ſupremum præfectum, circa item tempus debitum naturæ ſolviſſe, commemorat, & de
126. moribus iſtius Principis judicium ſubnectit. *Caroli V* itidem, Lotharingici Ducis, qui *Montecucullii* ſucceſſor in Imperio exercitus Imperatorii fuit, imaginem, Lectoribus ponit ante oculos, eumque præſtantiſſimis ducibus, quos unquam domus
133. Auſtriaca habuit, accenſendum eſſe, judicat. Rebelles per Hungariam tunc temporis maximos excita eſſe motus, de imperio domus Auſtriacæ penitus excutiendo cogitaſſe, & a Turcis

opibus

Digitized by Google

opibus adjutos eſſe, narrat. De natalibus & familia famoſi iſtius *Teckelii* ample diſputat, ejusque res adverſus Imperatorem geſtas, exponit. De pace Nimwegenſi, A. 1679 concluſa, notitiam ſuggerit. Pacem, cum Electore Brandenburgico a Suecis initam, deſcribit, &, quibus conditionibus Daniæ & Sueciæ Reges in concordiam redierint, nos docet. De conſilio, quod *Ludovicus XIV* Briſaci & Metis ideo inſtituit, ut, quid ad Alſatiam pertineret, conſtitueret, diſputat. Cum per pacem Nimwegenſem omnis Alſatia Gallis conceſſa eſſet, *Ludovicus XIV*, ideo Argentoratum ad ſe pertinere ratus, illam ipſam urbem A. 1681 in ſuam poteſtatem redegit. Cumque etiam Caſalium, Montis feracis metropolin, ſibi brevi poſt ſubjiceret iſte Princeps; Imperator fœdus cum plurimis Germaniæ ordinibus iniit. Bellum etiam Gallis inferendum idem meditabatur, cui tamen propoſito Elector Brandenburgicus ſe oppoſuit. Turbæ rebellium per Hungariam, nec non bellum a Turcis motum, ad inducias 30 annorum cum Gallis ineundas Imperatorem poſtea impulerunt. Hiſtoriam belli iſtius Turcici fuſe perſequitur Rev. Autor. Conditiones induciarum, cum Rege Galliæ & ordinibus Imperii initarum, deſcribit. De morte *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, cum quo ſtirps Simmerenſis defecit, diſputat. Sine liberis iſte Princeps mortuus erat; cumque ejusdem ſoror Duci Aurelianenſi nupta eſſet, parens ejus eandem hæredem ſubſtitutam bonorum allodialium, in eum eventum, ſi orbus decederet *Carolus Ludovicus*, ſcripſerat. Exinde, jus ſibi in bona illa competere, Gallorum Rex contendens, omnibus modis illud urgere non deſtitit. Ducem Neuburgenſem interea, terras, omniaque bona defuncti Electoris, ſibi vindicaſſe, commemorat Rev. Autor, eundemque Principem in comitiis Ratisbonenſibus, A. 1685 celebratis, inveſtitum eſſe, nos docet. Feliciſſimum armorum Imperatoris adverſus Turcos progreſſum deſcribit, *Teckelium* ab ipſis barbaris carceri eſſe incluſum, plurimosque tunc rebelles imperium Imperatoris iterum agnoviſſe, tradens. Quia bellum a Gallis ad ſucceſſionem defuncti Electoris Palatini adſpirantibus,

Pag. 151. 153. 160. 166. 169. 174. 177. 178. 179. 202. 210. 210. 212. 217.

metuebatur, Imperator ideo cum Electore Brandenburgico
Pag. 228. fœdus A. 1686 iniit. Diſſidia, quæ inter ordines Regni Hungarici, atque *Leopoldum*, ob quæſtionem: an hæreditario jure regnum illud Auſtria teneat, fuerunt agitata, Rev. Autor
237. deſcribit. Fœminas A. 1722 demum ſucceſſionis capaces de-
238. claratas fuiſſe, monet. Cum Princeps Bavarus, invito & in diverſa tendente Gallorum Rege, Archiepiſcopus Colonienſis eligeretur, *Wilhelmus* Arauſionenſis Angliæ ſolium conſcenderet, & ſucceſſio Palatina inſuper a Gallis peteretur, eæ res bello, A. 1688 inter Galliam & Imperium exorto, dederunt
246. occaſionem. De electione *Clementis* Bavari, Archiepiſcopi Colonienſis, hac occaſione Rev. Autor diſputat, & differentiam inter electionem & poſtulationem Epiſcoporum expo-
247. nit. De morte *Friderici Wilhelmi*, Electoris Brandenburgici, nonnulla affert, cujus filium & ſucceſſorem *Fridericum Wil-*
251. *helmum* itidem dictum eſſe, perperam ſtatuit. *Jacobi II*, Angliæ Regis, fugam deſcribit. Mortuo *Julio Franciſco*, ultimo Lauenburgenſi Duce, domus Saxonica ad ejus ſucceſſio-
255. nem adſpiravit. Diſſidia, cum aliis Principibus eapropter agitata, Rev. Autor deſcribit. De bello, cum Gallis geſto,
258. ample diſputat. De *Joſephi*, Regis Romanorum, electione,
274. quantum ſatis eſt, narrat. *Teckelium* ab Imperatore Turcico Tranſilvaniæ fuiſſe præfectum, narrat, resque ejus adverſus Imperatoris exercitum geſtas in ſcenam producit. De
281. morte *Joannis Georgii III*, Saxonum Electoris, diſputans, minus recte, & neſcimus quo fundamento, ſtatuit, ſucceſſorem ejus, *Joannem Georgium IV*, Duces Leucopetrenſem, Cizenſem, & Martisburgenſem, terris ſuis ſpoliaſſe, easque ſibi aſſeruiſſe. Conſtat enim inter omnes, iſtos Principes terras ſuas, ad noſtra usque tempora, quiete poſſediſſe, neque earum poſſeſſionem unquam a Sereniſſima domo Electorali turba-
290. tam eſſe. Cum Duces Brunſuicenſes Ratzeburgum munirent, ea res adeo male habuit Regem Daniæ, ut armis adver-
297. ſus Brunſuicenſes uteretur. Quomodo Dux Hanoveranus, *Erneſtus Auguſtus*, Electorali dignitate ab Imperatore fuerit orna-
298. tus, narrat, neque motus, inde exortos, diſſimulat. Ritum inve-

inveſtituræ novi Electoris deſcribit. Electorem Brandenburgicum tunc temporis Ducatus quosdam in Sileſia ſitos ſibi vindicare ſtuduiſſe, obſervat. Fundamentum hujus juris in eo poſitum eſſe, docet, quod *Fridericus*, Dux Lignitienſis, A. 1537 pactum confraternitatis cum *Joachimo II*, Electore Brandenburgico, iuierit. Domum vero Auſtriacam tunc reſpondiſſe, pactum illud, legibus quippe feudalibus contrarium, ab Imperatore *Ferdinando I* pro nullo declaratum eſſe, adeoque eos Ducatus, deficiente Ducis Lignitienſis ſtirpe, ad Bohemiam pertinere, refert. Jægerndorfii vero Ducatum itidem ad ſe pertinere, urſit domus Brandenburgica. *Georgius* enim, Marchio Brandenburgicus, A. 1524 Ducatum iſtum a Dynaſtis *de Scellenberg* emit, isque illi a *Ludovico*, Rege Bohemiæ, ſub fidelitatis lege conceſſus eſt. Poſtea *Georgius Fridericus*, *Georgii* filius, liberis quippe deſtitutus, eundem Ducatum domui Electorali Brandenburgicæ per tabulas teſtamenti transmiſit. Succeſſu temporis, Elector, *Joachimus Fridericus*, eundem terræ tractum Marchioni *Joanni Georgio*, filio ſuo, dedit. Et, quamvis ille, partes *Friderici* Palatini ſecutus, ab Imperatore *Ferdinando II* proſcriberetur, & Ducatus Jægerndorfienſis eidem propter feloniam adimeretur, eam tamen rem domui Brandenburgicæ fraudi eſſe non debere, tunc urgebatur. Contra autem dictitarunt Auſtriaci, Jægerndorfium, tanquam feudum ad Bohemiam pertinens, domui Electorali Brandenburgicæ per teſtamentum non potuiſſe addici. Controverſias interim, hac de re ortas, A. 1686 & A. 1691 inter utramque domum ſopitas eſſe, & Electores Brandenburgicos, juribus, quæ ipſis in Ducatus illos competere videbantur, renuntiaſſe, Rev. Autor narrat, quamvis hodiernus Pruſſiæ Rex, cum, pactis illis nullum robur ineſſe, cenſeret, armata manu Sileſiam occuparit. Ducem Sabaudiæ, Imperatoris ſocium, inſcio & invito *Leopoldo*, pacem cum Gallis iniiſſe, nos docet, ejusque conditiones apponit. Res geſtas *Friderici Auguſti*, Electoris Saxoniæ, contra Turcos deſcribit, &, quomodo is poſtea regnum Poloniæ obtinuerit, & adverſus *Contium*, qui ad eundem honoris

Pag. 299. 323. 334. 325.

Pag. 350, gradum adſpirabat, coronam ſuam defenderit, ample narrat.
Cum propter ſucceſſionem defuncti Ducis Meclenburgo-
Guſtrovienſis lites exiſterent; Cæſar easdem terras per præfe-
ctos, a ſe conſtitutos, adminiſtravit, easque poſtea Duci Swe-
360. rinenſi, fruſtra contradicente Strelicenſi, addixit. Contenta
365. pacis Riswicenſis Rev. Autor accurate proponit. Argento-
ratum tunc Gallis in perpetuum eſſe conceſſum, Ducemque
Neuburgenſem pro legitimo Electore Palatino a Gallis ea
lege fuiſſe agnitum, ut viduæ Ducis Aurelianenſis centum mil-
lia florenorum Rhenanorum annuatim ſolveret, obſervat. In
terris tamen, quas Galli Imperio reſtituebant, religionis Pon-
tificiæ exercitium remanſiſſe, nos docet. Propter hunc
ipſum pacis articulum maximos motus a Proteſtantibus fuiſ-
370. ſe excitatos, commemorat. Inducias, cum Turcis Carolo-
379. witzi initas, itidem deſcribit. Cum Livonia, Sueciæ regno
ſubjecta, potiori jure ad Poloniam pertinere videretur; cujus
383. juris fundamenta Rev. Autor fuſe demonſtrat, Rex Polo-
niæ, *Auguſtus II*, *Patkulii*, exulis Suecici conſiliis, potiſſi-
mum inſtigatus, armata manu illum Ducatum repetere, & cum
Polonia unire, conſtituit. Societatem ideo cum Rege Da-
niæ, qui Ducatum Sleswicenſem Duci Holſatiæ eripere ten-
tabat, nec non *Petro I*, Ruſſorum Principe, qui de terris
juxta ſinum Finnicum & mare Balthicum ſitis imperio ſuo
386. addicendis cogitabat, iniit. De concordia inter Daniæ Re-
gem, & Ducem Holſatum, inſtauranda, fruſtra dein cogita-
387. tum eſt. Conſilia, propter ſucceſſionem in regno Hiſpani-
co ordinandam, inter Europæ Principes agitata, Rev. Autor
388. proponit. Teſtamenta Regis *Caroli II* deſcribit. Quomo-
390. do poſt mortem ejus, *Philippus Andegavenſis*, Regis Galliæ
nepos, thronum Hiſpanicum occuparit, nos docet. Hiſto-
391. riam dein belli, adverſus Sueciam geſti, perſequitur. Ubi
Sueci, ipſomet *Carolo XII* duce, Zeelandiam invaſerant, Da-
niæ Rex, ad pacem cum Holſatis ineundam, & ad impen-
397. ſas belli ipſis reſtituendas, mox coactus eſt. Bellum, pro-
pter ſucceſſionem Hiſpanicam a Cæſare ejusque ſociis contra
Gallos geſtum, ita deſcribit, ut fortitudinem nationis ſuæ
plus

Digitized by Google

plus juſto nonnunquam extollere videatur. Comitem *Marſiglium*, Briſaci præfectum, citra juſtam cauſam ab Imperatore infamia notatum eſſe, contendit, ejusque calamitatem dolet. Pag. 432.
Carolum, Imperatoris filium natu ſecundum, A. 1701 Hiſpaniæ Regem declaratum eſſe, dubio procul per errorem typographicum hic dictum eſt, cum, illud A. 1703 demum eſſe factum, palam ſit. Turbas, a quibusdam ordinibus regni 441.
Hungarici, qui, ſe privilegiis ſuis a domo Auſtriaca privari, ægre ferebant, tunc temporis excitatas, accurate Rev. Autor deſcribit, ſocios Imperatoris de illis ad obſequium reducendis fruſtra ſollicitos fuiſſe, narrans. Mortem Imperatoris 443.
Leopoldi, ejusque familiam & mores, dextre & eleganter deſcribit. Cum nobilis quidam, in comitatu legati Imperatorii 460.
Romæ conſtitutus, carceri ibidem includeretur, graviſſimis ea res diſſidiis inter curiam Romanam & Imperatorem *Joſephum* occaſionem dedit. Mortuo ſine liberis *Maximiliano* 473.
Philippo, Electoris Bavariæ cognato, Principatum Mindelheimienſem ad ſe rapuit Imperator. Literas, quibus *Auguſtus* Rex, 475.
poſt pacem Ranuſtadienſem, *Staniſlao* diadema Polonicum gratulatus eſt, integras apponit Rev. Autor. De proſcriptio- 490.
ne Electorum Bavariæ & Coloniæ ample diſputat. Duca- 491.
tum Mediolanenſem, *Carolo* fratri in feudum dediſſe Imperatorem, narrat. Reſponſum Theologorum Helmſtadienſium, 508.
qui, *Caroli III* ſponſam, ad caſtra Pontificiorum ſalva conſcientia tranſire poſſe, pronuntiarunt, integrum cum lectoribus communicat. Quomodo Imperator minas Pontificis, non- 523.
nullos ducum Imperialium excommunicantis, ſpreverit, & curiam Romanam caſtigaverit, candide narrat. Ducem 537.
Hannoveranum poſt multas lites, ab ordinibus Imperii motas, tandem A. 1708 in Collegium Electorale introductum eſſe, nos docet. Quasnam mutationes *Joſephi* Imperatoris 545.
mors in Germania attulerit, narrat, de pace Ultrajectina potiſſimum verba faciens. De ingenio, rebus geſtis, & ſubſe- 597.
cuta calamitate, Ducis *de Marlborough* elegantiſſime diſputat. *Carolum VI* poſtero die, quo Francoſurtum ingreſſus erat, Capitulationem Imperialem jurejurando confirmaſſe, perpe-

ram

Pag. 618. ram tradit. More enim antiquitus recepto, illico poſt introi-
tum ſolennem hoc factum eſſe, certum eſt. Ipſa Capitula-
619. tionis *Carolinæ* contenta apponit. Nuptias *Petri I*, Ruſſo-
632. rum Principis, filii, cum Ducis Brunſuicenſis filia, Brunſuici
celebratas eſſe, minus recte narrat, cum, auguſtum illud ma-
trimonium Torgaviæ, in curia Reginæ Poloniarum, conclu-
ſum eſſe, notiſſimum ſit. De pace Raſtadienſi, inter Cæſa-
706. rem & Regem Galliæ concluſa, quantum ſatis eſt, affert.
Ducem Sabaudiæ neutiquam in ea pace fuiſſe comprehen-
ſum, monet, regnumque Siciliæ, ipſi per pacem Ultrajecti-
nam conceſſum, graviſſimis litibus, eum inter & Imperatorem,
731. anſam præbuiſſe, commemorat. Poſt pacem concluſam,
Principem *Eugenium*, a Rege Galliæ, ſub cujus quippe domi-
nio natus erat, veniam petiiſſe, quod ducem Imperatoris agens,
732. arma adverſus eum moverit, narrat. Per pacem Baden-
ſem Imperium Germanicum cum Gallis in concordiam re-
diit, cum Imperator antea pacem cum *Ludovico XIV* conclu-
733. ſiſſet, Proteſtantes Imperii ordines abolitionem Articuli
734. quarti pacis Riswicenſis fruſtra quæſiverunt. Pactum, inter
Cæſarem atque Belgas circa limites Belgii fœderati conſti-
741. tuendos initum, fuſe deſcribit Rev. Autor. Venetorum rei-
publicæ conſulturus Imperator, bellum contra Turcos A. 1716
743. movit. De expeditione itidem Hiſpanorum in Siciliam
752. accuratam ſuppeditat notitiam Rev. Autor. De nuptiis, inter
Jacobum III, ad diadema Britannicum adſpirantem, & Princi-
pem Ruſſiæ, *Annam*, *Petri I* filiam, contrahendis, aulam Hi-
756. ſpanicam tunc temporis fuiſſe ſollicitam, narrat. Interitum
Regis Sueciæ deſcribit, ſtatum regni Suecici, qualis poſt iſtius
757. Principis fata fuit, delineans. Quomodo, & quibus con-
ditionibus, potentiſſimus Rex noſter, una cum auguſtiſſi-
ma ejus Conjuge, *Maria Joſepha*, Vindobonæ juribus ſuis
762. in terras Auſtriacas renuntiaverit, narrat. Legem illam
fundamentalem, quæ hæreditatem *Caroli VI* ordinavit, & ſub
763. nomine *Sanctionis Pragmaticæ* nobilitatur, integram apponit.
Contenta pacis, inter Imperatorem & Regem Hiſpaniæ A. 1725
779. concluſæ, recenſet, inſignes eam pacem in Europa excitaſſe
motus,

motus, eique fœdus Hannoveranum oppoſitum fuiſſe, obſervans. Cum Ruſſorum Imperatrice circa idem tempus Imperator fœdus pepigit, deque exercitu, triginta millibus hominum conſtante, eidem in caſu neceſſitatis ſubminiſtrando, fidem dedit. De *Petri I*, Ruſſorum Imperatoris, moribus acutiſſime Rev. Autor judicat. Reliqua etiam notatu digniora, quæ usque ad mortem *Auguſti*, Regis Poloniæ, acciderunt, debita cum cura ediſſerit. Deſcriptionem rerum, a Rege illo geſtarum, de morte ejus diſputans, cum lectoribus communicat, Principem illum Sanctioni pragmaticæ conſtanter ſemet oppoſuiſſe, narrans. Turbas, quæ Poloniam, Rege ſuo privatam, eo tempore concuſſerunt, ampliſſime exponit, &, quomodo tandem corona iſtius regni potentiſſimo Regi noſtro, quem Deus quam diutiſſime conſervet, tanquam candidato digniſſimo, ceſſerit, monſtrat. Bellum, ideo ab Imperatore contra Gallos, Hiſpanos, & Regem Sardiniæ, geſtum, nec non pacem, poſtea inſecutam, fuſe deſcribit. De nuptiis, inter Imperatoris filiam natu majorem, & Ducem Lotharingiæ, celebratis, diſputat. Principem *Eugenium*, A. 1736 mortuum, heroem toga ſagoque præſtantiſſimum fuiſſe, concedit quidem, interim tamen, per adulationem & contra veritatem dici, eum nunquam fuiſſe victum, urget. Ut fœderi, cum *Catharina*, Ruſſorum Imperatrice, inito, ſatisfaceret Imperator, arma adverſus Turcos movit, quod tamen bellum neutiquam feliciter, neque ex voto Auſtriacæ domus, ceſſit. Decretum Imperatoris, quo magnus Etruriæ Ducatus Duci Lotharingiæ in feudum datus eſt, integrum apponit Rev. Autor. Pompam nuptiarum, inter utriusque Siciliæ Regem, & Principem *Mariam Amaliam*, potentiſſimi Regis noſtri filiam, celebratarum, deſcribit. Merita illuſtriſſimi Comitis *de Seckendorff* erga domum Auſtriacam ſummopere prædicat, eum præter rationem gratia Cæſaris ſui privatum eſſe, contendens. Triſtem interitum *Doxati*, qui caſtello Niſſenſi præerat, itidem luget. De morte *Caroli VI* multa ſingularia, & non ubivis obvia, profert in medium. Occaſionem bellorum, propter hæreditatem iſtius Principis motorum, breviter delineat. Potentiſſi-

Pag. 781. 783. 784. 826. 827. 869. 874. 882. 883. 891. 900. 902. 904. 905. 931.

tiſſimum Regem Pruſſiæ hodie regnantem perperam *Carolum Fridericum* vocat. Quamvis autem narrationis ſuæ filum usque ad *Franciſci I* Imperatoris electionem perduxerit Rev. Autor; de *Caroli VII* tamen imperio fortaſſis eam ob cauſam prorſus tacuit, quod parum honoris nationi Gallicæ afferre videatur rerum ab illo Principe geſtarum deſcriptio. Optandum vero eſſet, ut paulo ſerius prodiiſſet ultimus hicce *Tomus*, ut pacis Aquisgranenſis, nuperrime concluſæ, hiſtoria tam præclaro Operi coronidem impoſuiſſet. Fuſius illud a nobis deſcriptum eſſe, non iniquo animo feret Lector, cum & libri adeo ſplendidi in paucorum manibus verſentur, & ex iis, quæ dicta a nobis ſunt, eo certius de operis hujus pretio & dignitate ferri poſſit judicium.

GERARDI MEERMANNI, JCTI BATAVI, Specimen Animadverſionum criticarum in Caji Jureconſulti Inſtitutiones, ſecundis curis auctius. Accedit earundem Caji Inſtitutionum Summarium, a PETRO ÆGIDIO, Antwerpienſi, primum publici juris factum anno 1517, nunc vero iterum, & emendatius quidem, in lucem editum.

Lutetiæ Pariſiorum, 1747, 8.

Plag. 5.

Quatuor anni ſunt, ex quo *Meermannus*, JCtus clariſſimus, primum hunc libellum edidit. Qui cum non ſine plauſu acceptus fuiſſet a juriſperitis eruditis, ac propterea etiam in Germania bis repetitus chalcographiæ beneficio, non tamen ſine operarum multis & inſignibus vitiis, jam dudum conſilium ceperat Clariſſimus Autor, eundem denuo, multis partibus emendatiorem, & novis acceſſionibus auctiorem, edere. Atque id ejus conſilium valde adjuverunt etiam novæ Codicum manuſcriptorum collationes, & uſus antiquarum quarundam *Caji* editionum. Itaque factum eſt, ut *Caji* Juriſconſulti reliquiis, omninoque Juriſprudentiæ Antejuſtinia-

juſtinianeæ, magnum inde ornamentum & adjumentum acceſſerit. Sed, quo facilius Lectores noſtri judicium facere ipſi poſſint, ſpecimina nonnulla delibabimus.

Ante omnia agitur de nominibus *Caji*. Ei a doctis hominibus plerisque attribuitur prænomen *Titi*. Sed, cum id diſplicuiſſet jam dudum *Schultingio*, tanquam a recentioribus de conjectura ei additum, *Meermannus*, Vir. Clar. in ejus rei cauſas docte & acute inquirit. Nempe putat, ab editione Pariſienſi anni 1525 omnem originem repetendam eſſe; cujus inſcriptio hæc eſt: *Titi Caji Inſtitutionum Liber primus*, cum neque prima illa *Petri Ægidii* editio anni 1517, neque ulla e ſubſequentibus, eam epigraphen agnoſcat. Cum enim illa Pariſienſis editio ſine ullo correctore ad Codicum manuſcriptorum *Almarici Bouchardi* fidem expreſſa fuerit, non eſſe improbale, dicit, librarium Codicis ſcripturam non recte aſſecutum fuiſſe. In eo enim forte, quemadmodum in Codice manuſcripto antea *Voſſii*, nunc Bibliothecæ Lugd. Bat. ad finem Novellarum ſic ſcripturam continuatam fuiſſe: *Explicit Liber Novellarum. Incipiunt tituli legum Caji*, ac deinde poſt intervallum quoddam *Tit. I.* (quod minime notat *Titi*, ſed potius *Titulus I*,) & poſtea: *Caji Iuſtitutionum Liber primus dt.* (ſeu *dicit*,) *omnes homines aut liberos eſſe, aut ſervos*, &c. Quare, cum ille librarius Novellas non ederet, ex verbis: *Tit. I. Caji Inſtitutionum Liber primus dt. omnes homines aut liberos eſſe*, &c. confeciſſe: *Titi Caji Inſtitutionum Liber primus. Omnes homines aut liberos eſſe, aut ſervos.*

Deinde alias etiam conjecturas affert, ſi illa non placeant. Scilicet in Codice manuſcripto *Bouchardi* ſine ulla interpunctione forte ſcriptum fuiſſe:

INCIPIT TITI CAJI INSTITVTIONVM LIBER PRIMVS,

editorem autem Pariſienſem ſic cepiſſe: *Incipit Titi Caji Inſtitutionum Liber Primus*; cum tamen intelligendum ſic eſſet: *Incipiunt Tituli Caji Inſtitutionum.* Aut denique aliquem vocabulum *Titi* in Manuſcripto *Bouchardi* addidiſſe,

 qui

qui ferre non potuiſſet, Juriſconſultum noſtrum uno tantum nomine inſigniri. Hæc erat conjectura Viri Clariſſ. quibus originem docere voluit prænominis *Titi*. Sed videtur quodammodo ſententiam ſuam in hac nova editione mutaſſe, cum in animadverſione quadam ſubjecta oſtendat, in Codice Wurceburgenſi antiquiſſimo clariſſime nominatum reperiri Jureconſultum noſtrum *Titum Cajum*.

Porro docet, errare *Hottomannum*, qui putavit, *Caji* librum primum Græce exaratum, deinde ab aliquo Latinæ linguæ non ſatis gnaro converſum fuiſſe; defenditque, quod apud *Cajum* emtor filii emancipandi vocatur *pater fiduciarius*, verum eſſe ac rectum, cum *Hottomannus* legi vellet: fiduciarius *venditor*, quoniam in Græco *πρατὴρ* exſtitiſſet, ex quo imperitus interpres confecerit *πατὴρ*, ac converterit *pater*.

Pag. 14. Jam exemplum *κρίσεως* ejus in ipſum *Caji* textum commemorandum videtur. Lib. I tit. I principio vulgo legitur: *Libertorum vero ideo non unus eſt, quia tria ſunt genera libertorum.* In Codice autem manuſcripto Niſp. atque editione *Bouchardi* reperit V. C. *Libertinorum vero non unus, quia tria ſunt genera libertatum*, quam poſtremam lectionem veram judicat. Recte. Nam *liberti* dicuntur reſpectu patroni, qui hic nullus eſt; *libertini* autem reſpectu conditionis ac ſtatus, cum opponuntur ingenuis, quod hic quoque locum habet. Nam in præcedentibus dixerat *Cajus*, ex hominibus liberis alios eſſe *ingenuos*, alios *libertinos*.

Obiter hic quoque V. C. tentat locum *Doſithei de manumiſſionibus §. 8* corrigere, qui eſt vexatiſſimus: *Ἀλλὰ νῦν ἔχουσιν ἰδίαν ἐλευθερίαν εἰς τοὺς φίλους ἠλευθερωμένοι, καὶ γίνονται Λατῖνοι Ἰουνιανοὶ· ἐπειδὴ νόμος Ἰούνιος, ὃς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἔδωκεν, ἐξίσωσεν αὐτοὺς Λατίνοις κολωναρίοις, οἳ ὅτε ἦσαν πολῖται Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι ὄνομα ἴδιον εἰς τὴν κολωνίαν δεδώκασαν.* In quibus negotium faceſſit vocabulum *ἀπελευθέροι*. Ipſum vero *Ulpianum* ſcripſiſſe: *cives Romani, vel Latini*; *Doſitheum* male *Latinos* vertiſſe *ἀπελευθέρους*. Sed alia ſententia ſedet *Meermanno* noſtro, pro *ἀπελευθέροι* reſcribendum *ἠλευθερωμένοι*, idque in locum ſuperio-

rem

rem transferendum, exiſtimanti, ita: ἐπειδὴ νόμος Ἰούνιος, ὅς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἩΛΕΥΘΕΡΩΜΕΝΟΙΣ ἔδωκεν, ἐξίσωσεν κ. τ. λ. deinde poſt κολωνίαν excidiſſe λατίνην abſorptam a præcedenti λατίνοις, aut *Doſitheum* ſcripſiſſe κολωνίαν ῥωμαϊκήν. Nos quidem non ii ſumus, qui hoc aut inelegans, aut abſurdum, dicamus; fieri potuit. Sed non eſt tamen neceſſe. Illud vero de voce ἠλευθερωμένοις. ignoſcet V. C. ſi nobis omnino probari negaverimus. Non enim intelligere poſſumus, quam vim hæc ῥῆσις habere debeat: *libertatem dedit liberatis*, ſeu *manumiſſis;* αὐτοῖς enim ſatis indicat, quinam ſint, quibus libertatem lex dederit; refertur quippe ad eos, qui paulo ante nominati ſunt, εἰς φίλους ἠλευθερωμένους. Porro hæc emendatio videtur paulo calidior, primum mutans ἀπελεύθεροι in ἠλευθερωμένοις, deinde in locum ſuperiorem rejiciens. Neque tamen nobis magis arridet ſententia Cl. *Roveri;* ſed hoc non agimus. Si liceat noſtram ſententiam dicere, exiſtimamus, ἀπελεύθεροι e margine in textum irrepſiſſe, atque adeo plane inducendum. Aliud ſpecimen afferemus.

Tit. VI §. 3 legitur: *Mancipatio autem, hoc eſt, manus traditio, quædam ſimilitudo venditionis eſt, quia & in emancipationibus præter illum, hoc eſt, certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur.* Codices Leidenſis, Gothanus, & Niſp. editioque *Bouchardi*, habent: *quia in mancipationibus*, omiſſa vocula *et*. Hactenus lectionem probat V. C. Quod autem præterea *Bouchardi* editio habet: *per illum, hoc eſt, certum patrem* &c. non item. Potius reſcribendum judicat: *præter ipſum h. e. certum patrem*, ductus ſcriptura editionis *Bouchardianæ*, in qua mox pro *iſte naturalis pater*, rectius legatur: *ipſe naturalis pater*. *Cajum* enim ſcripſiſſe ſimpliciter videri, *præter ipſum patrem*, h. e. præter eum, qui vere pater eſt, liberosque in poteſtate habet, ſive a natura, ſive per adoptionem (idque ad oppoſitionem imaginarii illius emtoris ac temporarii patris). Hoc autem interpretari voluiſſe *Anianum* per τὸ certum, hoc eſt, uti V. C. videtur, eum, qui certus eſt ex matrimonio, ſive, ut Pag. 24.

 mox

mox loquitur, naturalem patrem: quemadmodum & *Tit. V §. I* opponat certum patrem adoptivo. Sed, cum conſtet, etiam adoptivum patrem, emancipare liberos poſſe, *Caji* mentem non aſſecutus, neque adeo recte interpretatus, videtur *Anianus*.

Pag. 41. *Tit. X §. ult.*: *Et multa praeterea quorumcumque ſimilia ſunt: ſecundum quae & ille furti tenetur, qui, ut fieret, opem, aut conſilium, aut ſtudium, accommodarit; veluti ſi quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excuſſerit, ut alii eam rapere poſſent.* Omnium conſenſu priora hujus paragraphi verba corrupta ſunt, neque in manuſcriptis Codicibus Leidenſi, Gothano, Niſp. & in Ed. Lovan. & *Peſnotii* multo emendatiora reperiuntur. Cum vero editio *Bouchardi* eadem ſic prae ſe ferat: *Et multa praeterea quorumcumque ſimilia ſunt, ſecundum legem furti tenentur. Sed &, ſi quis, ut ferret opem, aut conſilium, aut ſtudium, accommodaverit, velut ſi quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excuſſerit, ut alii eam rapere poſſent, in idem judicium incidit;* Vir Clariſſimus *Meermannus* hunc locum ita ſanandum arbitratur: *Et multa praeterea horum ſimilia. Quicunque ea faciunt, ſecundum legem furti tenentur. Sed &, ſi quis, ut id fieret, opem, aut conſilium, aut ſtudium, accommodaverit,* &c. *in idem judicium incidit.* Ejus autem rei haſce reddit cauſas. Primum *quorumcumque* vocabulum, ſine dubio male ſanum, diſſolvit in: *horum quicunque ea*, lapſu librariorum ſatis frequenti, duas pluresve voces in unam contrahere ſolitorum. Huc accedit, quod Epitomator ipſa haec verba, *& horum multa ſimilia*, expreſſit. Deinde verbum *ſunt* facillima mutatione repoſitum putat, pro *ſont*, h. e. *faciunt*, ideoque id reſtituit. Denique pro *ut fieret*, optimorum exemplorum autoritatem ſecutus, reſcripſit: *ut id* (ſc. furtum) *fieret.* Sufficiat haec ſpeciminis loco commemoraviſſe, unde, quae Viri Clar. in *Cajo* emendando diligentia & felicitas fuerit, ſatis poſſit judicari.

Cum vero in quibusdam locis ſanandis profuerit *Epitome Inſtitutionum Aniani*, aliquot abhinc Seculis a monacho quodam,

dam, ut videtur Viro Clar. quamvis imperite, conſcripta; eam quoque ſub finem huic libello adjiciendam curavit. Reperit eam non ſolum in duobus Codicibus manuſcriptis Bibliothecæ Leid. ſed etiam editam A. 1517, curante *Petro Ægidio, Antwerpienſi*, hoc titulo: *Summæ, ſive argumenta, Legum diverſorum Imperatorum ex Corpore Divi Theodoſii, Novellis Divi Valentiniani, Aug. Martiani, Majoriani, Severi; præterea Caji & Julii Pauli Sententiis, nunc primum diligentiſſime excuſa, Cæſarei Juris ſtudioſis utilitatem allatura non mediocrem, ex vetuſtiſſimo archetypo.* Is liber poſtea nunquam editus fuit, & memoria hominum eruditorum fere exciderat, ex interpretibus noſtris ſoli *Cujacio* viſus. Quapropter rem gratiſſimam ſtudioſis Juris fecit V. C. cum eam iterum cum eruditis hominibus communicavit, cum Codicum duorum ſupra laudatorum lectionibus variis, ſuiſque conjecturis. Sed, ut & hic diligentia JCti noſtri, qualis fuerit, appareat, efficiendum videtur pauciſſimis.

Tit. I §. 7 in edit. *Ægid.* legebatur: *Nam quamlibet dominus idem quatuordecim annos egreſſus.* Sed V. C. ex Codd. *Voſſ.* & *Petav.* tum ex *Aniano*, edidit: *Nam quamlibet dominus, id eſt, quatuordecim annos egreſſus*, hoc *id eſt* autem ſignificat *nempe*. Tit. II pr. ed. *Ægid.* habet: *qui vero plus quam centum habuerit.* At Vir Clariſſimus *Meermannus* ex Cod. *Pet.* & *Aniano* edidit: *qui vero plures.* Pag. 47. 48.

Eod. Titulo §. 2 vulgo legitur: *Nam quicunque voluerit, aut in eccleſia, aut ante Conſulem, aut inter amicos, aut per epiſtolam, manumittere, poteſt his manumiſſionibus omni familiæ jugum abſolvere.* V. C. legendum cenſet: *omnem familiam ſervitutis jugo abſolvere*, uti ipſe *Anianus* id expreſſit, cum inprimis quoque Codices *P.* & *V.* præferant *omnem familiam.* Cel. *Bondam* autem in Specimine inaug. *Animadv. crit. Cap. 10 pag.* 44 hunc locum ita legit & interpungit: *in eccleſia manumittere* &c. *poteſt, & h. m. c. f. jugo ſervitutis abſolvet.* Nos autem, parum abeſt, quin vulgatam lectionem ab ipſo epitomatore, imperito Latinæ linguæ homine, profectam putemus, *abſolvere* autem pro ſimplici poſitum. Ceterum 49.

Digitized by Google

rum vero, *ſolvere alicui jugum*, ea ætate facile etiam pro *ſolvere aliquem jugo* dici potuit.

Eodem §. 4 editio *Ægidii* habet: *Nam quoscunque in colonis diverſo tempore manumiſit.* Vir Clariſſ. autem eleganter e Cod. P. reſtituit, *in colomis*, pro *incolumis*. Ex his omnibus facile Lectores noſtri æſtimare poterunt, quale pretium Doctiſſimi Viri emendationibus ſtatuendum ſit. Nos autem a Viro Clariſſimo, ad juvandam Jurisprudentiam elegantiorem nato, & dudum eruditione cognito, talibus pluribus opuſculis frui cupimus.

Nec fallet votum. Ecce enim certiores per epiſtolas reddimur, ampliſſimum Virum de magno opere cogitare, nec cogitare ſolum, verum jam de edendo cum negotiatoribus librariis egiſſe. Novum ſcilicet divulgabit *Theſaurum Juris Civilis & Canonici*, *Ottoniani* illius notiſſimi ſimilem, optimorum interpretum rariora ſcripta plurima inedita compreheuſurum. Inprimis hunc Theſaurum gratiſſimum doctis hominibus reddent Hiſpanorum Opera, qualia ſunt: *Franciſci Ramos del Manzano* Commentarius ad leges Juliam & Papiam, ejusdemque Commentarii inediti varii argumenti; *Joſephi Fernandez Retes* Opera omnia, tam edita, quam inedita; *Nicolai Antonii* liber de Exilio, cum additionibus Autoris ineditis; *Joannis Suarez de Mendoza* Commentarius ad Leg. Aquil.; *Athanaſii Oteiza & Olano* Paralipomena ſelectæque Antiquitates Juris; denique plurima ſcripta egregia *Nicolai Fernandez de Caſtro*, *Antonii Quintanadnegnæ*, *Joſephi Santolariæ*, *Joannis Altamirani & Velasquez*, *Joannis Ludovici Lopez*, *Joſephi Fineſtreſii*. Hiſce accedent ſcripta varia JCtorum Galliæ, ut ſunt: *Jani a Coſta* Commentarii quidam inediti, *Joannis D'Avezani*, & *Jacobi de Lande*, opera omnia præſtantiſſima; denique multi præterea alii libelli raritate & præſtantia commendabiles, quos Collectores prioris Theſauri ignoraverunt, quosque omnes unice ex inſtructiſſima Bibliotheca ſua Ampliſſimus *Meermannus* producet, Opus pluribus Voluminibus in folio conſtabit. Dum hæc ſcribimus, rumor non dubius, ſed certiſſimus, affertur, Clariſſimum

ſimum & Doctiſſimum Virum commendatione Sereniſſimi Principis Araulianenſis honoroficentiſſimam in republica ſtationem obtinuiſſe, idque ipſo legitimo, id eſt, vigeſimo quinto, ætatis anno, Penſionarii ſcilicet, ſive Syndici, urbis Roterodamenſis, quo munere olim functus *Hugo Grotius*, quem inter imagines *Meermannus* noſter colit. Nam a matre *Hugo* ei cognatus eſt. Nos tam inſignes honores Ampliſſimo Viro, & de literis egregie promerito, ex animo gratulamur, & ſimul, ne per rei publicæ curam ſe a Muſis & venuſtiori Jurisprudentia abduci patiatur, optamus vehementer.

FLORA SIBERICA, SIVE HISTORIA PLANtarum Siberiæ, Tomus I, continens Tabulas æri inciſas quinquaginta, Autore D. JOANNE GEORGIO GMELIN, Chem. ac Hiſt. Nat. Prof.

Petropoli, ex typographia Academiæ Scientiarum, 1747, 4. Alph. 2.

Inſignis illa, quæ in tellure animadvertitur, varietas & copia plantarum Hiſtoriæ naturalis indagatorum ulteriorem attentionem omnino meretur. Poſtquam enim plantæ in florentiſſimis Europæ provinciis detectæ fuerunt, poſtquam in utramque Indiam & alias orbis terrarum partes ſeceſſerunt rerum naturalium curioſi, ut inter alia Hiſtoriæ naturalis capita etiam illud, quod vegetabilia explicat, magis illuſtrarent, vix planta ſupereſſe videtur, quæ Botanicorum attentionem ſubterfugerit. Cognoſcimus tamen ex egregio hoc Cel. *Gmelini* ſpecimine, inexhauſtos naturæ theſauros iis ſemper nova exhibere oblectamenta, qui in indagandis naturæ viis ſollicite verſantur, &, ſi novorum corporum copia non occurrat, tamen attenta magis contemplatio nova in iis obſervanda præbet, quæ ordinem accuratiorem & uſum in vita communi melius declarant.

In Præfatione ampliſſima vaſtiſſimum Siberiæ regnum deſcribit, flumina, lacus, tractus montium, campos, & terræ potiſſimum varietatem, annotat, quo cognoſcamus, quam variæ

Digitized by Google

plantæ in ultimo hoc terræ angulo creſcant; inprimis vero illa notatu digna videtur deſcriptio, qua Aſiæ & Europæ limites ex obſervationibus Hiſtoriæ naturalis poſuit. Non ego, inquit, Aſiam ingredi mihi viſus ſum, antequam Jeniſeam fluvium attingerem, animalia in eam usque regionem vix ulla vidi, quæ non etiam aleret Europa, ſaltem quæ in campis vaſtis Wolgæ fluvii inferioris tractus non occurrerent, vix alia vegetabilia, & terrarum lapidumque genus vix aliud. Facies tota terræ in eam usque regionem mihi Europæa viſa eſt. Sed ab Jeniſea fluvio orientem & meridiem & ſeptentrionem verſus alia plane terræ facies & novus vigor conſtitit. Juga montium, aut colles, paſſim tantum ante apparebant, hic vero tota regio montoſa erat, vallium & camporum interjacentium amœnitate nulli facile ſecunda. Animalia nusquam adhuc viſa in conſpectum veniebant, uti moſchiferum animal & Muſimon veterum. Plantæ quædam Europæ admodum familiares hic deficiebant, & novæ, in Europa nunquam viſæ, paulatim comparebant. Aquarum porro puritas & limpiditas & propterea ſalubritas, & piſcium aviumque ſcitus ſapor, ipſa etiam populorum indigenarum diverſa vivendi ratio, novam regionem ſtrenue inculcabant. Porro Autor noſter elevationem terræ ſupra maria, per obſervationes barometricas, definire anniſus eſt, & oſtendit, magnam eſſe harum regionum reſpectu occidentalis Siberiæ & Europæ ſupra centrum terræ elevationem, ita ut vaſti campi transbaicalenſes altitudine ſua haud exiguos Europæ montes æquent. Aeris gravitatem & levitatem in diverſis locis disquirit, morbos quosdam inde oriundos explicat, & de frigore in his terris multa lectu digna profert. His præmiſſis, itineris ſuſcepti rationem exhibet, & oſtendit, quasnam Siberiæ partes per novem annos peragraverit, & paucas tantum addit, quas alii itineris ſocii perluſtraverunt. De plantarum locis natalibus præcipue ratione Europæorum & Aſiaticorum varias obſervationes generales exhibuit, e. g. plantas Alpinas calidarum regionum in ſeptentrionalibus pratenſes eſſe. Flora Siberica plantas, in Siberia a montibus Uralenſibus ad oceanum orientalem usque

ſponte

Digitized by Google

ſponte naſcentes, continet, quibus paſſim aliæ, a *Gerbero* ad Tanaim & Wolgam fluvios atque in Ucrainia collectæ, adduntur. Has omnes accurate indicavit Autor, novas vero & dubias fuſius deſcripſit, & varietates ſedulo annotavit. Nomina generica *Linnæana* & quædam *Halleriana* adoptavit, & genericos characteres plerumque retinuit. In ſpeciebus uſus eſt nominibus *Linnæi*, *Royeni*, & *Halleri*, & in novis formandis ſimilem methodum adhibuit. Synonyma tamen *Bauhinorum*, *Tournefortii*, & aliorum, ſæpius adduxit, loca plantarum natalia, nomina incolis uſitata, uſum tum medicum, tum œconomicum, ſimul annotavit. Imagines plantarum ad vivum factæ, & magnitudine naturali expreſſæ ſunt. In digerendis plantis methodum Cel. *Royeni* aſſumſit, non quod illam omni nævo carere credat, ſed quod *Rajana*, quam olim excoluit Autor, immo naturali, methodo propius accedat. Genera nova in hac *prima Parte* bina tantum invenimus.

Epipogum ad Orchidum genus pertinet, & florem hexapetalum irregularem ſiſtit. Superius petalum ferme triangulum eſt, utrinque breves anguſtas & triangulas alas, & poſterius calcar lageniforme, emittit, quinque reliqua petala lanceolata acuta inferius collocantur, cum in congeneribus galeæ inſtar erigantur, antheræ binæ, intra cucullos piſtilli hærentes, quæ ut reliqua cum orchidibus conveniunt.

Hierochloe graminis genus eſt, cujus locuſtæ cordatæ, calyce biglumi ampliſſimo, membranaceo nitente, & tribus folliculis nitentibus, conflatæ; hi folliculi in ſinu calycis includuntur, & eidem baſi ſiræ inſiſtunt. Duo externi ſtamina, intermedius ovulum cum duobus ſtilis ſetaceis, erectis ſtigmatibus patentibus, lanæ ſpecie pubeſcentibus, inſtructis.

Ex ſpeciebus ſequentes ut novæ annotari merentur:

Epipactis foliis plerisque ex lineari lanceolatis.

Orchis radice rotunda, cucullo tridentato.

Orchis radicibus multis, labello baſi alato, calcare germinis longitudine.

Convallaria floribus racemoſis, foliis ovatis oblongis caulinis.

Lirium radice tunicata, foliis ſparſis, floribus reflexis, corollis revolutis.

Allium ſcapo nudo tereti farcto, foliis ſemicylindraceis, ſtaminibus corolla longioribus.

Cepa ſcapo nudo ſubangulato farcto, foliis linearibus, ſubtus anguloſis, ſtaminibus corolla brevioribus.

Cepa ſcapo nudo, tereti, inani, foliis ſubulatis filiformibus, capitulis laxis, paucifloris.

Cepa rupeſtris radice turbinata dulci.

Melica floſculis glabris, ſummo urceolari.

Melica floſculis inferioribus gluma exteriore ciliatis, ſummo depili ovali.

Poa panicula nutante, laxa, ſpicis oblongis, multifloris, ſæpe ariſtatis.

Feſtuca glumis unifloris, ariſtis calyce triplo longioribus.

Triticum radice perenni, ſpiculis binis, ſubmuticis, glaberrimis.

Triticum radice perenni, ſpiculis binis lanuginoſis.

Triticum radice perenni, ſpiculis ternis ſubmuticis.

Triticum radice perenni, ſpiculis ſolitariis longiſſime ariſtatis.

Triticum radice perenni, ſpiculis binis longiſſime ariſtatis, item ſpiculis ternis.

Carex ſpicis ſeminalibus brevius pedunculatis craſſiuſculis, ariſtatis, marem tenuem contingentibus.

Carex ſpiculis plurimis, ſummum culmum terminantibus, arctiſſimis, diſtinctis.

Carex ſpiculis ſubrotundis, ternis, in ſummo culmo ſe contingentibus, breviſſime pediculatis.

Salix foliis ex lineari lanceolatis, ſerratis, glabris, utrinque viridibus.

Salix pumila, foliis denſe congeſtis, caulibus criſtatis.

Salix foliis ex lineari lanceolatis, integris, ſubtus incurvis.

Salix foliis ex elliptico lanceolatis, integris, ſubtus ſericeis, amentis brevibus.

Salix foliis ex elliptico lanceolatis, ſubtus ſericeis, appendiculatis.

Ephedra

Digitized by Google

Ephedra petiolis ſæpe pluribus, amentis ſolitariis.
Juniperus foliis inferne adnatis, oppoſitionibus concatenatis, baccis monopyrenis.
Peucedanum foliis duplicato pinnatis, pinnulis remotioribus ſæpe trifidis.
Angelica foliolis pennatifidis.
Liguſticum foliis triplicato pinnatis, pinnis pinnatifidis.
Liguſticum foliis triplicato pinnatis, extremis lobulis breviter multifidis.
Sium foliis pinnatis, pinnis lanceolatis, rarius ſerratis.
Selinum foliis duplicato pinnatis, foliolis trilobis, acutis ex inciſo ſerratis.
Chærophyllum ſeminibus nitidis ſcabris.
Paſtinaca foliis ſimpliciter pinnatis, foliolis pinnatifidis.

DEL CALCULO INTEGRALE MEMORIE analitiche, &c.

hoc eſt,

DE CALCULO INTEGRALI COMMENTArii analytici DOMINICI CONRADI AUSTRIACI, Patricii Mutinenſis.

Pars II.

Mutinæ, typis Franciſci Torri, 1744, 4.
Alph. 2, Tabb. æn. 2.

In hac *altera* hujus Operis *Parte* Cl. Autor præcepta Calculi integralis tironibus tradere conſtituit. Quo conſilio in *duabus* primis hujus libri *Sectionibus* agit de integratione differentialium, quæ unicam habent variabilem, & quorum factor finitus aut quantitas ſimplex eſt, aut binomium, ad quamlibet dignitatem evectum. Exponit conditiones, quibus ejusmodi binomium differentiale algebraice integrari poteſt. Attingit etiam caſus, in quibus duo, vel plura, binomia differentialia, quantitatem in vinculo eandem habentia, quæ ſeparatim quidem algebraicam integrationem non concedunt, con-

junctim tamen integrabilia ſunt. Tabulam exhibet, cujus ope binomiorum differentialium integrationes algebraicas, ſi quidem ex haberi poſſint, perficere docet. Poſthæc de reductione binomiorum differentialium ad rectificationem circuli exponit. Methodo, qua hoc loco utitur, paulo plus tribuere videtur, quam æquum erat, cum dicit, ea poſſe perveniri ad algebraica integralia formarum differentialium, quæ nullis adhuc notis artificiis integrari potuerint, & exempli cauſa adducit differentiale $du \frac{\sqrt{(qv + (3v + 2q)^2)}}{2\sqrt{q(v+q)}}$, in quo q eſt conſtans, & cujus integrale ſua iſta methodo invenit $= \frac{(9v + 4q)^{3:2}}{3\sqrt{q}}$. Correcto enim errore calculi, hoc integrale prodit $= \frac{(9v + 4q)^{3:2}}{27\sqrt{q}}$; idque ipſum elicitur ex illo differentiali, pro $v + q$ ponendo x, quod artificium omnium eſt notiſſimum. Poſtea Autor ea binomia differentialia conſiderat, quæ alia circuli elementa exprimunt, tum ea quoque, quæ per logarithmos poſſunt integrari. Multus eſt in docendo, quomodo propoſita differentialia transformationum ope vel abſolute integrari, vel ad circuli hyperbolæve quadraturam reduci, poſſint. Tandem de quadratura & rectificatione Cycloidis vulgaris, aliarumque curvarum, ad modum Cycloidis genitarum, agit, & nonnullis monitis, quæ tanquam tironibus ad errores evitandos valde utilia laudat, *Sectionem ſecundam* terminat. In *tertia Sectione* tractat binomia complexa, quale eſt $x^c dx (b + (a + fx^n)^c)^r$, una cum trinomiis differentialibus, quatenus ea in iſtam binomiorum formam poſſunt transformari; atque ſub finem hujus *Sectionis* exemplo quodam docet, poſſe interdum integrationem alicujus differentialis vero proximam haberi, ſine ſerierum auxilio, ex ſola conſideratione naturæ illius Problematis, cujus ſolutio illud differentiale ſuppeditavit. *Quartam Sectionem* trinomiorum differentialium, quæ unicam in ſe habent variabilem, contemplationi impendit, & circa hæc eo-

dem

dem modo verſatur, quo circa binomia eſt verſatus, conditiones, ſub quibus vel abſolute, vel ſuppoſita circuli hyperbolæve quadratura, integrabilia ſunt, eruens ex conſideratione modi, quo ejusmodi differentiale per differentiationem aliquot integralium prodit, deinde etiam viam, illa differentialia per transformationes integrandi, commonſtrans. In *quinta Sectione*, in qua differentialia, duas pluresve variabiles continentia, attingit, pauca de notioribus methodis variabiles ſeparandi præfatus, aliquot formulas integrales proponit, earumque differentialia format, eo conſilio, ut lector obvia ſibi differentialia, quæ forte ex illorum differentialium numero ſint, aut ad ea facile reduci queant, illarum formularum integralium ope integrare poſſit. Nam de methodis ſeparandi, quas artifices huc-usque adhibuerunt, judicat, eas, quippe adhuc parum excultas, non multum auxilii ad integrationes perficiendas afferre poſſe. *Sexta Sectio*, quæ ultima eſt hujus libri, verſatur in explicatione regulæ de adjectione Conſtantis poſt integrationem peractam. Hic Clariſſ. Autor regulam de complendis æquationibus integralibus, in vulgatis calculi integralis Iuſtitutionibus non ſatis diſtincte expoſitam, ſic emendat, ut eam univerſalem, atque praxi ſummorum hujus calculi artificum conformem, reddat. Duplici Appendice huic Operi colophonem addit, de quantitatibus variabilibus, quæ ad nihilum usque decreſcunt, vel in infinitum creſcunt, nec non de ſpatiorum hyperbolicorum quadratura copioſe diſputans. Omnem hoc loco lapidem movet, ut, tam aſymptotos, quam areas hyperbolarum omnium, finitas eſſe, quod aliquoties in hoc Opere affirmaverat, extra omnem dubitationem ponat. Non in hoc ſolum elaborat, ut variis argumentis hunc errorem ſtabiliat atque defendat, ſed etiam refutare contendit demonſtrationes, quibus celeberrimi Geometræ, *Hoſpitalius*, & *Bernoullii* fratres, hyperbolam omnem inter ſuas aſymptotos in infinitum poſſe produci, ſpatium inter hyperbolam Apollonianam, ejusque aſymptotos, eſſe infinitum, & ſeriei harmonice proportionalium infinitæ ſummam infinitam eſſe, evicerunt. Utrumque autem Clariſſ. Autor, noſtro

noſtro quidem judicio, infelici egit ſucceſſu. Quemadmodum enim, quæ contra laudatorum Virorum demonſtrationes monet, nullum pondus habebunt apud eos, qui illarum demonſtrationum vim ſatis tenent; ita &, quæ pro ſua ſententia confirmanda affert, omni fundamento deſtituuntur, quippe partim confuſis notionibus, quas de aſymptotiſmo, de infinito, & de infinite parvis, mente concepit, innixa, partim propoſitionibus evidenter falſis, ſuperſtructa; cujusmodi ſunt,
Pag. 394. quod logarithmus quantitatis variabilis x evaneſcat, evaneſcen-
489. te x; & quod numerus, a numero infinito unitate deficiens, finitus ſit. Hæc facile poſſemus, per ſingula eundo, fuſius perſequi, & non ſolum oſtendere, alias eſſe Clariſſ. Autori, quam Geometris, de aſymptotiſmo & infinito notiones, ſed & argumenta, quæ pro ſua ſententia adducit, refellere, &, quam incommodis falſisque conſequentiis ea prematur, demonſtrare; verum meminimus, eruditis nos ſcribere. Ceterum, quo magis laudanda nobis videtur Viri Clariſſimi voluntas, de calculo integrali bene merendi, & ſcrupulos tollendi, quos phraſes Geometrarum de infinito ſæpe tironum animis injiciunt, eo magis dolemus, fortunam & otium ipſi defuiſſe; vires enim defuiſſe, non opinamur. Igitur, quanquam Commentariis hiſce Analyticis non nullum ſtatuimus pretium, tamen diſſimulare non poſſumus, videri nobis longe faventiori Minerva uſum eſſe Geometram Scotum, *Maclaurinum*, qui eodem fere tempore, quo Italus noſter Mathematicus, eandem telam ſibi pertexendam ſumſit, ejusque *Libros de Fluxionibus*, quos olim copioſe laudavimus, longe magis eſſe omnibus commendandos, qui veras infiniti & infinite parvi geometrici notiones animo informare, ac ea, quæ in recentioris Analyſeos infinitorum principiis & uſu vulgo pro obſcuris, aut incertis, habentur, illuſtrata & demonſtrata videre, cupiunt.

MARII LUPI, CANONICI BERGOMATIS, de Notis Chronologicis anni mortis & nativitatis Domini noſtri Jeſu-Chriſti Diſſertationes duæ,

Romæ,

Romæ, typis & ſumtibus Hieronymi Mainardi, 1744. 4 maj. Alph. 1 plag. 4.

Initium operis facit eorum index, tam antiquiorum, quam recentiorum, qui idem argumentum antea tractarunt, vel curſim memorarunt, adjectis paſſim cenſuris. Ipſarum Diſſertationum prior agit de notis chronologicis anni mortis Jeſu Chriſti, atque ibi principio definitur luna plena paſchalis, & ſtatuitur, 1) ex plenilunio ſimul cum feria VI & menſis die §. 1.
nullo modo annum Chriſti emortualem definiri poſſe: quod ille concurſus nusquam reperiatur; 2) concurſum feriæ VI & plenilunii in pauciores annos cadere; 3) non conſtare, qua ratione plenilunia obtinuerint Judæi; 4) utcunque habuerint, ea non ita mathematice exigenda, ut laxioribus aliquanto terminis circumſcribi, & ad quatriduum extendi, non poſſint. Hinc de die menſis agitur, qui vulgo XXV, vel XXIII, Martii nominatur. Poſtea diſputatur de Sabbato 2.
ſecundo primo ac die feſto mediante. Fatetur hic Autor, ſe 3.
anni Judaici formam, quæ olim fuerit, ignorare, neque cu- Pag. 32.
piditatem, aut ſpem, concipere illam cognoſcendi. Novit enim, ſi antiquitatis autoritatem deſideraverit, in Judaico calendario ſe nullam fere reperturum; ſin in novis de ingenio confingendis ſit audax, excogitaturum multos, in quibus hæc poſſint commode explicari. Ceterum dies feſtus medians ipſi fuit quartus ex diebus octo, quibus ſcenopegia celebrabantur; Sabbatum vero ſecundo primum Sabbatum primum Adar, menſis ſecundi; quod anno tantum intercalari convenit, in quo ſecundus Adar ſuperadditur. Sequitur tractatio §. 4.
de LXX Danielis hebdomadibus, qua nos fuſiorem & accuratiorem Cel. *Bengelii* novimus. Magis animadverti mere- 5
tur Olympiadum nota; ubi CCII annus 2 nominatur, ac
Phlegontis præſertim in teſtimonium inquiritur. Potior ad- 6.
huc eſt nota Conſulatus, ubi Conſules nominantur duo *Gemini C. Fuſius & L. Rubellius*; qua occaſione fuſius adverſus
Bianchinum diſputatur. Accedit annus *Tiberii*, qui XV fuiſſe 7.

 conten-

§.9. contenditur, neque minus alii chronologici characteres, quos inter eſt annus XXIX, rationis *Dionyſianæ*; CCCXL Edeſſenorum æræ, quam *Noriſius* optime probat initium cepiſſe ab anno ante vulgarem CCCXI, U. C. CCCCXLII, Olymp. CXVII anno I, eandemque eſſe ac *Seleucidarum*, nex *Petri*, *Pauli*, *Jacobi*, quæ poſt Chriſti cruciatus anno
9. XXXVII accidit, fixa diſtinctius, & Hieroſolymitanum exci-
10. dium, conſtituuntur. Inde notæ omnes Chronologorum
Pag. 94. inter ſe conferuntur. Ac denique varius ordo feriarum determinatur. Hic obſervat Noſter non ſolum, præeunte *Celſo*, diem biſſextum, vel intercalarem, cum proximo eundem
§. 95. penitus habitum fuiſſe; ſed etiam duce *Dione Lib. XXXVI* morem adhibendi hebdomadas ab Ægyptiis ſero accepiſſe Romanos; & confirmare laborat, hebdomadas, apud diverſos populos, illarum qui uſum habuerint, diverſis pariter cœpiſſe diebus; neque feriarum minus accidiſſe diverſitatem. Dicitur quoque Sabbatum magnum eſſe vocatum, quod paſcha proxime antecedat, magnamque hebdomadem ſimul majorem, avthenticam, ſanctam, auream, pœnoſam, ac ſimpliciter hebdomadem. Verum enim vero ad alteram properamus
1. Diſſertationem de notis chronologicis anni nativitatis D. N. Jeſu Chriſti. Hic primo quidem loco recentium ac
2. veterum Autorum ſententiæ diligentius colliguntur, quas nimis fuſum eſſet repetere. Poſt agitur de die menſis ac feria, qua Chriſtus ſit natus: ubi quidem dies XXV Decembris roboratur, hebdomadis autem feria, propter ante alle-
3. gatam gentium ibi diverſitatem, in medio relinquitur. In-
4. de tranſitur ad quæſtionem: num bella tempore Chriſti natali ceſſarint; ad quam ajendo reſpondetur. Æque curioſus eſt Noſter in Cyrenii deſcriptione, ſed forſitan hic parcere curis nonnullis potuiſſet, ſi Clariſſ. *Petri Horrei Miſcellanea critica*, de quibus olim in *Actis* noſtris diximus, habuiſſet
5. ad manus. Potius autem eſt de tempore mortis *Herodis* argumentum. Ibi duæ afferuntur celebriores ſententiæ: altera, quæ mortem *Herodis* deſignat anno Juliano XLII, U. C. 750, altera, quæ ſubſequente. Earum priori ſubſcribit Noſter,

Digitized by Google

ſter, majorem habens *Joſepho*, quam *Dioni*, fidem. Idem ſimul alias res circumſtantes enarrat, regiumque *Herodis* honorem, Romæ obtentum, & reliqua, ad eum ſpectantia, primaria momenta perſequitur. Sic etiam de iis diſpu- §. 6.
tatur, quæ inter Chriſti nativitatem atque obitum *Herodis* notatu digniora evenerunt; ubi, præter hiſtorica, critica quædam afferuntur. Sic exponitur vox *οἰκία Matth. II*, atque indicatur, quod *Pollux οἰκίδια* de beſtiarum cellulis interpretatus fuerit, atque *Harpocrates* animadvertat, *οἰκίσκον* Atticis dici, quod lingua communi *ὀρνιθοτροφεῖον*: quod idem ſacris Ebræis *Homeri*que ac *Virgilii* locis comprobatur. In- 7.
de accedit Autor ad illud, quo ſacro lavacro lotus eſt Chriſtus, tempus. Ibi, dum, particulam *ὡσεὶ* examinans, proprietatem vocabuli ſine ſufficiente neceſſitate nimium dilatare nobis videtur, ad *Matth. XVI*, ubi *μεθ' ἡμέρας ἕξ*, quas *Lucas ὡσεὶ ὀκτὼ* dicit, provocat, quæ quidem loca conſentire putamus æque ſuaviter, ac nos hebdomadem appellamus octiduum. Sed ad finem properamus, quem eruditiſſimus 8.
Autor & numero annorum, quos vixerit Chriſtus, exponen- 9.
do, & notis omnibus chronologicis anni Chriſti natalis ſimul conferendis, adjungit. Dignum ſane fuit tam erudite lucubratum ac limatum opus, quod Pontifici Maximo, hujusmodi pariter occupationum, ut omnium literarum elegantiorum, inſigni ſtatori, dedicaretur: quippe quod ideo vel maxime laudandum nobis videtur, quoniam inſigni hic cum moderatione, licet libere, diſputatur, neque animi juſto vehementior motus animadvertitur.

RAGIONAMENTO SOPRA LA DURATA DE' regni de' Re di Roma, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO CRITICA DE SPATIO, QUOD Reges Romani in univerſum, & eorum quisque in ſpecie, in imperio exegerunt.

Florentiæ, 1746, 8.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

 Expe-

Expetierat *Franciſcus Maria Zanotti*, Secretarius Academiæ Bononienſis,quæ *Inſtitutum* dicitur,a libelli hujus Autore, Ill. *Algarotti*, obſervationes, quas ille de duratione regni Romani olim juvenis, cum ſub *Euſtachio Manfredi* literis operam daret, in chartam conjecerat. Perſuaderi ſibi paſſus fuit Ill. Autor, ut opuſculum ſuum, diu abjectum, denuo revideret, idque typis vulgaret, eaque re defectum ſuppleret, quo laborant omnes omnium ætatum Hiſtorici, & Chronologicum ſyſtema *Newtonianum*, quod eadem felicitate, qua cetera ejus excellentiſſima in Hiſtoria Phyſica, inventa, exceptum ab eruditis non fuerat, novo & illuſtri demonſtrationis exemplo aſſereret. Vulgo nimirum in unamquamque hominis generationem triginta annos computant, cum *Newtonus* non niſi octodecim, aut viginti ad ſummum, admittat. Id in Hiſtoria Regum Romanorum etiam obtinere, ſic demonſtrat. Primum quidem omnem veterum de iis traditionem fide carere, aut ſuſpectam ſaltem eſſe, ideo, quod ſub Gallorum invaſionem cum urbe ſimul omnes veteres commentarii & monumenta conflagrarint; quæ porro de antiquis rebus tradita fuerint, ex memoria vaga & incerta & hominum traditione emanaſſe, quorum intererat ſui generis obſcuras origines ab antiquitatis, quam confingere poterant, remotiſſimæ ignorantia illuſtrare & extollere; de cetero ſuam apud poſteros exiſtimationem non curabant, quæ nullo modo ſe tueri poteſt, ubi quis attentior abſurdos talium figmentorum effectus animo perſequitur, quod Noſter fecit, qui annos 244, quos vulgaris traditio Regibus Romanis attribuit, Seculo minuit, & ultra, & ad anguſtias centum & triginta fere annorum redigit. Videbimus ejus argumenta. *Romulus* annos 37 vulgo perhibetur regnaſſe. At Noſter, anno regni 17, aut 18, deceſſiſſe, ſtatuit, ideo, quod ultimum ejus bellum, cum Vejentibus geſtum, in annum 17 non poſſit non incidere, bellicoſus autem vir & inquietus per annos reliquos 21 pacem cum vicinis, neque iis valde manſuetis, neque naſcenti Romæ benevolis, coluiſſe minime cenſendus ſit. Vejentes autem Fidenas repetebant, quam iis urbem *Romulus* abſtulerat ante bellum Camerinum, quod bellum *Plutarchus* ad annum regni *Romuli* decimum ſextum refert. Diu autem pertuliſſe Vejentes æquo animo

animo ſuæ urbis jacturam, credibile non eſt, ſed ideo potius ſtatim a confecto bello Camerino *Romulum*, id eſt, anno 17 U. C. aggreſſos fuiſſe. Etiam hoc urget, quod omnes Hiſtorici, *Romulum*, dicant, admodum juvenem inſtituiſſe & peregiſſe res maximas, fundaſſe urbem, purgaſſe terram a latronibus, bella geſſiſſe cum vicinis, & pacem pepigiſſe, quæ omnia in adoleſcentem ætatem non cadant. *Numæ* ait ætatem poſſe quidem ex ea traditione indagari & erui, quæ Regem illum perhibet ad *Pythagoram* audiendum acceſſiſſe. Quando vero ſibi conſtitutum ſit hoc opuſculo, non tam in initia Regum inquirere, quam, quot annos obtinuerint, probabiliter definire, ſaltim eorum, quæ vulgo hac de re perhibentur, ἀλογίαν demonſtrare, hoc quidem omittit, etiamſi, *Numæ* depreſſa ætate, ceterorum quoque ſecutorum Regum curtari debeat ætas. Sed id potius urget, quod *Plutarchus* ait, *Numam* anno ætatis 40 regnum adiiſſe, idque annos 43 tenuiſſe. Poſterius hoc *Livius* quoque tradit. Atqui probabilem non eſſe in octo luſtrorum ætate tantam ſapientiam, quantæ fama & admiratio, poſt annuum interregnum multasque patrum contentiones, *Numæ* regnum comparaverit. Si perſtet hæc relatio, effici, ut anno ætatis vigeſimo quinto eadem polluerit *Numa* ſapientia, qua ſub vitæ finem Romanas res adminiſtravit, ſiquidem *Tatius*, qui ante annum U. C. 16 deceſſit, *Numæ* ſapientia gloriaque motus, unicam ipſi ſuam filiam deſponſavit, quacum 13 annos exegit in matrimonio, & viduus demum regnum adiit. Etiam hoc urget improbabile, Romanos per annos ſexaginta quinque in tanta vicinorum hoſtium copia inertem pacem ferre & tueri, neque tamen emolleſcere, potuiſſe, quin ſtatim ſub *Tullo Hoſtilio* martiales animos reſumerent. Nam, ſi recte habet veterum illa, quam Noſter appellat, technica chronologia, efficitur, Romanos ſub *Romulo* quidem 21 annos, in interregno unum, ſub *Numa* denique 43, ab armis ceſſaſſe. Sibi ergo probabilius videri *Numæ* regnum viginti tribus fere annis non amplius, quod ab anno ætatis ejus ſexageſimo inceperit. Et ſic pacatum quoque Romanorum otium 24 annos non excedere. *Tulli Hoſtilii* & *Anci Martii* regna pariter contrahenda putat, quorum ille annos 32, hic 24, perhibetur obtinuiſſe. Hac enim ratione majorem veri ſpeciem

Digitized by Google

Liviana traditioni conciliari, quæ, ambos prolem impuberem regnoque ineptam reliquiſſe, cum vita decederent, affirmat, cum e contrario improbabile valde ſit, *Ancum*, qui, quandoquidem quinto anno ante *Numæ* exceſſum natus eſt, ſexagenarius obiit, liberos adultos non habuiſſe, parum hac in re ceteris Regibus ſimilem, qui mature ſibi de ſobole olim ſucceſſura proſpiciunt. Neque hic valere, quod opponi poſſit, forte ante *Anci* finem deceſſiſſe omnem ejus maſculam ætate provectam prolem: quod foret absque certa ratione fingere; neque id valere, quod afferri poſſet, nihil profuiſſe Regibus, illo quidem vetuſto tempore, continuandi generis curam, cum hæreditate non ſolerent regna a patribus ad filios tranſire, ſed a civium voluntate penderet in ſummam poteſtatem ſucceſſio. Romanos enim in conferendo ſuo regno regiarum familiarum rationem habuiſſe, cum ex illo ipſo *Anco Martio* patere, qui *Numæ* nepos fuerit, tum ex eo, quod *Tarquinius Priſcus*, filiorum *Anci* tutor, eos ipſo die comitiorum Roma venatum ablegavit, ne ſcilicet eorum præſentia ſibi regnum ambienti officeret, quod ipſi conſilium, ut tunc quidem feliciter ſucceſſit, poſtea tamen exitio fuit. Filii enim *Anci*, ægre ferentes, paternum & avitum regnum a tutore ſibi ereptum, *Tarquinium*, poſtquam annos 38 regnaſſet, ipſi jam quinquagenarii, occiderunt. Quod ita contigiſſe, maxime eſt improbabile. Tale enim facinus prorſus inutile; (percuſſores enim nihilo magis ad regnum admittebantur,) fervida & temeraria juventute, quam prudentia, dignius eſt, tot annis maturata, quot certe ad affectum vel violentiſſimum obtundendum & exſtinguendum ſufficere potuerant. Probabiliter itaque contrahendos eſſe *Tarquinii* annos. Id ipſum ſtatuit in annos *Tullii Servii*, qui, ne idem, quod anteceſſor, pateretur, id eſt, ne a regiis juvenibus trucidaretur, quos regno privaverat, *Tarquiniis* nempe, geminas illis ſuas filias in matrimonium collocabat ſtatim ſub regni initium, & earum quidem unam illi *Tarquinio*, qui poſtea *Superbi* cognomen meruit. Ille *Tarquinius* eo tempore, quo uxorem ducebat, jam adultus erat juvenis, magnorum ſpirituum, fidentis animi, regnique paterni avidiſſimus; quem quadraginta qua-

quatuor annorum moras vitamque privatam ſub ſocero principe ferre, eo minus eſt probabile, quo magis ambitioſum hominem inquieta & impia uxor ſtimulabat. Semper etiam per totum imperii *Serviani* decurſum pingitur hic *Tarquinius* ut juvenis vegetus & robuſtus, quem etiam in *Servii* nece monſtravit, cum ſublatum manibus ſenem e ſcala præcipitem dedit. Atqui tamen, ſi ſub initium *Servii* tantum viginti annorum juvenis ſtatuatur, egiſſe eo tempore, quo ſocerum de vita tollebat, & ipſe regnum invadebat, annum ætatis ſexageſimum quartum, &, cùm deinceps regno rurſus poſt viginti quinque annos excideret, annum ætatis nonum & octogeſimum. Annis aliquot & forte bene multis poſt legitur, centenario, ſaltem nonagenario, major, equum conſcendiſſe, & pugnam cum *Poſtumio* conſeruiſſe, quod omnem fidem ſuperat. Eſt & aliud adhuc, qnod hujus annos *Tarquinii* compendifaciendos eſſe evincit; hoc nimirum, illi Ardeæ obſidioni, quæ regifugio & libertati Romanæ natales dedit, *Tarquinium Collatinum* interfuiſſe, ejus *Egerii* filium, quem *Tarquinius Priſcus* A. U. 155 ferme recens acquiſito Sabinorum oppido, Collatino, cuſtodem præfecerat, id eſt, tali muneri, quali gerendo homo ſaltem triginta minor annis ineptus eſt. Atqui talis viri filium A. U. 244, quo nempe Ardeam obſidebant Romani, adhuc juvenem eſſe, cum ſana ratione & rerum natura pùgnat. Quodſi ergo huic de *Egerio* & *Collatino*, item & illi ipſi de *Tarquinio Priſco* & *Superbo*, traditioni, quæ hunc iſtius filium appellat, ſuam volumus rationem conſtare, neceſſe eſt, ut *Tarquinii Priſci*, *Servii Tullii*, & *Tarquinii Superbi*, tempora contrahamus in ſpatium, quod duas hominum generationes non excedat. Multa poſſe alia huc afferri, ait Clariſſ. Autor, quæ veteris de regno Romano traditionis inconvenientiam demonſtrent. At ea quidem omittit, & hoc tantum evincit, a *Romulo* usque ad *Tarquinium Superbum* non fuiſſe numeratas niſi quatuor generationes, quæ ſi conſueto modo computentur, ut in unam triginta anni conveniant, centum & triginta non excedant, & multo pauciores requirant, ſi calculum *Newtonianum* ſequaris. Hac

adniſſa

Digitized by Google

admiſſa ratione non tantum confirmari Syſtema Chronologicum *Newtoni*, ſed etiam *Virgilium* erroris abſolvi, cujus ideo reus vulgo agitur, quod *Æneam* & *Didonem* in unum tempus confudit; & ipſum quoque *Numam* in ea referri tempora, quibus potuerit commode *Pythagoram* frequentare, quod eum feciſſe fama tulit. Hæc fere ſunt exigui quidem, at argumenti ponderibus gravis, libelli momenta.

NOVA LITERARIA.

Perlata eſt ad nos Epiſtola, a *Blaſio Ugolino* Venetiis ad Celeberrimum *Chriſtianum Benedictum Michaelis*, Ling. S. Ordin. Profeſſ. Halenſem, perſcripta, plagulisque duabus formæ quadruplicatæ edita, in qua, præter honorifica de ipſo, & *Walchiorum* fratrum pari, itemque de *Baumgartenio*, judicia, Clariſſ. *Chriſt. Schœttgenius* multis reprehenditur, quod de *Ugolini Theſauro Antiquitatum Hebraicarum* minus benevole ſenſerit, & in omnes fere Philologos invectivam orationem perſcripſerit. Adduci tamen *Ugolinus* non poteſt, quin ſibi perſuadeat, *Schœttgenium* autorem eſſe eorum, quæ in Novis Lipſienſibus eruditis ei tribuuntur, ſed ab aliquo potius veteratore conficta eſſe putat, ut Clariſſimo Viro turbas & invidiam excitaret. Interim tamen, cum res omnis ad *Maimonidis* autoritatem, num genuina illa ſcilicet in literis Hebraicis ſit, nec ne, referatur, operæ pretium fore Noſter putat, doctoris hujus Judaici autoritatem vindicare, & duplici via confirmare. Altera quidem ex judicio & teſtimonio aliorum celeberrimorum virorum diſputat, qui maximam ſemper fidem *Maimonidi* habendam eſſe putarunt. Altera vero demonſtrat, doctiſſimum hunc Judæum in Commentarios ſuos, vetuſtate conſpicuos, nihil fere intuliſſe, niſi quod ex antiquiſſimis Judæorum monumentis excerpſerit. Profert hanc in rem Epiſtolam, a *Maimonide* ad R. *Pinchaſum*, Judicem Alexandrinum, hac ſuper re ampliſſimis omnino verbis datam, quam ſub finem per alia quoque rerum momenta ulterius confirmatam reddit.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXLIX.
Pars I.

LUCERNÆ FICTILES MUSEI PASSERII.
Sumtibus Academiæ Piſaurenſis.
Tomus I.

Piſauri, in ædibus Gavelliis, 1739, fol.
Alph. 1 plag. 9, cum Figuris æneis 105.

Quæ hic æri inciſæ cum orbe erudito communicantur Lucernæ fictiles, aſſervantur Piſauri in Muſeo *Joannis Baptiſtæ Paſſerii*, Juriſconſulti excellenti, qui, pro eo, quo fertur in id genus antiquorum monumentorum, ſtudio, non tantum deſcripſit figuras Lucernarum, quæ hic exhibentur, ſed & in Prolegomenis de Lucernarum origine & antiquitate, materia, & ratione eas figurandi, diſſerit, &, quando apud Italos uſu invaluerint, quibusque in officinis, & quibuscum inſcriptionibus, formatæ fuerint, disquirit, tandemque, eas ſacras, feſtivas, domeſticas, ac ſepulcrales, fuiſſe, confirmat. Nos, inſtitutum ſervantes, figuras, quas Conſ. *Paſſerius* ære expreſſas paucis illuſtravit, eo, quo ſequuntur, ordine Lectoribus noſtris indicabimus: 1) *Panthei* imago capite loti flore, ſeu perſeæ, ornato conſpicitur, alatisque humeris, & dextræ manus indicem digitum ori admovet, ſubjecta inſcriptione: *Deo, qui eſt maximus;* 2) Dea *Panthea*, media inter aras thus adolet, alis capiti utrinque additis, & cum cornu co-

piæ lotoque; 3) quatuor Deorum ſymbola, *Jovis*, *Palladis*, *Æſculapii*, ac *Mercurii*; 4) *Janus* bifrons, cujus in deſcriptione Conſ. Autor peculiare opus *de Diis Piſaurenſibus* promittit, in eoque non tantum patrios Deos, ſed data occaſione ceteros etiam, ſe ad trutinam revocaturum eſſe, ſignificat; 5) Lucernæ hujus diſcus exhibet nummos omnigenos, trientes, ac ſemiſſes, aſſe medium obtinente; quo emblemate, judice Doctiſſ. Editore, ad eas ſtreuas alluditur, quæ Calendis Januariis mitti ſolebant; 6) *Victoria* cum clypeo & lauri ramuſculo: a tergo eſt aſſis, *Jani* imagine ſignatus; 7) *Cœlus*, quem nondum depictum habuimus, qui ſublimis a dextra ad ſiniſtram fertur, peplum late extendens; 8) Dea *Nox*, quæ genua & pedes in occidentem convertit, vultu retrorſum converſo in orientem reſpicit, & peplum ampliſſimum pandit, proſilit ſuperne alatus dies; 9) caput *Saturni* cum falce; 10) *Saturnus*, diademate cinctus, runcinam oſtentat, calathumque pomis redundantem; 11) quatuor anni tempora; 12) caput muliebre velatum, quod *Veſtæ* interpretatur Doctiſſ. Autor; 13) mulier aræ adſtans, velum ſive vittam, attollit, quam Veſtalem, forte novam eſſe auguratur, quæ, e populo ſorte lecta, ad ſacra arcana admoveatur, nondum longa ſtola, vel toga, inſignita; 14) capita *Telluris*, *Jovis*, *Solis*, & *Lunæ*; 15) ſeptem Planetarum capita, vel, ut Conſ. *Paſſerius* mavult, Dii hebdomadæ præſides, a quibus ſinguli dies nomen acceperunt; 16) *Cybeles* imago, quæ curriculo vehitur, cujusmodi thenſas Romani appellabant; 17) *Atys* δενδροφόρος, cultu Phrygio; 18) *Atys* venator, quamvis ambigat Clariſſ. Autor, an *Ganymedes* potius repræſentetur; 19) ſed & *Cybele*, leunculis hinc inde ſolio adſtantibus, & adſtat Phrygio cultu ſacrificus *Atys*; 20) *Ceres*, draconibus faces ambientibus, & additus eſt calathus, herbis, ſeu ſpicis, onuſtus; & *Ceres Erynnis*, cum face & ciſta myſtica; 21) *Ceres* cum gemino copiæ cornu; 22) candelabrum *Cereris*; 23) caput *Jovis*, fulmine a tergo poſito, coronatum, barba & capillis calamiſtratis ornatum; 24) *Jupiter* cum vaſis Pontificalibus; 25) & 26) *Jupiter* ab aquila elatus; 27) aquila cum tropæo; 28) *Jupiter Capitolinus*, coronam

Digitized by Google

nam ſinu præferens; 29) templum *Jovis Capitolini*, in cujus fronte quatuor columnæ trina intervalla conficiunt, in quibus *Jovis, Minervæ*, & *Junonis*, ſimulacra collocata ſunt; 30) *Jupiter Cuſtos*, medius inter duos canes aſſidentes, quæ præcipua ejus nota exiſtimanda eſt; 31) *Jupiter Dapalis*, dextra haſtæ innixus, ſiniſtra fulmen tenens, ſcabello pedes imponit, adſtat aquila; 32) *Jupiter Ammon*; 33) *Jupiter Serenus*; 34) *Genii Jovis*, palliolo adoperti, quorum alter aquilæ libum porrigit; 35) & 36) ſacrificia, quæ, cum nullo indicio, cui potiſſimum Numini tribuenda ſint, deprehendi poſſit, *Jovi* adſcripſit Conſ. Editor; 37) *Juno Jugalis*, manus utriusque ſponſi collo injiciens, quæ ex conjectura Viri doctiſſimi illud nuptiarum genus, confarreationem dictum, indicat; 38) *Hymenæus*, qui aſſe nuptiarum genus, quod coemtione, & face, quam tenet, & urna, nuptiarum genus, quod uſu fiebat, declarare dicitur Autori; 39) Matronæ, ſtola amictæ, floribus coronatæ, flores aræ imponunt; 40) Pavo, qui ad *Junonem* pertinet; 41) Monetæ, quæ tribus monetæ metallis præſidere credebantur; 42) *Neptunus* imberbis, Delphino inſidens; 43) *Triton*; 44) Tridens & Piſces; 45) Tropæum navale; 46) Genius *Neptuni*; 47) Scylla; 48) Caper marinus; 49) monſtra marina; 50) Delphinus, lyram gerens; 51) conchæ; 52) *Minervæ* nativitas, quam ad Etruſcam potius, quam Græcam, theologiam refert Autor; 53) & 54) *Minervæ* capita, quibus diverſæ caſſides imponuntur: nam in altera *Triton*, in altera *Victoria*, cælata eſt; 55) *Palladis* protome; 56) 57) & 58) *Palladis* ſimulacra; 59) & 60) *Minerva* pacifera, dimiſſo clypeo; 61) *Minerva*, poſito humi clypeo, rejectaque in ſiniſtram ulnam lancea, dextram protendens, aliquid ediſſerere videtur, quam ideo Clariſſ. Editor *conſiliariam* appellavit; 62) *Pallas*, tropæum gerens, quæ ὁπλοφόρος eidem dicitur; 63) *Pallas* cum ciſta myſtica; 64) *Palladium*; 65) *Noctua*; 66) *Meduſa* ſine ſerpentibus; 67) Genius *Minervæ*; 68) Aries, qui *Minervæ* aram cornu impetit, quem Autor ſigillatoris jocum eſſe affirmat; 69) & 70) candelabrum *Apollinis*; 71) & 72) *Apollo* arcitenens; 73) & 74) *Apollo* citharœdus;

 75)

75) *Apollo* cum quadrigis; 76) *Apollo* inter *Thaliam* & *Melpomenen;* 77) Genius *Apollinis*; 78) Tripus, lyra, laurus; 79) Gryphes, quæ aves *Apollini* ſacræ fuerunt; 80) *Pegaſus;* 81) *Muſa*, quæ columellæ innititur; 82) *Muſarum* genius, qui columnæ innititur, tibias gerit, & dextera falcatum quidpiam tenet; 83) & 84) caput & protome *Solis*; 85) quadrigæ *Solis*; 86) & 87) ſigna *Zodiaci*; 88) *Solis* & *Lunæ* capita jugata; 89) capita *Solis*, *Martis*, & *Veneris*; 90) *Mithra*, quæ ſacrificantis geſtu exprimitur, taurique guttur ad cœlum attollit; 91) aſtrum, quod, quando quinque radios habet, *Solis* eſt ſymbolum, & *Luna* ſilens; 92) bigæ *Solis*; 93) *Diana*, globo inſiſtens; 94) *Diana*, geminam facem præferens; 95) Genius *Dianæ Luciferæ*; 96) *Diana* venatrix; 97) *Hecates* candelabrum; 98) *Diana Epheſia;* 99) caput bovis, infulis ornatum; 100) *Mercurius;* 101) Genii Mercuriales; 102) *Mercurius* cum cane & capro; 103) *Mercurius*, crumena inſignitus, quem ex marmore antiquo negotiatorem appellat Doctiſſ. Editor; 104) *Mercurius* & *Apollo*; 105) *Mercurii* ſymbola, petaſus, opera, caduceus. Quod Operis parerga attinet, initialem Epiſtolæ literam exornat Genius publicus Sardæ inciſus. Initialis Prolegomenorum litera apologum *Æſopi* Sardæ inciſum refert, in quo vulpecula lignarium redarguit, quod ab eo minus fideliter defenſa fuerit. Prolegomenis tres ſunt gemmæ præfixæ, in quarum prima vir armatus Sardæ inciſus eo prorſus habitu, quo virtus in nummis plerumque repræſentatur, in altera *Victoria* ſedens, in tertia denique *Victoria* ſceptrum & phialam tenens. Id tamen non poſſumus diffiteri, in legendo nos male habuiſſe, quod non tantum Græca verba, licet ſint rariora, plerumque falſo exhibeantur, ſed & in ipſis verbis usque adeo ſit contra Grammaticorum regulas peccatum, ut auribus elegantiæ Latinæ aſſuetis id ipſum ſæpius acciderit ingratiſſimum. Interim & hæ Lucernæ ſatis teſtimonii eſſe poſſunt de veterum conſtantia in ſuis Diis repræſentandis, &, qui in hoc genere elaborant, iisdem commode uti poſſe videntur.

DE BONONIENSI SCIENTIARUM ET ARtium Inſtituto atque Academia Commentarii.

Tom

Tomi II. Pars II & III.

Bononiæ, apud Lælium à Vulpe, 1746 & 1747, 4 maj.
Pars II, Alph. 2 plag. 6, Fig. æn. 24, Pars III Alph. 3 plag. 3, Fig. æn. 15.

Inter hæc Academicorum Bononienſium Opuſcula, (de Commentariis enim *Anno* ſuperiore diximus,) primum locum *Euſtachii Manfredii Commentatio de aucta maris altitudine* habet. Pag. 1. Diſquiſitioni huic id anſam dedit: Cum A. 1731 Ravennæ altitudines variorum locorum, reſpectu ſuperficiei maris, libellæ ope dimenſus eſſet Autor; accidit, ut forte Eccleſiæ cathedralis, annis ante millibus & trecentis exſtructæ, fundamenta reficerentur, ibique, fovea ad aliquot pedes acta, deprehenderetur, ſolum antiquum, pulcherrimum, marmoreum, adeo quidem depreſſum, ut ſupra maris ſuperficiem exſtaret uncias non amplius ſex, mari ſubſidente, uncias vero plus octo infra eſſet, mari intumeſcente. Quod idem phænomenon in aliis quoque vetuſtiſſimis ædificiis apparet. Cum igitur vero nequaquam ſit ſimile, ſolum hoc ea in profunditate initio fuiſſe conſtructum; rei hujus mirabilis alterutra harum ſit cauſa, neceſſe eſt: vel ut pavimentum ipſum paulatim infra terram ſe ſubmiſerit, vel ipſa maris ſuperficies elata ſit altius. Quarum prior incongrua videtur, poſterior potius veritati conſentanea, cujusque plura alia indicia ſe Venetiis inveniſſe, affirmavit *Zendrinus*. Poterit autem elatio illa maris ſucceſſiva commode derivari a terra, vi fluminum continuo in mare delata, in ejusque fundo ſubſidente. Obiter hic eorum ſententiæ occurrit Autor, qui, mare non elevari temporis ſucceſſu, ſed potius deprimi, e receſſu ejus ab oris hinc inde facto colligunt; & contra litus continuo elevari paululum alluvione ſabuli, unde aquæ receſſiſſe videantur, oſtendit. Sed generatim ſaltem cauſam hanc cognoviſſe non contentus, in ipſam quantitatem terræ, in mare continuo delatæ, inquirit, ut exinde, quantum certo temporis ſpatio fiat ſenſibilis, appareat; Quod ita aggreſſus eſt: Ex optimis obſervationibus minimum ſumendo, ponit, quotannis uncias 18 aquæ in terram

 deci-

Digitized by Google

decidere. Cum vero non omnis hæc quantitas per fluvios in mare deferatur; tertiam ſaltem ejus partem, uncias nempe ſex Pariſienſes, vel quinque Bononienſes, fluminibus devehi, aſſumit. Dein experimentum cepit de quantitate terræ, in aqua fluvia mediocriter turbida contentæ; quam invenit eſſe ad aquam ut 1: 174. Unde, cum ſuperficies maris ſit fere dupla terreſtris, mare circiter unciis quinque annis 348 elevari, colligit. Alia quoque, menſuram hanc confirmantia, affert. Uſum prœterea hujus disquiſitionis explicat. Tandem, eandem materiam jam ab *Hartſœkero* tractatam ſe repeririſſe, eumque, quoad fundamentum, prorſus cum ipſo conſpirare, niſi quod elevationis

Pag. 20. quantitatem tradat paulo aliam, indicat. Sequitur *Dominici Guſmanni Galeatii de ferreis particulis, quæ in corporibus reperiuntur*, Diſſertatio, cujus duæ partes ſunt: altera *Godofredi* & *Lemerii* experimenta continet, altera obſervationum, a *Galeatio* factarum, eas, quæ vel novi quid exhibent, vel priorum obſervationes confirmant, aut in dubium revocant. Atque ex his primum id eſt, quod *Lemerius* de acidis ſalibus à naturalibus ferri principiis excludendis habet. Quod enim oleum *Lemerius* pro uno ex præcipuis ferri principiis agnoſcit, id ſulphureum principium eſt, acidis ſalibus remixtum. Neque per hoc adeo, ſed per alcalicas ferri particulas, fit, ut ferrum cum acidis efferveſcat, videturque alcalicarum potius, quam oleoſarum, partium defectus efficere, ut croci, exempli gratia, nullam ab acidis mutationem patiantur. Ferrum vero, a nimia acidorum ſalium, vel aliarum partium heterogenearum, unione irretitum, nullum ad magnetem ſenſibilem motum edit propter hoc, quod mutata pororum directio, & inepta ferrearum particularum diſpoſitio, eſt. Magneticus pulvis, etſi a magnete trahitur, non tamen, ut ferrum, cum acidis efferveſcit, quod *Lemerii* opinionem de ferrea ſubſtantia in magneticam mutanda confirmare videtur. Ut vero *Galeatius* in terris atque argillis, vel plane non, vel ſine oleo, uſtis, ferri quaſdam particulas invenit; ſic plurimas in pictoria terra, *terra d'ombra* dicta, invenit; invenit quoque in cornu cervi & viperæ cineribus, non vero in lapidiferis plantis. Ad *Lemerianam*

vero

vero hypotheſin confirmandam plurimum faciunt illa experimenta, quæ Autor in plantis, & animalibus, circa ferri fodinas creſcentibus viventibusque, cepit, & per quæ, eorum corporum cineribus, cognovit, longe plus ferrearum particularum ineſſe, quam illis ſimilium corporum, in aliis regionibus viventium. Ex animantium vero, quæ examinavit, corporibus, avibus, ranis, & hirudinibus, deprehendit, incredibilem fere micarum ferri modum ineſſe, quod probabiliter factum eſt propter hoc, quod horum tota corpora combuſta ſunt cum alimentis, in ventriculo & inteſtinis relictis, reliquorum vero non niſi partes quædam. Idem vero in hominum, in iisdem regionibus viventium, ſanguine atque urina inventum non eſt, ut qui non niſi in remotioribus terris natis alimentis potionibusque utebantur. Contra fœminarum duarum, longe a ferri fodinis commorantium, urinæ permagnam vim particularum ferri demiſerunt, quarum altera ſæpe ferri limaturam aſſumſerat. Tandem, ſi aperientia, inter quæ martialia efficaciſſima ſunt, unquam e vegetabilibus & animalibus deſumenda ſint, ab iis potiſſimum, quæ prope fodinas ferri vivunt, deſumi, prætereaque ipſum ferrum in tenuiſſimum pollinem redactum, reliquis anteponi oportere, *Galeatius* monet, *Mali Punici* deinde *deſcriptio*, Autore *Joſepho Putio*, ſequitur. Isque ſe dicit in lignoſa ejus ſubſtantia, quam malicorium vocant, & quæ ex turgidis fibrarum faſciculis, in retis formam contextis, conſtat, *Malpighii* tracheas fruſtra quæſiiſſe. Fibræ autem lignoſæ, antequam ad extremum perveniunt, in ſolidos faſciculos collectæ, in quinque, vel ſex, acutas lacinias dividuntur, pomi coronam conſtituentes. Singulis levis & vaſculoſa membrana ineſt, cujus majora foramina canaliculos quosdam transmittunt, quæ nil niſi pedunculi ſunt, longa fibrarum, crucis in modum ſe interſecantium, ſerie coaleſcentes, & ſuccum viridem, auſterique ſaporis, continentes. His pedunculis capſulæ diverſæ figuræ appenduntur, cujus ſupremam partem tres protuberantes coſtulæ ſcabram faciunt, & in qua intus perforatum aliquod involucrum apparet, in cujus foraminulis pulviſculus tenuiſſimus detinetur. Is per tubam Pag. 41.

fer-

Digitized by Google

ſertur, quæ tanquam amplus canalis in medio pedunculorum aſſurgit, & proxime ſub corona punici mali, in rotundum corpus, umbilici in formam prominens, terminatur. Idque in quinque, vel plures, membranas expanditur, quæ, interno malicorii involucro adhærentes, omenti formam habent, ſubjecta grana tegunt, & per quas lineæ aliæ rectæ, aliæ contortæ, excurrunt, quarum hæ ſpermatica vaſa eſſe videntur, illæ nutrientia. Pulviſculus igitur, tubam ingreſſus, ſpermatica vaſa ſubit, in quibus perfectior factus, ubi ad malicorii internum corticem pervenit, pedunculos granorum intrat, per ambientem liquorem diſtribuitur, tandemque in interna nuclei ſubſtantia vel plantæ conformationem, vel ejusdem partium ampliationem, inſtituit. Ex punico malo, varie igne vexatō, Autor obtinuit acidum ſuccum, extractum acidiuſculum, phlegma empyrevmaticum, oleum nigrum, auſterum, inflammabile, mucilaginem inſipidam, oleum expreſſum, illi amygdalarum ſimile, ſalis volatilis nihil, ſal vero fixum, ſalſum, ab aere ſolubile. Ex his extractum potiſſimum acidiuſculum ad fallendam ſitim in ardentibus febribus, in quibus ſoluti humores ſunt, commendat, atque fluoris albi meminit, bis per nucleorum pulverem profligati, qui, cum thuris portiuncula
Pag. 57. mixtus, in aqua roſarum datus fuit. Ex *Cajetani Montii* Sermone *de Pendulino Bononienſium*, ſive *Remiz Polonorum*, id tantum huc transferemus, quod aviculæ hujus deſcriptionem ſpectat; nidus enim ab aliis jam recte deſcriptus fuit, tum quoque depictus. Eſt vero avicula paro atro minore parum major. Roſtrum breve habet acutum, plumbei coloris, plumas maximam partem cinereas, prope guttur paulum albidas, in dorſo, ſcapulis, alis, rufas. In remigibus alarum pennas atras habet, in pectore, ventre, femoribus inter cinereum ac rufum medii coloris, in cauda, præter exteriores, quæ rufeſcunt, nigras, & a rictu oris per oculos ad occiput maculam nigram. In fœmina rufus alarum & dorſi color paulo dilutior eſt, caput, præter maculam nigram, totum cinereum, pro-
65. na pars tota decolor, ac pæne cinerea. *Petri Pauli Molinellii* longus *de Aneuryſmate* Sermo *e læſa brachii in mittendo ſan-*

ſanguine arteria, partim quinque obſervationes continet, & harum occaſione factas animadverſiones. Obſervationum quatuor in vivis, earumque duæ a *Molinellio*, una a *Valſalva*, atque alia ab alio Chirurgo, factæ ſunt, quintam *Molinellius* in mortuo fecit, cui olim *Valſalva* aneuryſmatis curationem adhibuerat. Hæc omnia aneuryſmata, quia arteria in ſaccum dilatata fuit, vera fuerunt, atque ita ſanata, ut, ſi a primo recedas, in omnibus brachio priſtinum robur plene redderetur. In omnibus non ſuffecit, arteriam ſupra infraque ſaccum lino conſtringere, ſed *Molinellius* præcipue, quia arteriæ ramos aliquot videbat, poſterius in illam arteriæ partem patere, quæ in ſaccum dilatata erat, hunc diſſectum utrinque acu perfodere, ac lino devincire, coactus fuerat, tamen poſt unum alterumque diem calor ſenſusque cubito rediit, ſpiritu vini cum camphora diligenter foto, & ægri trium menſium circiter ſpatio convaluerunt. In mortui brachio arteria per duorum pollicum tractum omnino deficiebat, deſinens ſuperius in alterum minorem ramum, qui per adjacentem, gangliique in modum prope arteriam tumidum factum, nervum excurrebat, alterum majorem, qui ſe intra carnes demittens, & admodum tortuoſe incedens, inſulamque formans, radiali arteriæ, non procul ab ejus initio, inſerebatur. Inferior arteriæ brachialis portio in capitulum deſinebat, cæcum, & arteriæ deficientis locum corpus membraneum occupabat, craſſum, inæquale, & cinerei fere coloris. Jam, ut quoque ad annotationes veniamus, prima de murmure eſt, quod, cum pro ſpurii aneuryſmatis indicio habeatur, *Molinellius* in vero quoque inter comprimendum percepit. Altera de nervo eſt, qui ſine noxa ligari poſſit, & qui ligatus craſſior fiat. Tertio loco, non arteriam tantum, monet, ſuper ſacco, ſed hujus quoque particulam lino devinciendam eſſe, ut & in ſaccum influentes ſanguinis rivi præcludantur. Quarta animadverſio ad acus *Petiti* pertinet, quarum non niſi tenuiorem, vel anguſtiorem, probat, ſaltem in veris aneuryſmatibus, partim quia altera, utut lata, tamen tam lata non ſit, ut arteria utrinque truncum attingat, partim quia, etſi contingeret, tamen, ſi plures arte-

Digitized by Google

Pag. 10. riæ vinciendæ eſſent, duo fila non ſufficerent. Idem, quod Autor de arteriis in ſaccum patentibus propoſuit, ab *Anellio* propoſitæ curationis inutilitatem oſtendit, pariter ac illius, quam plerique per compreſſionem ſuſcipiunt, niſi quod hæc, lateralium arteriarum dilatationem faciendo, tum ſymptomata leviora, tum ſanationem perfectiorem, efficiat. Reliquæ animadverſiones rami lateralis in mortui brachio inventum tortuoſum progreſſum, nervique mutationem, ſpectant, qui quoniam fibras interiores multo manifeſtiores exhibuit, *Molinellius* judicat, poſſe fortaſſis experimenta, in vivis animalibus cum nervis tentata, ad interiorem eorum conformationem cognoſcendam aliquid conferre. In fine Sermonis *Gualtani*, Romani Chirurgi, de aneuryſmate brachii obſervatio legitur, quam, quia ſeorſim edita fuit, alio loco proponemus. Hanc *Joſephi Veratti* excipit de *Veſicantium natura* Commentatio, inter quæ non cantharides tantum, verum etiam euphorbii & tithymali ſuccum, aliaque rubefacientia, retulit. Cum his ita experimenta inſtituit, ut primum cum corporis humani variis ſuccis miſceret, tum vero & principia eorum variis modis eliceret. Sanguis vero & ſanorum & ægrotantium protinus coactus fuit, neque, ut *Baglivius* voluit, quanquam per novem dies immotus ſteterit, iterum ſolutus, atque in colore ſuo mutatus. Neque feri aliqua mutatio facta fuit, aut, quo minus igni admotum concreſceret, per veſicantia addita prohibitum. Ex quibus experimentis etſi videtur recte colligi poſſe, veſicantia, intus ſumta, atque in ſanguinem delata, ſolvendi vim nullam habere, tamen & cuti admota non habere, propterea minus recte videtur, quia tunc nervos ſolidaque potius afficiunt, horumque vim excitando ad ſolvendos humores aliquid conferre, veri non diſſimile eſt. *Verattus* vero veſicantia quoque aqua & ſpiritu vini tentavit, atque ex ſolutione potiſſimum cantharidum extractum obtinuit. Quod ſolutio cum aqua facta dedit pariter ac ab utraque reſiduus pulvis, ne quidem ruborem aliquem in cute excitavit: extractum vero veſicas tam magnas, quam acerrima veſicantia non faciebant. Experimenta cum igne facta in Opuſculis ipſis legi

gi oportet. *Vincentii Menghini* Sermo, etſi *de aquis chalybeatis* tantum inſcriptus eſt, tamen & de mercurialibus & antimonialibus aquis agit. Omnia experimenta, quæ cum mercurio, chalybe, antimonio, & aqua, tum ſimplici puteali, fontana & pluviali, tum deſtillata, fecit, nihil eam ex his tribus corporibus extrahere oſtenderunt, eosque longe a veritate aberrare, qui certis ægritudinibus ſuccurrere per ejusmodi aquas contendunt, ob ſenſibiles, manifeſtas, integras, mineralium particulas, quas eis adjunctas putant. In *Matthæi Bazani* Sermone *de oſſium colorandorum artificio per radicem rubiæ* vix aliquid novi. Vidit tamen *Bazanus*, rubiam, a gallinaceis devoratam, in ventriculo rubedinem ſuam perdere, tum oſſa ad rubrum colorem hauriendum aptiſſima eſſe, reliquos quaſi reſpuere, rubiamque adeo, cui aperiendi vis inſit, oſſium nonnullis morbis ſigillatim mederi poſſe. Ab his ad ea transeamus, quæ *Franc. Maria Zanottus de hyperbolicis quibusdam ſpatiis* exponit. Quomodo e duobus ſpatiis circularibus ſpatium quadrabile effecerit *Hippocrates*, ſatis conſtat. Idem in hyperbola præſtare hic conatur Autor. Totum negotium eo redit, ut conſtituantur duo ſpatia hyperbolica æqualia, partem aliquam communem habentia, qua demta, remaneat ab una parte ſpatium hyperbolis incluſum, ab altera rectilineum. Omnia more veterum operoſe demonſtravit. Addidit quædam, ad æqualitatem ſpatiorum, duabus hyperbolis ſe interſecantibus & recta comprehenſorum, ſpectantia. Quæ ſit *Amontonianorum* thermometrorum ratio, nemo ignorat. Fuit autem a *Dominico Guſmanno Galeatio* obſervatum, thermometra illa varietates pati, quas aeris externi preſſio non efficiat, & cauſam, qua fiat, ut elaſticitas incluſi aeris mercurium ſuſtineat in thermometris multis ad varias altitudines, neque a diverſa globulorum magnitudine, aut forma, neque a varia tuborum proportione, ut putabatur, verum a rebus variis, petendam eſſe, quæ, aeri in thermometro incluſo admixtæ, ita ejus elaſticitatem mutare queant, ut proinde inſtrumentum parari vix poſſit, quo ſatis certo poſſimus aeris calorem metiri. Idque *Galeatius* per varia experimenta cognovit,

Pag. 117. 124. 186. 201.

Pag. 210. quæ quidem hic recenſere nimis longum foret. Exponemus autem, quæ *Euſtachius Zanottus de figura telluris* dixit. Propoſitum eſt Autori, exhibere problemata quædam, menſuræ telluris e certis datis definiendæ inſervientia. Principio, quænam quantitates in hac diſpoſitione ceu cognitæ aſſumi poſſint, declarat. Problemata ipſa ſunt hæc quatuor: Datis duobus gradibus, ad meridianum rectis, diverſam latitudinem habentibus; vel datis duobus gradibus meridiani, diverſam latitudinem habentibus; vel datis duobus gradibus, altero Meridiani, altero ad Meridianum recto, eandem latitudinem habentibus; vel denique datis duobus ejuſmodi gradibus, ſed diverſam latitudinem habentibus, invenire utrumque Telluris axem. Horum omnium ſolutio, trium quidem priorum exacte, ultimi per adproximationem, ſiſtitur. *De ferrearum par-*
244. *ticularum ſede in ſanguine* longus admodum *Vincentii Menghini ad Zanottum* ſermo eſt. *Menghinus* ut, quæ ſit ferri in corpus humanum agendi ratio, inveniret, canes plures per quadraginta dies cibis multo ferro infarctis aluit, ſanguinemque eorum, quem ante hanc diætam extraxit, cum eo, qui poſt illam extractus fuit, comparavit. Cum vero illum ex uno cane eductum cremaret, calcem obtinuit, quæ tota ferrea erat, ſic tamen, ut aliæ harum particularum mobiliſſimæ ac ſubtiliſſimæ, aliæ inertes magis, in glomeres implicitæ eſſent, & magnetem tardius ſequerentur. Idem *Menghinus* in bovillo, vitulino, equino, & ſuillo, ſanguine invenit, pariter atque humano, modo quod in hoc mobiliorum, vel primi generis, particularum, quas pro puriſſimo ferro habet, longe minor copia erat; contra in volatilium ſanguine ſecundi generis particulæ omnino nullæ inventæ ſunt, primi in omnium non eadem copia. Eadem fere anguillarum ſanguinis natura fuit, ranarum vero ex ſanguine paratæ calcis tertia propemodum pars ex ferro conſtare viſa eſt. Neque ſanguis tantum, verum etiam carnes & oſſa, horum animantium ferrum continere deprehenſa ſunt ita, ut carnibus minus ineſſet, quam ſanguini, plus, quam oſſibus. Tandem aliis experimentis cognitum fuit, etſi primi generis ferreæ particulæ a

fero

ſero ſanguinis prorſus non abſint, præcipuam tamen earum in globulis ſedem eſſe, qui proinde in quadrupedibus maxima copia, & alii ſphærici, alii ſphæroidei, ſint, neque demum ab ignis actione ferrum in ſanguine quaſi generari, ſed in eo latens tantum conſpicuum, vel mitiſſimo calore reddi. Ex his omnibus vero colligitur, ſolidas corporum partes nullum a ſanguineis globulis nutrimentum accipere, hosque, quatenus ferreis particulis inſtructi ſint, tum ad calorem generandum, tum ad vaſa dilatanda, eorumque collapſum impediendum, aptiſſimos eſſe. *Jacobus Piſtorinus* olim in Academia dixit, ſe *de aviculis, ſub vitreis vaſis concluſis, obſervaſſe, duas eodem temporis ſpatio interire, quo una.* Hoc experimentum *Joſephus Verattus* primum in avibus variis, tum vero in ranis quoque, repetiit, atque illas deprehendit eo citius utique mori, quo plures fuerint, ſic ut tempus ac numerus eſſent veluti in ratione reciproca, ranas vero non item, tum, etſi convulſæ non morerentur, tamen læſæ reſpirationis ſymptomata aves quidem habuiſſe, non ranas. Præterea barometra ſimul adhibita docuerunt, elaſticam aeris vim non parum ab incluſis animalibus debilitari, ſed ita, ut ab initio eodem tempore plus, deinde minus, debilitaretur, &c, ranis morti proximis, jam reddi aeri elaſticitas videretur. *Jani Planci Mola Piſcis deſcriptionem*, quam ad *Joſephum Montium* dedit, quia contrahi ſermo commode non poteſt, lubenter omittimus, de *Vincentii Riccati*, S. J. Commentario *de cauſa phyſica compoſitionis & reſolutionis virium* dicturi. Nondum ſatisfeciſſe ſibi ait demonſtrationes principii hujus notiſſimi, quibus quidem veritas ejus ſtabiliatur, non autem ipſa cauſa phyſica explicetur; cum in compoſitione virium prodire videatur effectus cauſa minor, in reſolutione autem major. Ex ipſa igitur potentiarum actione illud derivare conatur. Potentiam itaque talem eligere cupiens, cujus actio diſtincte cognoſci queat, fides elaſticas hunc in finem aſſumit. Præmiſſis Lemmatibus quibusdam de actione harum fidium; primo quærit, corpore, non niſi ſecundum datam rectam mobili, a fide elaſtica ſollicitato, quænam ſit vis exinde in dire-

Pag. 267.
297.
305.

ctione ipſius rectæ reſultans; quam conſtat determinari ab extremitate lineæ, vim fidis longitudine ſua repræſentantis, demittendo perpendiculum in dictam directionem. Demonſtratio nititur inprimis Lemmate: actionem fidis exprimi per rectangulum ex elaſticitate ejus in ſpatium contractionis. Poſito enim, motum fieri perexiguum, exinde vis quæſita, ob æqualitatem actionum, facile elicitur. Dein, aſſumtis duabus fidibus, corpori dicto modo applicatis, idem quærit. Exinde tandem ipſum theorema compoſitionis virium duarum, corpori libere applicatarum, derivat. Porro de ſpatiis, quæ a potentiis vel ſeparatim, vel conjunctim, deſcribantur, disquirit; ac inde, quomodo æqualitas cauſam inter & effectum in hoc principio locum habeat, oſtendit. Ex his quoque integra poterit derivari doctrina de æquilibrio potentiarum in machinis, quod ſane redit ad methodum *Jo. Bernoullii* de velocitatibus virtualibus; idem eſt Noſtro actio, quod energia *Bernoullio*. Ejuſmodi applicationem ad æquilibrium in vecte, ut & ad centrum oſcillationis, actu exhibet. *Dominici*
Pag. 331. *Guſmanni Galeatii de cyſtis felleæ ductibus* obſervationes novæ omnino non ſunt. Quos enim ex tunicis veſiculæ felleæ ortos, atque ad hepaticum ductum, vario numero, utplurimum pertinentes, ductus deſcribit, eos jam ante quindecim annos in Academiæ Scientiarum Pariſienſis Hiſtoria, ex *Ferreni* Commentariis excerptos legimus. Neque tamen perpetui hi ductus ſunt, quin potius in pluribus adhuc deeſſe obſervavimus, neque a *Galeatio* aliquid allatum fuit, quod glandulas felleæ veſicæ clare oſtenderet, ex quibus ductus illos provenire ait. Quod enim circuitum atque contorſionem horum ductuum meminit, quas in tunicis veſiculæ viderit, quis hoc ad glandulas comprobandas ſufficere credat? De ſanguine vero, a quo hæc bilis ſecernatur, an venæ portæ, an arte-
347. riæ, ſit, *Galeatius* nihil definit. *Euſtachius Zanottus* agit *de Micrometro*, maxime recepto, quod conſtat quatuor filis, in eodem puncto ad ſemirectos ſe decuſſantibus. Uſum ejus ad definiendam, e vario appulſu ad fila, diametrum ſideris, nec non loca centri, Propoſitionibus variis perſpicue declarat.

Ali-

Digitized by Google

Aliqua etiam, ad expeditiorem praxin ſpectantia, edocet. Olim *Bellinus de ovi cicatricula* Problema propoſuit, qui nempe fiat, ut quæ vitello ovi ſupernatat, elixato ovo, ad vitelli ſe centrum recipiat. Hoc *Paulus Baptiſta Balbus* ex *Newtoniano* theoremate de motu corporum ſolvit, quæ nempe in vorticem acta, ſi rariora ſint eo fluido, a quo deferantur, deberent ad centrum accedere. Ovi enim putamine incluſi humores, per ignem neceſſario in gyrum vertuntur, neque dubitari poteſt, vitello leviorem cicatriculam eſſe, eamque ignis vim eſſe, ut, cum chalazarum membranæque vitelli nexum ſolvat, rumpere longe facilius illa vincula poſſit, quibus cum vitelli membrana cicatricula nectitur. Cicatricula vero non ad centrum dejicitur, ſi vitellus a ſphærica figura recedit, quæ ſola ad rotationis motum apta eſt. Perfecta ovi elixatio novem minutis abſolvitur, cicatricula vero inventa eſt non niſi ſeptem minutis cum dimidio elapſis, ad centrum vitelli ſe recepiſſe, quæ non niſi ad quartam altitudinis partem obduruerat; ex quo *Balbus* collegit recte, cicatriculam non paulatim obdureſcentibus aliis atque aliis vitelli partibus premi, atque ad centrum dejici. In fine Sermonis *Balbus* ovum, a gallina excluſum, proponit, quod, quatenus ejus putamen in ſpiras convolutum ab obtuſiore ovi angulo adſcendit, & in anguſtius acumen deſinit, monſtroſum appellat, quodque hunc ſibi corticem in ſpirali uteri fornice comparaſſe putat, in quo caſu quodam conſtiterit. Ultimum locum inter ſecundæ partis Opuſcula illud *Joſephi Montii* habet, quo *ſcripta Comitis Aloyſi Ferdinandi Marſilii* exponit, quæ hic ipſe *Montii* fidei commiſit. Primo igitur loco earum Obſervationum mentionem facit, quas *Marſilius* Maſſiliæ fecit, ut, quæ olim in Phyſica maris hiſtoria ſcripſerat, confirmaret, ſuppleret, ac emendaret. Cognovit adeo, ſtrata, maris alveum conſtituentia, aliter ac olim ſcripſerat, quo propius a maris fundo abſint, eo craſſiora eſſe, tumque lapideam eorum materiam eo magis dureſcere, quod magis ab aquæ ſuperficie recedant. His ſubjicit *Montius* nonnulla, quæ ad explicandas ſedecim icones faciunt, quas *Marſilius* in Operis jam nominati primis quatuor tabu-

Pag. 369

378.

tabulis exhibuit, & quæ ad maris tum verum, tum accidentalem, fundum ob oculos ponendum factæ ſunt. Secundo, cum *Marſilius* marinas plantas in molles, lignoſas, & lapideas, diſtinxerit, ratione priorum deprehendit, ramulum floribus ornatum, quem *Tabula XXXV numero 172* exhibuit, ſcyllæ florem eſſe in mare delapſum, & cum corallii ramis irretitum, ac mollium vegetabilium marinorum plura, non ſecus ac terreſtres plantas, ſemina habere propriis vaſculis, ſeu capſulis, munita. Ratione tertiæ marinarum plantarum claſſis, cum inter illas corallium eminet, varia *Montius* profert, quæ ejus ortum ac vegetandi rationem, ex *Marſilii* mente, maxime illuſtrant. Quæ *Montius* his de ſuo ſubjicit, radicem plantarum marinarum ſpectant, quæ a propria lata craſſaque radice ſua utique nutrimentum deſumant, atque per oſcula vaſorum, ad eam baſin occurrentium, attrahant, quoniam alias non tam regulariter in ramos, ſed in informem & inordinatam maſſam, excreſcerent. Qui tamen lapidearum marinarum plantarum flores eſſe dicantur, non veros flores eſſe, ſed a lacteo ſucco provenire, qui, per ſtellatos poros egreſſus, ſimilis figuræ flores referat, ubi ex aqua protracta planta fuerit, evaneſcentes. Ultimo loco monet *Montius*, *Marſilium* ex poſtremis ſuis obſervationibus cognoviſſe, corallium non ita, ut ramorum apices terræ centrum ſpectent, quod olim ſcripſerat, ſed undequaque creſcere, etſi ipſius rami non omnino ſurſum, ſed potius deorſum, vergentes ſpectentur. Hactenus de Opuſculis, quæ *ſecunda Pars* continet. In *tertiæ* principio ſtatim apparet *Euſtachii Manfredii de Mercurii & ſolis congreſſu, in aſtronomica ſpecula Bononiæ Scient. Inſtituti obſervato d. 9 Nov. A. 1723* Diſſertatio. Primo deſcribitur præparatio ad obſervationem. Sequitur ipſa obſervationum ſeries. Quænam ſit ratio hujusmodi obſervationum a refractionibus corrigendarum, docetur. Hinc ad ſemitam Mercurii, per ſolem definiendam, acceditur; unde determinantur & monentur conjunctionis & varia elementa, ad motum Mercurii pertinentia, ut orbitæ nodus adſcendens in ♉ 15° 9′ 36″, inclinatio ad Eclipticam 6° 57′ 35″. Porro comparatio inſtituitur

Pag. 1.

tur motuum Mercurii in hac conjunctione, aliisque ſex, antea obſervatis. Dein ex his inveſtigatur motus medius Mercurii, diurnus nempe $4^{\circ}\ 5'\ 32''\ 34'''$; & motus nodorum, annuus nempe $58''$. Denique differentia Meridianorum variorum & Bononienſis ex obſervatione hac elicitur. Idem *Jovis & Martis conjunctionem heliocentricam, A. 1727 obſervatam*, ſiſtit. Obſervationem hancce eum in finem inſtituit, ut, an perturbatio quædam motus Martis a vicinia Jovis conſequeretur, cognoſceret. Patet vero ex iis, quæ copioſe hac de re exponit, aberrationem obſervationum a Tabulis eſſe quidem exiguam, ſed talem, ut nullam ejusmodi mutationem, quæ vel in latitudine Martis, vel in velocitate ejus, conſequi deberet, prodat. Sequitur ejusdem *Obſervatio congreſſus Mercurii cum Sole d. 11 Novembris A. 1736*, cum præcipuis elementis, inde deductis, ut & *Cometæ anni 1737. Euſtachius Zanottus de Cometa anni 1739* commentatur. Obſervationum ſeriem exhibet, & theoriam ſecundum *Newtonum* tradit, cum obſervationibus optime conſpirantem. Jam exhibetur nobis farrago *Eclipſium Solis & Lunæ*, ab A. 1724 ad A. 1729 a variis obſervatarum. Hanc excipit *Jac. Riccati de motuum communicationibus ex attractione* Schediaſma. In eo id agit, ut oſtendat, quid fiat, ſi motus corporis alii corpori communicetur non per impulſum, ſed per attractionem ope elaſtri interpoſiti; ſolamque inter omnes de menſura virium leges *Leibnitianam* etiam tunc locum habere probet. Idem *Problema de invenienda Curva, ex dato quomodocunque per Curvam radio oſculi*, ſolutum dedit, idque tam analytice per formulam generalem, quam geometrice per conſtructionem. Prius fit per conſueta methodi tangentium inverſæ artificia, cujusmodi methodo jam uſus eſt in ſimili Problemate ſolvendo in *Diar. lit. Ital. Tom. IX pag. 204*. Poſterior ſolutio ab analytica eſt prorſus independens. Addit Problema aliud facilius, ubi loco radii oſculi datur coradius per Curvam. Methodum denique proponit, ceu valde generalem, pro æquationibus differentialibus ſecundi gradus altiorumve ad primum reducendis; quæ eo redit, ut, poſito dx elemento conſtante, ſubſtituatur alterum elementum $dy = pdx$.

Pag. 39. 57. 73. 91. 143. 159.

 Verum

Verùm hanc methodum jam dudum uſurparunt Geometræ.

Pag. 173. *Vinc. Riccatus Animadverſiones in fractionem, cujus numerator & denominator per certam determinationem aquales nihilo fiunt*, exhibet. Conſtat, in hanc rem jam aliquot claros inquiſiviſſe Geometras. *Huddenii* methodus, qui, ſi, poſito $x = a$, numerator & denominator fractionis ſimul evaneſcant, jubet dividere per $x - a$, nimis anguſtis limitibus circumſcribitur. Majori cum ſucceſſu adhibetur ea, quæ ex analyſi infinitorum petitur. Eam Autor ſic proponit: Pro x ſubſtituatur $a + dx$ tam in numeratore, quam in denominatore: ſi adſunt radicales, extrahantur radices per ſeriem more *Newtoniano*; diſponantur termini ſecundum dimenſiones ipſius dx; &, ſi primus, ſecundus, &c. terminus per ſigna contraria ſupra & infra deſtruatur, proximus ſemper terminus in numeratore & denominatore, qui non deſtruitur, valorem fractionis quæſitum exhibebit. Hanc methodum anteponendam exiſtimat ei, quam *Jac. Bernoullius* docet (in *Not. ad Geom. Carteſ.*); cum ibi æquatio a ſurditate liberanda ſit, quæ operatio eſt extractione radicum operoſior, aliique adhuc difficultati ſit obnoxia. *Jo.* etiam *Bernoullii* methodum, (in his *Actis A. 1704*, & *Operum Tomo I.*) quæ per differentiationem numeratoris & denominatoris, toties iteratam, donec valores haud amplius evaneſcant, procedit, non omnino generalem oſtendit. Numerator enim & denominator continebunt ſic continuo dx, dx^2, dx^3, &c.; unde, ſi ſit fractio talis, in qua dx ſit ordinis, cujus exponens fractus, e. g. $dx^{\frac{1}{2}}$ in fractione: $\sqrt{\dfrac{(2a^3 - 3a^2 x + ax^2)}{\sqrt{(a - x)}}}$, nunquam methodo iſta ad valorem quæſitum pervenietur. Denique ſuam methodum etiam ad inveniendam relationem inter $dx : dy$, ſi æquatio inter $x\,y$ certo caſu penitus evane-

194. ſcat, applicat; &, quæ in methodo *Saurini* (*Comment. Pariſ. A. 1716*) corrigenda ſint, indicat. Ejusdem ſequuntur *Animadverſiones in formulam differentialem, in qua indeterminata ad unicam tantum dimenſionem adſcendunt.* Methodos hic examinat, quæ ad reſolutionem æquationis hujus generalis: $(ax + b + cy)\, dy = (fx + g + hy)\, dx$ ab Analyſtis

lyſis ſunt traditæ. Prima eſt *Jo. Bernoulli*, (*Comm. Petrop. Tom. I*, & *Oper. Tom. III*,) quæ aſſumta integrali indeterminata ope logarithmorum perficitur. Verum, etſi ſic eliciatur generatim integralis æquationis propoſitæ, varii tamen dantur caſus, quibus pro certa relatione coefficientium integralis illa adſciſcat terminos imaginarios, vel infinitos, & ſic nullius ſit uſus. Idem accidit, ſi alia adhibeatur methodus, ſubſtituendo $x = z + A$, $y = u + B$, & A B ita definiendo, ut æquatio fiat homogenea, quæ dein more conſueto ſeparabitur. Singulos itaque caſus æquationis propoſitæ examinat Noſter, & pro ſingulis reſolutionem per varia artificia analytica, inprimis per ſubſtitutionem, ſuppeditat, ut adeo nunc omnibus numeris abſoluta haberi queat. Eundem proceſſum poſſe adhiberi, docet, pro hac æquatione generaliori $x = y\,M + a\,N$, ubi M N dantur quomodocunque per dx dy & conſtantes, aliisque. Idem adhuc *de Centro æquilibrii* diſ- Pag. 215.
ſerit. Primo notiſſimam doctrinam de hoc centro, poſitis potentiis inter ſe parallelis, demonſtrat, ex compoſitione virium, methodumque, id pro potentiis quotvis inveniendi. Dein potentias conſiderat, ad centrum tendentes, oſtenditque, ut, duabus potentiis rectæ applicatis, in hac conſtans detur centrum æquilibrii, requiri, ut (poſitis CA CB diſtantiis a centro, fCA fCB earum functionibus, quæ ſint ut vires,) ſit $fCA : CA = fCB : CB$, quod non niſi duobus caſibus fieri poteſt; vel ubi CA CB infinitæ, qui eſt præcedens; vel ubi $fCA = CA$, ſeu vires ipſæ ut diſtantiæ a centro. Porro & non niſi in duabus hiſce hypotheſibus fieri poſſe, ut potentiæ applicatæ, ceu in centro æquilibrii collectæ, concipiantur, evincit. Denique & methodum, in hypotheſi poſteriori centrum æquilibrii, datis potentiis quotvis, finitis, vel infinitis, inveniendi, monſtrat, quæ ex hypotheſi priori facile derivatur. Hæc excipit *Petri Tabarrani de Thermometrorum peculiari correctione nunc primum excogitata* Sermo. Tollere autem id vitium 233.
voluit, quod *Muſſchenbroeckius* (Elem. Phyſ.) quinto loco recenſet, idque putat ſe ſuſtuliſſe hoc, quod *Bulſingeri* (*Comment. Petrop. Tom. III p. 243*,) machinula adhibita thermoſco-

Digitized by Google

pia paravit, quod in ipſis Opuſculis legi oportet. His epiſtula addita eſt, in qua *Tabarranus* fontem deſcribit, qui, nemore quodam, ingentibus plurimisque ilicibus conſito, deciſo, vehementer adauctus fuit, quod cum propterea accidiſſe putet, quia eum fontem arborum alimenta non amplius conſumebant, *Plinium* defendit, qui, idem in nemo factum fuiſſe,
Pag. 251. narrat *Nat. Hiſt. Lib. XXXI Cap. 4.* Sequitur *Joannis Antonii Galli de nonimeſtri fœtu extra uterum aucto, & mortuo per abdomen vivæ matris extracto*, Diſſertatio. Per omnem graviditatem, quam mulier moleſtiſſimam habuit, nulla in uteri orificio mutatio facta, facta tamen, idque apertum inventum eſt, doloribus, nono menſe exacto, ſupervenientibus. Horum motuumque partus loco cum mater quarto die gravi ſe pondere premi ſentiret, cæſareus partus propoſitus, ſed per menſem & ultra rejectus fuit. Tum vero abdomen inter umbilicum & ſiniſtrum ilium ſectum, & ſaccus, partum continens, inciſus fuit, ex quo per plures dies ingens copia fœtidiſſimæ ſaniei effluxit, & partus denique fruſtatim extractus eſt, etſi inde a ſeptem hebdomadibus mortuus, tamen carnoſus & bene completus. Mortua matre, uterus, ut in non gravidis, inventus fuit, & ſaccus, fœtum continens, tubæ ovariique ſiniſtri locum occupare, cujus tubæ orificium interius tumor, in utero natus, comprimebat. Hæc primam Diſſertationis partem conſtituunt. Altera animadverſiones primum ad Phyſicam ſpectantes continet; eæque de conceptu ex ovo ſunt, quem Autor hac obſervatione quam evidentiſſime comprobari putat, de tumore tubam comprimente, an ovi ingreſſum in uterum impediverit, de placenta duplo majore ſolito, quod nutritionem per ſanguinem probet, de ſacco nutritionis infantis cauſa circumpoſitis partibus intime adhærente, & de utero, qui, quamvis a partu non expanſus, tamen urgentibus doloribus apertus eſt. Ad Practicam ſpectantes
262. animadverſiones magni momenti non ſunt. Proximo loco *Rog. Joſ. Boſcovich de motu corporis attracti in centrum immobile, viribus decreſcentibus in ratione diſtantiarum reciproca duplicata*, commentatur. Mirabuntur forſan Lectores, Autorem

rem ſibi rem, jam toties, totque diverſis methodis, tractatam, denuo tractandam ſumſiſſe; at in re etiam trita ſpicilegium habere, iſtaque ſimplicius & accuratius demonſtrare, voluit, ſimulque de infinitis quædam monere. A primis motus elementis orditur, hinc doctrinam motus liberi rectilinei & curvilinei exponit, & inprimis motum in ſectionibus conicis ſub hypotheſi ſupra dicta; omnia methodo mere geometrica demonſtrans. Sed in his non morabimur. Addemus ſaltem, ſub finem refutari *Eulerum*, quod (*Mechan. Tom. I* §. *655* & *762*) ſtatuerit, corpus, ad centrum virium cum celeritate infinita delatum, poſſe aut retro flecti, aut nusquam amplius reperiri, & quaſi ſubito annihilari, calculo nimis confidens. Autor enim demonſtrare conatur, non ſolum ratiocinium Viri Cel. de ellipſi in rectam tranſeunte non valere, ſed & corpus ſemper ultra centrum, celeritate iterum per eosdem gradus imminuta, motum continuare. Ejusdem *de Viribus vivis* Diſſertatio hanc excipit, ſatis longa, in qua, ut ipſe ait, *celeberrimam de virium vivarum menſura controverſiam vel dirimendam, vel componendam, vel potius ſummovendam, aggreditur*. Initio ſtatum controverſiæ, variosque utriusque partis defenſores, enumerat, & inprimis *Mairanum* contra *Martini* objectiones, in *Tract.* ejus *de Viribus vivis* factas, vindicat. Jam, quod ad rem ipſam attinet, fatetur, ſe, poſt omnia ab utraque parte dicta diligentiſſime conſiderata, in eam tandem ſententiam deveniſſe: Vires vivas in corporibus nullas eſſe. Phænomena nimirum omnia pendere a ſola vi inertiæ, & viribus ita dictis mortuis, ut viribus vivis prorſus opus non ſit; eaque adeo, vi principii, plures cauſas non eſſe admittendas, quam quot ad explicanda phænomena requirantur, e Phyſica prorſus ſint rejiciendæ. Hanc quoque ſententiam in præſenti fuſe explicare & defendere inſtituit. Eo inprimis res redit: Corpus omne vi inertiæ eſt præditum. Dum potentia in id agit, producit preſſionem, ſeu vim, quæ dicitur mortua. E preſſione per tempus continuo repetita oritur certa velocitas. Hæc ipſa vi inertiæ conſervatur; &, dum e nova preſſione oritur Pag. 289.

tur nova celeritas, hæc cum priori conſervata componitur; ut adeo motus omnis explicari poſſit per immediatam celeritatis productionem, factam actionibus potentiarum, nihil poſt ſe relinquentibus in corpore præter diverſam determinationem vis inertiæ, cum ipſa vi inertiæ perſeverantem. Hæc tam in motu corporis, a potentia ſollicitati, uniformi, vel variato, quam in colliſione corporum, locum habere, oſtendit. Hinc & phænomena omnia, a virium vivarum patronis in rem ſuam adducta, explicari poſſe. Si vero quis diſtinctionem inter vires vivas mortuas adhuc velit admittere, hanc in ſolis verbis futuram, ſalvis phænomenis. Prout enim vires ſtatuantur gradibus celeritatis productis, vel ſingulis temporibus, vel ſingulis æqualibus ſpatiis confectis, proportionales; vires fore vel ut celeritates ſimpliciter, vel ut celeritatum quadrata. Attamen priorem modum naturæ magis conſentaneum judicat. Sed de viribus vivis ſententiam ſic proſcribere conatus Autor, novam ipſe de actione potentiarum, & communicatione motus, ſententiam in medium profert. *Carteſianos*, omnem motum impulſu fieri, *Newtonianos*, etiam in diſtantia per attractionem, ſtatuere, conſtat. Noſter, nullum omnino motum fieri per impulſum, ſed ſemper per vires agentes in diſtantia, opinatur. Corpora nempe ſe nunquam ita contingere, ut fere nil ſpatii intermedii interſit; ſed viribus quibusdam præditas eſſe materiæ particulas, quæ in aliis diſtantiis attractivæ ſint, in aliis repulſivæ, ita, ut demum, imminutis in infinitum diſtantiis, augeatur vis repulſiva in infinitum. Declarata mente ſua, id agit, ut opinionem de communicatione motus per impulſum impugnet. Non ſolum per eam hactenus palmaria naturæ, phænomena, ut gravitatem, motum corporum cœleſtium, &c. non ſatis explicari potuiſſe, quin maximæ difficultates remanſerint, urget; ſed & plane impoſſibilem eſſe talem communicationem, eamque legi naturæ, ſaltum prohibenti, repugnare. Quod exemplo duorum corporum, ſibi occurrentium, probat, ubi in ipſo puncto contactus particulæ uno momento a motu in quietem pervenire debeant; cum contra velocitas per gradus minuatur, ſi ex ejus mente particulæ jam in ali-

qua

qua diſtantia vi quadam repulſiva afficiantur. Ex hac hypotheſi jam ulterius quoque præcipua phænomena corporum explicare conatur, ut cohæſionem, elaſticitatem, fluiditatem, vim magneticam, &c. Leges quoque, ſecundum quas vires iſtæ repulſivæ creſcere & decreſcere, & qua ſcala repræſentari, poſſint, conſiderat. Sed, de his ideam dediſſe, nobis ſufficiat.

Longa admodum *Joannis Chryſoſtomi Trombelli ad Franciſcum Mariam Zanottum Diſputatio de acus nautica inventore* eſt. In eaque primum eos recenſet, ad quos a variis, quæ ex acu nautica inventa provenit, gloria referatur. Tum, Sinas diu ante Europæos acu magnetica uſos fuiſſe, probat, eaque occaſione de Ægyptiis diſputat, a quibus Sinas derivatos fuiſſe, nonnulli cenſent, tandemque, eorum argumentis profligatis, qui Gallis, Germanis, Anglis, immo vel *Salomoni*, aliisque, inventæ hujus acus laudem tribuunt, hoc celeberrimum inventum contendit ab Italo quodam, ac veriſimiliter a Veneto quodam cive, in Oriente mercaturam faciente, ex Aſia in Europam deductam fuiſſe. His aliqua, ſed modeſte, ab *Abundio Collina* in Sermone de acus nauticæ inventore opponuntur, quæ etiam a vero proxime abeſſe videntur. Tum *Heraclius Manfredius de viribus ex elaſtrorum pulſu ortis*, verba fecit. Defenſorem hic *Carteſianæ* de virium menſura doctrinæ agit. Primo demonſtrationem, quam pro tuenda ſententia *Leibnitiana* ex actione elaſtrorum attulit *Jo. Bernoullius* (*Diſſ. de Commun. Mot. Cap. VII*), retento prorſus ratiocinandi modo, ad probandam opinionem contrariam adhibet. Dein, quæ idem (*l. c. Cap. VI*) de viribus æqualibus, e duarum ſerierum elaſtrorum pulſu ortis, ſtatuit, refutat; pariterque, in hoc caſu ex mente *Carteſii* menſuram virium locum habere, pugnat. *Thomæ Laghii de rubentibus lignorum cineribus* Commentatio eſt. Lignorum, quæ combuſta tales cineres exhibuerunt, alterum montanum fuit, a Rheno ex altioribus montibus in magnis alluvionibus abreptum, alterum paluſtre, ſed pariter diu ab aquis vexatum. Utrumque ſubnigrum fuit, ſed paluſtre aliquanto ponderoſius, ex quo ſimplici combuſtione capti cineres ſaturatiori, ex montano vividiori quoque, rubedine nitebant.

Pag. 262.
397.

bant. Ligna, deſtillationi commiſſa, præter aqueum liquorem, fumos craſſos dederunt, & oleum craſſum, denſum, & nigricans, præter carboni ſimilem maſſam, in retortæ fundo ſelictum; ſigillatim vero paluſtris copioſiores fumi fuerunt, red albicantes primum in lacteum liquorem, ramificationes ſalis volatilis animalis æmulantem, tandem in oleum reſoluti. Olei vero & ſalini phlegmatis minor copia fuit, quam ſolet ex naturaliter ſe habentibus lignis elici. Caput mortuum, ubi calcinatum fuit, ex montano ſaltem, calcem tenuiſſimam & rubram, ex paluſtri nigram dedit, ex qua tamen, magnetis ope, plures ferri micæ prolectæ ſunt, a quibus proinde *Lagkius* rubedinem cinerum provenire exiſtimat. Lignum enim, diu ſub terris latens, continenter aquis ablutum, aptius forte evadere ad vitriolicum ſalem uberius arripiendum, eodemque modo omnis generis ligna mutari poſſe, ſi diu in aqua vitrioli ſolutione imbuta ebullierint, experimentis cognovit.

Pag. 404. Hanc Commentationem alia *Cajetani Montii de Aldrovandia, novo herbæ paluſtris genere*, excipit, quam *Joannes Carolus Amadeus*, Medicus Bononienſis, invenerit, & quæ eadem ac Lenticula *Plukenetiana* ſit. Ejusque *Montius* accuratiorem iconem dedit. Sequuntur *Franc. Mariæ Zanotti de Elaſtris*

413. *Sermones tres*. Etſi doctrinam de motu corporum ab elaſtris jam tractaverint *Jo. Bernoullius* (in his *Actis A. 1735*). & *Camus* (*Comment. Act. Pariſ. A. 1728*); maluit tamen Autor integram hanc materiam proprio marte denuo reſumere. Primo motum elaſtri unici, aut liberi, aut uno extremo infixi, & integræ ſeriei elaſtrorum, aut infixæ, aut liberæ, generatim conſiderat. Dein de motu corporis ab elaſtrorum ſerie infixa, vel duorum corporum a ſerie libera, agit. Diſcrepat hic a Viris laudatis in caſu priori, quod ipſe ſtatuat, velocitatem corporis, ut ſpatium, dilatatione ſeriei percurſum, directe, & corpus inverſe; illi autem, ut horum radices. In poſteriori caſu ſententiam refutare conatur, quod, cum in ſerie ſe libere relaxante ſemper detur punctum immobile, (ſi nempe dividatur in ratione corporum extremitatibus applicatorum,) duæ partes ſeriei ſpectari poſſint, ceu in hoc

puncto

puncto firmiter fixæ. Dein ad demonſtrandam e motu elaſtrorum menſuram virium vivarum ſe convertit. Vim ſubſtantialem, *Bernoullio* dictam, perſtringit. De relaxatione ſeriei elaſtrorum, velocitate hinc genita, viqne oriunda, multa diſſerit, & *Bernoullium* inprimis refellit. Sed de his fuſius non dicemus: veremur enim, ne innumeræ iſtæ de viribus vivis diſputationes tandem tædio fiant lectoribus. Denique ſententiam quoque *Camuſii* de velocitate corporis a ſerie elaſtrorum (de qua ſupra,) examini ſubjicit & refutat. Supra *Vincentii Menghini de ferrearum particularum ſede in ſanguine* Sermonem expoſuimus. Ejusdem alius eſt *de ferrearum particularum progreſſu in ſanguinem*. Comparavit ſibi ſex formas ferri, easque pullis, canibus, ſuibus, hominibus, per quadraginta dies dedit, utque, an in eorum ſanguinem tranſiverit, inveniret, antequam ferrum dabat, ſingulorum ſanguinem exploravit, in eaque re *Fabii Vignaferri*, & *Herculis Lelli*, tum vero & *Jacobi Conti*, adjumento uſus eſt. In hominibus igitur pulſationum arteriæ numerus auctus eſt, atque in muliere vultus color, & catameniorum fluxus, rediit, ſanguis vero, ſupra dicto modo ad ignem excoctus, primi generis ferreas particulas, plures quidem, neque tamen in omnibus æque multas, obtulit, præter ea coccineum ferme colorem habuit, ac ſerum copioſius. Eadem, & manifeſtius quidem, in animantium ſanguine deprehendit, prætereaque in iisdem vel vivis diſſectis animadvertit, vaſa ſanguifera, præcipueque meſenterica, turgida magis, partes ſolidas ponderoſiores, bilem dilutiorem, immo tandem ſanguinem ipſum. Fuit quoque ex ferruginoſa materie, pluribus in locis vaſis meſentericis inhærente, deprehenſum, per hæc, non per lactea vaſa, ferrum ad ſanguinem tranſiiſſe, tumque ex omnibus ſimul ſumtis cognitum, mineram ferri ipſam facile ad ſanguinem transmitti, neque ſymptomata quædam noxia, niſi juſto diutius adhibitam, inducere. Finem imponit volumini *Gabr. Manfredii de eliminandis ab æquatione arcubus circularibus* Commentatio. Propoſitum ejus eſt, perſpicue explicare methodum, æquationes differentiales, quarum membra ſunt elementa arcuum circu-

Pag. 471

520.

 larium,

Digitized by Google

larium, ad finitas reducendi; quam in Analyſi æquationum differentialium ſæpius uſu venire, norunt in his verſati. Lemmatis inſtar præmittitur inventio tangentis arcus, e pluribus datis arcubus compoſiti, vel multiplicis arcus dati. Hinc a ſimpliciori caſu orditur, ubi membra æquationis ſunt elementa arcuum circularium, per tangentes expreſſa, ad eundem radium pertinentes; qui ſtatim per compoſitionem arcuum, quorum exprimuntur tangentes, perficitur. Si vero tangentes non ad eundem radium pertineant, primo ad eundem reducendæ ſunt; ita, ſi ſit $\frac{aa\,dx}{aa+xx} = \frac{bb\,dy}{bb+yy}$, poſterius membrum ad radium a reducetur reſolvendo id in $\frac{b}{a}\,aa\,\frac{a\,dy}{b} : \left(aa + \frac{aa\,yy}{bb}\right)$, cujus integralis $\frac{b}{a}$ A tang. $\frac{ay}{b}$. Potuiſſet Autor addere formulam generalem: Elementum $\frac{\alpha\,dy}{\beta+\gamma y^2}$ ad radium r reductum ſimili modo dat integralem $\frac{\alpha}{r\sqrt{\beta\gamma}}$ A tang. $ry\sqrt{\frac{\beta}{\gamma}}$. Porro ad caſum magis compoſitum tranſit, ſi nempe denominator membri æquationis unus pluresve contineant dimenſiones variabilis ſecunda altiores; & primo quidem, ſi quartam dimenſionem. Reſolvenda tunc eſt fractio hæc in duas, quarum denominatores ſint quadratici. Quam reſolutionem generatim perficit. Fundamentum ejus reapſe idem eſt cum reſolutione æquationum biquadraticarum *Carteſiana*. Duorum enim trinomiorum, in quæ reſolvitur denominator datus, coefficientes redeunt ad reſolutionem æquationis cubicæ. Caſus etiam, quibus hæ coefficientes fiant reales, quibus imaginariæ, Autor enumerat. Atque hic gradum ſiſtit, de reſolutione denominatorum, ultra quartam dimenſionem adſcendentium, alio tempore acturus.

DE MACHINA ET ANIMA HUMANA PRORSUS

a ſe

a ſe invicem diſtinctis Commentatio, libello latere amantis Autoris Gallico, Homo Machina inſcripto, oppoſita, & ad Illuſtriſſimum Virum, ALBERTUM HALLER, &c. exarata, a D BALTHAS. LUDOVICO TRALLES, Medico Vratiſlav.

Lipſiæ & Vratiſlaviæ, 1749, 8.
Plag. 18½.

Aliis jamjam doctiſſimis ſcriptis de orbe literario meritiſſimus *Tralles*, hoc ipſo nunc medicum æque ac philoſophicum aggreditur hoſtem, Autorem nimirum Gallum, qui, hominem meram eſſe machinam, non novis, ſed ex omni antiquitate conquiſitis, argumentis demonſtrare annititur. Cum autem, Medicorum potiſſimum cauſa ſuum ſcriptum eſſe librum, aſſereret adverſarius, ſui etiam officii eſſe putavit *Tralles*, ut in iis, quibus ex medicis ſcientiis pondus addere tentavit, argumentis paulo curatius hæreret, aliis tamen, quæ ad Philoſophiam, vel reliquas ſpectant ſcientias, neutiquam neglectis. Ita vero hoc perfunctus eſt labore, ut Latino exprimeret ſermone cogitata Autoris Galli, &, cum minus ordinata cuncta inveniret, in certa, quæ vocant, penſa diſtribueret, hisque ſtatim ſuas ſubjungeret annotationes. Prodierat quidem paulo ante, quam ederetur hic liber, alius, hominem plus, quam machinam eſſe, evicturus, ſed, cum in eo conviciis potiſſimum laceſſerentur Medici, ab inſtituto non receſſit Cl. Autor, ſed, Medicorum e contrario Pag. 5. tuitus partes, eos defendit. Animæ igitur, ad ſcopum propius accedens, quæ adverſario primo loco removenda eſſe videbatur, exiſtentia disquiritur, quæ ex mente adverſarii neque a Theologis, neque a Medicis & Philoſophis, poſſit probari, ſed ſola experientia fultis demonſtrationibus evinci, iis, quas a priori vocant, omnem denegans fidem. Cum vero morbi, rerumque, non naturalium nomine Medicis notarum, uſus, nec non remedia ipſa, in iis, quæ animæ adſcribuntur, actionibus varias producant mutationes, & hinc infallibiles credat 25. adverſarius teſtes eſſe, qui probent, nos tantum eſſe machinam, ita refutata ſunt, ut ex omnibus concludi tantum poſſit,

eſſe quandam corporis & animæ unionem, nec cuncta ſoli deberi corpori, licet animæ actiones, corpore mutato, mutentur. Comparata quidem anatome docet, eam eſſe, quod cerebrum ſpectat, animalium diverſitatem, ut, quo dociliora ſint, eo majus illud exiſtat, & contra: aſt neque hæ, neque aliæ leviores in viſcere, de quo plurima adhuc abſcondita latent, diſcrepantiæ, a ſola cerebri diſpoſitione hanc pendere
Pag. 26. monſtrant docilitatem; prout nec ex una eademque organorum, loquelæ deſtinatorum, in variis animalibus diſpoſitione, quam tamen Clariſſ. *Traller* multum diverſam eſſe oſtendit, conſentientibus Anatomicorum obſervationibus, ad ſimilem
32. loquendi, & cogitata ſua exponendi, facultatem, in ſimia & homine valere poteſt conſequentia. Sed ultra progreditur Autor, hominem in machinam converſurus, novumque ſtabilire ſyſtema conatur, quo demonſtret, omnia, quæ aliis ex animæ natura provenire videntur, ex ſolo corporis mechaniſmo facillime poſſe explicari. Primo itaque loco, poſtquam, modum ſentiendi vix intelligi poſſe, doctiſſimus docuerat *Traller*, ex ipſa nervi in ſenſu mutatione declarat, neque per auditum ſonos & vocabula, neque per viſum figuras objectorum, cerebro imprimi poſſe, ſed tenuiſſimum tantum nervorum fluidum in organo ſenſorio motum excitare,
50. reliqua, quæ hic fiant, ignorari. Gallus autem ſcriptor ex ſua de ſenſu hypotheſi ſcientias omnes collectarum in cerebro figurarum & vocabulorum nominat congeriem, &, ex utrorumque nexu & ſimul facta repræſentatione imaginatio-
54. nem oriri, aſſerit. Curatius igitur hæc rimanda erant, eoque allaborandum, ut imaginationis, ſatis vaga ab adverſario propoſita, notio certior redderetur, neque uno tempore, ſi etiam formæ tales, quales aſſumuntur, pingerentur in cerebro, omnes adeſſe poſſe, oſtenderetur. Quod non effecit ſolum Clariſſ. Autor, ſed de idearum quoque repræſentatione ita egit, ut, eam ne cogitari quidem poſſe, docuerit, multis tandem argumentis, ens a corpore mechanico & cerebro
61. diverſum aſſumi debere, concludens. Id quod ulterius confirmatur per firmiſſima a Philoſophis demonſtrata ratiocinia,

quæ,

Digitized by Google

quæ, imaginationem & animam non eſſe unum idemque, evincunt, miſeramque præterea & indignam ſapienti viro opinionem, materiæ cogitandi facultatem tribui poſſe, evertunt. Virtutum certe exercitium libertatem requirit, quæ male, vel Pag. 67.
nunquam, ex organiſmo machinæ declarabitur. Incaſſum quoque aſſumitur, ad organiſmum perficiendum accedere debere inſtitutionem, quæ, formas rerum ex præconcepta opinione imprimere quoque ſi poſſet, non tamen, abſtracti, quos dicunt, conceptus ut formentur, poſſet efficere unquam; quid? quod leviori modo naturalem excedens humorum per 72.
cerebrum motus exſtingueret illico omnes illas figuras inhærentesque ideas. Sunt tamen beſtiis præ hominibus, inprimis mox poſt nativitatem, quædam prærogativæ. Verum eſt, 79.
illæ vero limitatæ admodum majoris momenti non ſunt. Nec jure inde colligitur, brutis legis naturalis cognitionem eſſe tribuendam, penes quæ ſenſus tantum grati & ingrati eſt, inprimis cum & ipſa legis & naturæ accuratior conſideratio clare hæc doceat, qua ſimul perſpicimus, fermentationem, cujus diverſos gradus in materia ſibi perfecte ſimili, brutorum & hominum produxiſſe corpora, adverſarius hallucinatur, admittendam non eſſe. Eum, qui ex corporis vitio, vel mor- 80.
bo, delictum commiſit, Medicorum magis, quam JCtorum, judicio ſubjiciendum eſſe, rei quidem ratio poſtulat; ſed quid pœnæ opus, ſi mera homo eſt machina? Quomodo conſcientia, 91.
ſive internum de æquo & iniquo judicium, quod largitur ad- 94.
verſarius, ſtare poteſt? cum indubiis præterea conſtet rationibus, animam, quæ certo exiſtit, poſt ejus a corpore diſſolutionem manere actorum præmia, vel pœnas. Dei negare exiſtentiam, ut in tanta philoſophicarum demonſtrationum claritate abſurdum, ſic Medico præcipue indignum eſt, qui certiſſima hujus veritatis ſigna ex artificioſiſſima corporum ſtructu- 103.
ra, cujus plura exempla adducit Clariſſ. *Tralles*, ubique larga 111.
legere poteſt manu: quam deinde mundi, ut vocant, contingentia, & æternitatis impoſſibilitas, hominisque origo, qui ſuæ exiſtentiæ cauſam in ſe habere nequit, evidentem reddunt. Summi vero Numinis exiſtentia tranquillitatem vitæ mirum in

Pag. 121. modum promovet. Sed, exploſa religione, denuo, nullam
animæ neceſſitatem eſſe, aſſerit adverſarius, omnemque mo-
tus cauſam in corpore, exiſtere affirmat, multisque, ex medica
ſcientia deſumtis, argumentis & experientiis ſententiam robo-
128. rare contendit, v. c. quod corda exſecta palpitent, di-
ſciſſæ eorum partes ſe contrahant, polypi diſſecti vivant. Ve-
rum enim vero, licet ſatis manifeſta ſit inſita & naturalis fi-
brarum vis contractilis, ex ea tamen ſola motus omnis inſuf-
ficienter deducitur, quippe qui ex nervis, fluidique, quod in
140. iis exiſtit, motu, melius explicatur. Quod etiam, cum, ſe to-
tum eo carere non poſſe, intelligeret adverſarius, ita conce-
dit, ut, ad nervorum origines poſitum eſſe movens quoddam
147. principium, ſive ἐνορμῶν, ſtatuat, quod ab anima diſcrepans in
fluido nervorum quærendum ſit, & cogitandi facultatem ha-
beat. Interea tamen hæc, & motus quidam muſculares, tam
apte ex ſola ſanguinis & ſpirituum præſentia non explicantur,
171. ut, ens, a corpore diſtinctum, accedat, neceſſe ſit. Nec animæ
173. præſtantiæ detrahitur quidquam, quod viſus & auditus orga-
nis vitiatis perverſa fiat ſenſatio, quod ſobria vita virtutum,
183. immoderata vitiorum, ſit fertiliſſima mater. Corpus ſe ipſum
conſervat, reſtituit, & deſtruit, neque tamen ex his ſequitur, ut
animæ non ſit locus, ut fibrarum naturalis contractio, inpri-
mis in corde motum perficiat tantum, quod *Stablium, Boerha-
viumque*, non intellexiſſe, injurius in tantorum Virorum ma-
211. nes & ſcripta, credit adverſarius. Conceſſo quoque, acceden-
tem ſtimulum hanc fibrarum contractionem maximopere au-
213. gere, ſenſum tamen producere non valet. Sentiendi & cogi-
tandi facultas a ſe invicem diſcrepant; illa ſublata, hæc qui-
dem plerumque deficit, non tamen ſemper, quod moribundi
confirmant. Ex pulſu itaque arteriarum de animæ cogitatio-
nibus judicari nequit, quibus phyſicæ affectiones non compe-
225. tunt. Quomodo tandem animi morbi, ex nullis mechanicis
orti cauſis, ſolius machinæ effectus dici poterunt, qui, adhibi-
tis convenientibus corpori remediis, non cedunt? Hæc ſane
cum attentione omnem argumentorum vim ponderantibus,
ita comparata eſſe videbuntur, ut appareat, machinam mo-

tuum

tuum quidem rationem, non vero conſcientiæ & intellectus, Pag. 234.
in ſe continere. Aſt, cum, ſummam plantas & animalia habere convenientiam, ſibi perſuadeat adverſarius, quod nuper quoque anonymus ſcriptor in Tractatu *de Homine planta* ulte- 243.
rius probare annifus eſt, de quo Cel. *Trallés* in tranſitu ſuum fert judicium, differentiæ utriusque oſtenduntur, &, abſtruſum generationis negotium Deum animamque non tollere, doce-
tur. In naturæ quidem campo emetiendo aberramus ſæpe, 254.
id tamen luculenter intelligimus, plantas carere anima, hominum vero & omnium in genere animalium actiones ex mechaniſmo ſolo non deduci poſſe, animarum potius, quæ non absque ratione aſſumitur, diverſitatem producere eas, quas in majori, vel minori, hominum docilitate obſervamus, differentias, neque organiſmi tantum inſtitutione ſimiam in hominem mutatum iri. Hinc tandem patet, mentem & corpus, ex *Spinozæ* æque ac Galli ſcriptoris opinione, non eſſe unam eandemque ſubſtantiam: id quod contra minus accuratas adverſarii definitiones, explicationes, obſervationes, & experientias, ad probandam ſententiarum veritatem vi ſæpius arceſſitas, pluribus ubique argumentis, quæ tamen ſingula cuivis penſitanda potius relinquuntur, quam fuſius recenſentur, in eleganti hoc ſcripto declaratum invenimus. Plures vero, quas variis, hypotheſeos capitibus oppoſitis, refutationibus immiſtas deprehendimus, medicarum æque ac philoſophicarum doctrinarum demonſtrationes, etſi ſuperfluæ nonnullis videbuntur, eam tamen ob rationem commendandæ ſunt, quod varietate ſua delectent, & eruditionis haud vulgaris, qua excellit Autor, luculenta ſint documenta, Medicorum vero & eorum, qui Materialiſtæ vocantur, inſignem manifeſtent diſcrepantiam.

*EPISTOLA AD CLARISS. VIRUM ****, ſiſtens quasdam Obſervationes in opuſculum D. B. LUD. TRALLESII, Medici Vratislav nuper editum, & cui titulus eſt: de Machina & Anima humana prorſus a ſe invicem diſtincta Commentatio, &c.*

Acce-

Acceptis tuis literis, avidiſſimis ſic ſtatim oculis adjunctum *Tralleſii* opuſculum perlegi, fruſtra recordatus, an ingrati fortaſſis aliquid Medicis dixiſſem parum prudens. Obſtupeſcens itaque, venenoſa in me torqueri tela, quorum omnium extra tactum me ſatis poſitum exiſtimaveram, ſero experiebar, quæ vel in hoſtem, quocum *Tralleſio* tantum res eſſe videbatur, dirigi crediidiſſem. Summæ inurbanitatis, qua graviter in ſanctiſſimum Medicorum Ordinem peccaverim, me agit reum. Aſt miror ſane, Virum, alioquin expertiſſimum, ex ignorantia Gallica & vulgaris forte in omni lingua dictionis, mihi exprobrare velle, quod nec unquam cogitavi, nec ipſa quidem verba commode indicant. Aliquid igitur dandum motui, quo correptus, iræ ſuæ videtur nimis indulſiſſe iſte Commentator. Si deſpumato judicio, animaque ab affectuum nebulis rite luſtrata, totam denuo, quam vitioſam omnino arguit, periodum relegiſſet, procul omni dubio animadvertiſſet, linguæ Gallicæ non penitus ignarus, ſermonem me facere de Medico qua Medico, & quidem Metaphyſico qua Metaphyſico oppoſito; proſpexiſſet porro, me non aliter voluiſſe, quam quod Medicus, cui corpus humanum curare tantum cordi eſt, & qui nihil præter illud ſapit, ſi in errores deducatur, in illos ex ignorantia Logices delabatur. Quis alio modo interpretari poteſt: *Le Medeçin ſe contente de ſes obſervations, le Metaphyſicien de ſes raiſonnemens . . . . L'ignorance de la Logique apprète les erreurs au Medecin & les lui fait avaler à longs traits . . . . ?*

Ut evidentius appareat, injuſtam penitus & ridiculam eſſe criminationem, ponamus, me dixiſſe: *Les Medecins ſe contentent de leurs obſervations, les Metaphyſiciens de leurs raiſonnemens* &c. ſenſus ſane generalior fuiſſet, nec tamen hæc de omni & ſingulo Medico dicta eſſe, ratio non tantum logica, ſed & vulgaris loquendi modus, ſuadet. An de omni & ſingulo mercatore accipiendum dictum illud: *Mercatores divitiarum nimis ſunt cupidi;* an de omni erudito: *Docti ſententiæ ſemel ſuſceptæ nimis ſunt tenaces?* &, ſi e. gr. de *Tralleſio* ſermonem faciens, dixiſſem: *Ignorantia locutionum vulgarium*

rium Medicum in errorem duxit, & ſuis inurbanis, & nullo fundamento nixis, criminationibus anſam præbuit, an, quæſo, hoc intelligendum foret de Medicis omnibus, qui per totum terrarum orbem degunt? Sit de ſingulo & omni Medico dictum; de Medico tamen qua Medico, non vero de Medico Philoſopho, accipi poteſt. An alio modo interpretaretur ille, cui lex eſt, optime verbis conſulere; & talis præſertim, qui diſtinguit Medicum a Philoſopho, uti ipſe *Tralles* in ſua Præfatione & in ipſo opere, ubi *pag.* 224 dicit: *Sane, quicquid poteſt Medicus, id poteſt machinæ ope, cum qua ſola ipſi res eſt . . . Non ſpectat ad Medicum anima.*

Plura addere, nec opus eſt, nec lubet. Patet, quo jure mihi exprobret ignorantiam regulæ Logices, *quod a particulari ad univerſalem non valeat concluſio.*

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Quid de Viri iſtius opere ſententiam rogas? Medica penitus ignoro: & tali Viro me longe inferiorem lubens agnoſco. Non poſſum tamen, quin aliquo modo tuo poſtulato ſatisfaciam. En meas obſervationes.

Egregie Gallica lingua conſcriptus eſt libellus de H. M. Facetus ſcribendi modus locum ſæpe tenet rigidæ demonſtrationis. Itaque pondere non tantum ratiociniorum vincendus, ſed inſuper modo ſcribendi æquipollendus, & eadem lingua utentem Refutatorem poſtulare, videbatur. Poſteriori conditioni non ſatisfacit *Tralleſius*, an ſecundæ, etſi ejus opus elegantia non careat, aſſerere non audeo. An priori, videbimus.

In anteceſſum tamen animadvertendum, quod, licet Autor H. M. cum nullo alio certamen a ſe iniri, niſi cum Medico, declaret, quæſtio tamen videatur requirere Philoſophum. Quæritur enim, an materiæ ſit adſcribenda facultas, quam intelligentem vocamus, an vero minus. Quid de hoc ſtatuunt obſervata de materia & de iſta facultate? Hæc, ni fallor, ad forum Philoſophiæ pertinent. Nec intereſt, an Autor H. M. Philoſophos proſcribat. Non magis in hac re audiendus, quam latro, qui conſcios latrociniorum ſuorum teſtes admitte-

Digitized by Google

re recuſaret. Hæc tamen cum Autori conceſſurum eſſe *Tral-leſium* viderem, ſtatim putabam, peritiſſimum Medicum aliis uti velle argumentis, & ex medicis tantum fontibus Autorem illum in fugam eſſe acturum. An hiſce ſatisfecerit *Tralles*, judica.

Primum refert ſagaciſſimus Commentator experimenta, quæ Autor H. M. ſic ſatis fuſe congeſſit, & quibus patet, vires cogitandi & corporis ſeſe habere uti relata & correlata. Sepoſitis ceteris rationibus, putaſne, inde elici poſſe animæ immaterialitatem? Sic tamen procedere videtur expertiſſimus *Tralles*, dum *pag. 23* ait: *Namque poſt tot ſolidas demonſtrationes, ipſam* (animæ exiſtentiam ſcilicet) *evincentes, quarum nullam toto opuſculo Autor deſtruit, nihil ex allatis omnibus aliud licet elicere, quam dari unionem certam animæ cum corpore, quomodocunque demum ea ſe habeat.* Aſſertum illud, in ſe ſpectatum, veriſſimum eſt, ſed *Tralleſio*, Autorem H. M. refutaturo, minime favet. Arma enim inter ſe movent; ideoque argumenta ſunt producenda, & non ſupponenda. Debuiſſet ſane unum ſaltem argumentum in medium proferre, quo, materiam facultate cogitandi gaudere non poſſe, demonſtratum, antequam ex allatis experimentis eliceret, eorum phænomena ad unionem tantum referri poſſe. Hoc præcipuum Immaterialitatis fundamentum ne leviter quidem tetigit: quin imo ignorare videtur, dum dicit *pag. 153: Si vero exiſtentem animam poſuerimus unitam ſuo corpori, ſi deinceps animam ſibi repræſentantem hoc univerſum pro ſitu corporis organici & mutationibus, quæ in organis ſenſoriis contingunt, eadem vi actiones ſuas producere ſciverimus; ſi, omnes mutationes animæ a ſenſatione originem ducere, facultatibus ejus ab ima usque ad ſummam conſideratis, intellexerimus . . . . . . nil morabimur intricatas & nodoſas, ab Autore habitas, objectiones;* & pag. 253: *Quando autem illa phænomena, quæ attendentes ſedulo ad actiones animalium brutorum & rationalium animadvertimus ex proprietatibus materiæ, niſi hæ gratis nimis ſublimes ponantur, neutiquam explicari poſſunt; quando, ſic viſa materiæ inſufficientia, aliam cauſam admittere & ſtatuere coguntur æqui rerum*

rum arbitri, cui effectus omnes, vires materiæ tranſcendentes, illisque infinities nobiliores, tribuantur, ſi vel maxime illius cauſæ ingenium noſtrum laterent, an turpiter & precario, animas eſſe Brutis & Hominibus, tunc docetur & defenditur? Tali fundamento ad Immaterialiſmum vergere turpiter, precario & ignorantis eſſe, non dubito, quin affirment omnes, qui leges ratiociniorum perſpectas habent. Sed condonandum eſt *Tralleſio*, qui *pag. 26* putat, Materialiſtas immaterialitatem (ſive exiſtentiam animæ) negare, quia ope ſenſuum detegi nequit. Nonne hic hoſpes videtur litis? Quis autem, qui Pnevmatologiam vel a limine ſalutaverit, ignorat, Materialiſtas non negare, quod homo cogitet, intellectu, ideis, perceptione, polleat, quod has facultates adſcribant materiæ, quia ex eorum mente nullo jure ſupponi poteſt altera ſubſtantia, ſi materia iſtis facultatibus prædita eſſe poſſit, cujus poſſibilitatem tam luculenter adſtruere conatus eſt ingenioſus *Lockius*.

Quo fundamento affirmat, *quod æquum jus competeret fautoribus animæ immaterialis, urgendi explicationem intelligibilem functionum & operationum defenſæ materialis animæ?* Si alterutri litigantium competeret, nonne concedendum illi, qui unam tantum ſubſtantiam admittit, donec probatum ſit, & alteram exiſtere debere? Extra oleas hic vagatur expertiſſimus Vir. Non agitur de explicatione facultatum & operationum intellectus. In hac via pari paſſu ambulant & Materialiſtæ & Immaterialiſtæ, qui, ſi impoſſibilitas materiæ cogitantis firmo non ſtaret talo, longe forte in his æque, ac in aliis, Materialiſtis forent inferiores. Dolendum ſane foret, ſi defenſores immaterialis animæ ſolidiores & æquiores non haberent rationes, quibus ſtabiliunt ſuam ſententiam, quam illas, quas *l. c. pag. 253* exponit *Tralles*. Non enim ſufficit, quod quædam phænomena ex materiæ attributis deducere & explicare nequeamus; non ſufficit, quod materia nobis viſa ſit iis invalida, ſed, ut legitima ratio adſit provocandi ad ſecundam ſubſtantiam, neceſſe eſt, ut demonſtretur materia ſuis attributis renuere facultati cogitandi, & illa cum hac in uno ſubſtrato, vel ſubjecto, conſiſtere non poſſe. Hoc evicto, ca-

dunt omnia, quæ Materialiſtæ objicere queunt, & re vera his tantum armis victi jacent.

Vim argumenti Materialiſtarum, quod ex parallelifmo hominum cum brutis petunt, non melius aſſequitur noſter ingenioſus Medicus. Ex eo enim demonſtrare conantur, quod, easdem ob rationes, quibus ſubſtantia tribuitur hominibus immaterialis, illa non brutis tantum, ſed forte & plantis & inanimatis rebus, concedenda ſit. Huc tendunt exempla, experimenta, obſervationes, quæ indigitant, animalia, ſi nolis eadem, analoga tamen, edere phænomena, quæ fundamentum animæ immaterialis præbent ejus fautoribus. *Bruta* (ajunt) *ſentiunt, perceptiones habent, perceptionum ſuarum ſunt conſcia*, &c. *Hoc quotidiana experientia conſtat. Ex his facultatibus concludis, homines, qui talia edunt phænomena, anima immateriali, a corpore ſejuncta, præditos eſſe: mutato nomine de brutis fabulam narrari. Brutis itaque competit ſubſtantia immaterialis. Regnum ergo animale gradu tantum, non vero natura, ſive eſſentia, differt ab humano. Regnum vegetabile itidem non differt a regno animali, niſi gradu. Quænam enim differentia inter florem & congeriem inſtar floris creſcentem animalculorum, quam* Trembley *vocavit* Polype à bouquet? *Talia ſunt innumera. Natura nihil efficit per ſaltum. Hinc conſequitur, omnia in rerum natura, ſaltem quæ de iis noſcimus, tantum gradu perfectionis & imperfectionis a ſe mutuo diſtare. Hoc ſemel conceſſo*, (inquit Materialiſta,) *inanimatis immaterialis quædam ſubſtantia erit concedenda, aut homini plane deneganda. Inanimata, dices, talia non edunt phænomena, ex quibus id juſte elici poteſt. Sit: hoc cum aliis noſtram perſpicaciam effugere poteſt. Perfectionis gradu, non vero eſſentia, differunt a ſe mutuo entia. Prius tamen admodum incongruum videtur. In inanimatis illa vis non tantum otioſa, inactiva, ſed impotens & patiens, videretur. Quis, lapidem anima, gradu tantum ab anima humana differente, gaudere, ſibi perſuaſum habere poſſet? Poſterius ideoque admittendum, & eo*

* *Nouv. Découv. faites avec le Microſcope par* Turb. Needham, *&c.*

eo majori cum jure, quod ex ignorantia eſſentiæ materialis ignoremus, an hac iſti attributo obſtet. Sic itaque materia ſpectata, tanquam ſubſtratum, quod præter alia attributa & facultate cogitandi præditum eſſe poteſt, nulla amplius remanet difficultas: nam, cum hac facultas incrementi & decrementi ſit capax, ſic ſeries entium erit poſſibilis, in qua a minimo perfectionis gradu ad plenariam perfectitudinem adſcendere licebit, ac in qua ſerie omnia entia pro gradu perfectionis ſuum occupabunt locum. Etſi jam modum, quo materia cogitat, non melius aſſequi valeamus, quam modum, quo anima ſuas peragit functiones, mirum tamen non amplius videbitur, quod, corpore animali morbo laboranti, facultas cogitandi eandem ſequatur rationem; quod iſta facultas varia ſit pro varietate climatum, ciborum, aliarumque circumſtantiarum; & ſic de ceteris phænomenis. Ita ratiocinanti Materialiſtæ, qui a Metaphyſico facile in fugam agi poſſet, reſpondeat noſter acutiſſimus Medicus, *pag. 37* affirmans, *bruta ſentire, organis ſenſuum inſtructa, nonnullaque eorum ipſis hominibus acutius, & illa ſuarum perceptionum eſſe conſcia: illis easdem eſſe ſenſationis leges, nexumque definitum inter objectum externum & noſcendas ideas; illa repetere ſenſa, & imaginari ideas perceptas, eas memoria retinere,* &c. Reſpondeat, inquam, non inurbana & immodeſta declamatione, ſed ſolida & ex medicis petita demonſtratione. Magnus mihi erit Apollo.

Non concedent Fautores idearum innatarum aſſertum *Tralleſii*, quod occurrit *pag. 44*, nimirum *quod evictum ſit a Philoſophorum ſagaciſſimis, nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*, præſertim ii, qui contendant, ope ſenſuum, & occaſione objecti, in ſenſus agentis, excitari ideas ſenſibiles, quas jam reconditas ſecum tulit anima; ne dicam, quod, rejecto ſyſtemate influxus animæ in corpus & corporis in animam mutui, rejici quoque debeat memoratum aſſertum. Et Syſtemata cauſarum occaſionalium ac Harmoniæ præſtabilitæ non ſane ita carent illuſtribus defenſoribus, ut victas traderemus manus ſagaciſſimis illis Philoſophorum, quos innuit *Tralleſius*.

 Loqui-

Loquitur porro *pag. 56* de ideis materialibus, de illis, ni fallor, quæ ope objectorum ſolidorum excitantur, & quæ vulgo ad ſenſationes referri ſolent. Jam autem ſecundum *Tralleſium*, quod eſt in ſenſu, oritur ab objecto materiali: nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu: omnes ideoque ideæ erunt materiales. Miror ſane, quod locus *Lanciſii*, quem *pag. 60* allegat, & locus *Halleri*, *pag. 181* citatus, ipſi non revocaverint principia Pnevmatologiæ.

Nonne melius feciſſet Medicus noſter, ſi quædam *pag. 63* ex *Dittone*, *Reinbeckio*, vel *Wolfio*, produxiſſet argumenta, pro immaterialitate animæ militantia, quam declamanti decurſu iſtos celeberrimos viros iterum & iterum laudare, quemadmodum elegantem *Halleri* locum *pag. 181* producit, qui locus, etſi, in ſe ſpectatus, nihil probet, tamen fontes demonſtrationum indicat. Ceterum putavi, *Tralleſium* medicis armis in fugam eſſe acturum Autorem H. M. Ex iis nihil plane profert, & provocat tantum ad argumenta *Wolfii*, aliorumque Philoſophorum, vel Philoſophorum partes agentium, quæ ſane ex ſcientia corpus ſanandi non ſunt depromta.

Sumanus, (inquit *pag. 155*,) *abſtractiſſimis meditationibus vacare animam quandam eruditiſſimam, ultra quas nulli alteri aſſurgere licet; illa ponunt intentam judicii vim & ſevera ratiocinia; ſed hæc deſcendunt tandem ad imaginationem; imaginatio indiget ideis vel præſentibus materialibus & ſenſualibus, vel reproductis utrisque.* Quale aſſertum ab infelice Materialiſtarum hoſte in medium prolatum! Quod ſi æque firme ſtaret, ac inconſiderate prolatum, actum foret de anima corpore deſtituta, & conſequenter de ipſa anima immateriali. Pergamus, &, quanti ſit in hac materia noſter ira flagrans Autor, videamus.

Nonne negaret Materialiſta, quod præter ſenſum (uti docet *Tralles*) homo ſuæ felicitatis cupidus præditus eſſe debeat voluntate liberrima, (quæ ſecundum *Tralleſium*, uti reliqua, prius in ſenſu eſſe deberet,) ſi ſcilicet a ſenſationibus excluderentur appetitio boni & averſatio mali? Hoc, inquam, tum negaret; &, ſi contrarium admittere vellet *Tralles*, paria faceret

cum

cum Materialiſtis. Mirum ſane videri debet omnibus, quod Vir, cauſam Philoſopho-Medicorum tam vehementer & extra oleas agens, ita principiorum Logices oblitus ſit, ut vel in his duabus pagellis videatur illi ſcientiæ nunquam animum applicaſſe. Demonſtrare conatur, ſibi non reſpondere actionum moralitatem & machinam, ſecundum determinatas leges ſuos motus peragentem. Sic ratiocinatur: *Homines facti ſunt, ut ſint felices. Ut felices ſint, quærenda eſt felicitas: ut felicitas quæratur, homo præditus eſſe debet voluntate liberrima, ut ſic malum poſſit averſari, bonum appetere, ut inveniat media, ad felicitatem tendentia, pollere debet intellectu. Virtus inter omnes actiones humanas ultimum exiſtit medium ad obtinendum finem ultimum, ſineque ea felix & beatus evadere poteſt nemo. Virtus omnis eſt actio moralis, a libero hominis arbitrio pendens*, &c. Si hanc confuſam & paucis contractam expoſitionem dicam, an ratiocinationem, perpendas, inde extricabis, quod mens ejus ſit, demonſtrare, libertatem attributum machinæ eſſe non poſſe. Homo enim naſcitur, ut ſit felix; felix eſſe nequit ſine virtute; virtus ſupponit actionem moralem; actio moralis libertatem; & ſic tandem relabitur ad primam propoſitionem, quod homo felix eſſe nequeat ſine libertate, ſive voluntate libera. Quid jam ipſi erit voluntas? Voluntas libera? Libertas? De his lites adhuc non ſunt ad liquidum redactæ. Ne dicam, quod male definiverit virtutem per actionem moralem, a libero hominis arbitrio pendentem; nam vitio æque ac virtuti applicari poteſt; ne, inquam, talibus immoremur, emiſit inſignis Medicus demonſtrationem, qua ſtaret, libertatem cum machina intelligente, ſive homine, conſiſtere non poſſe. Quid reſponderet Materialiſtæ, ſic argumentanti: *Homines facti ſunt, ut ſint felices. Nexus rerum ita eſt conſtitutus in univerſo, ut, ſerie cauſarum & effectuum, hic effectus in hunc hominem hanc producere debeat ſenſationem; ſenſatio illa hanc determinatam perceptionem; hæc perceptio voluntatem neceſſario determinat repræſentamine ſtatus, quem amplexurus eſt; quæ voluntas ſic neceſſario determinata talem edit actionem.* Nihil forte reponere poſſet Materialiſtæ acuto,

to, & principiis cauſarum, ſuos effectus neceſſario ſortientium, uti gnaro. Minus recte Materialiſtarum ſententiam cepit, ſi putat, illos in ea verſari opinione, quod homines eodem modo ac bilanx determinentur. Agnoſcunt, homines ſentire, cogitare, &c. ſed firme tenent, cogitationes determinari legibus, ex natura intelligentiæ, quam tanquam attributum materiæ certo modo modificatæ ſpectant, profluentibus. Uno verbo, omnia æque in homine ac in aliis entibus pro gradu perfectionis, quo gaudent, & pro modo, quo exiſtunt, modificari per ſeriem modificationum, quæ ſe mutuo excipiunt, & quarum exiſtens futuræ gravida cauſam in præcedenti habuit; ita ut, una harum poſita, omnes poni, &, una ſublata, omnes tolli, debeant.

His ita poſitis, dum ſecundum certas & determinatas leges in actum deducatur intellectus, ſic ideæ brutorum, qualescunque demum ſint, certis legibus, licet inferioris ordinis reſpectu noſtri modi cogitandi, determinantur; & ſic dici poteſt, quod bruta æque ac homines juri naturali cuidam ſubjecta ſint, dum quælibet actio ſuum effectum, hoc eſt, ſuum exiſtendi modum agentis, ſortiatur; qui modus exiſtendi, cum gratus ſit, vel minus, pœnarum & præmiorum locum habet. Talia refellere, talia præcidere, Medici, Philoſophum agentis, fuiſſet.

Pag. 107 in foro alieno litigat Medicus noſter. Nemo *e.* g. dicet, *Trallcſium* imperfectiorem fuiſſe, ſi ex ſui ipſius natura neceſſario omittere debuiſſet errores, quos hinc inde commiſit, ita ut ejus eſſentia neceſſariam reddidiſſet meliorum ratiociniorum productionem. *Pag. 111 & 112*, ubi de neceſſitate & contingenti agit, videbis, illum ſupremis tantum labellis guſtaſſe Philoſophiæ principia.

Ut in tranſitu de iis, quæ circa vim motricem habet Medicus noſter peritiſſimus, aliquid dicam, videtur non ſatis attendiſſe, vim effici non tam copia, ac quidem concurſu poteſtatum agentium: &, licet recte demonſtraſſet, cauſam motus voluntati ſubjecti non latere in corde, cerebro, fluido nerveo, inde tamen non conſequitur, illam in materia non deliteſcere: nam

nam argumentum iſtud: *Quicquid alicui enti ineſſe non percipimus, illi quoque non ineſt*, fallax eſt. Male ideoque gloriatur *pag. 170*, quando dicit: *Sufficit, demonſtraſſe a poſteriori, motibus voluntariis non ſufficere machinam, ſed requiri adeo ens ab ea ſeparatum;* & *pag. 734: A nullo ergo . . . . Fac vero . . . .* Male, inquam, quia ad ſummum probavit, quod non percipiamus, cauſam illius motus latere in iis, quæ de corpore, ejusque ſtructura, noſcimus. Veriſſimum quidem eſt, motibus voluntariis non ſufficere machinam non cogitantem, ſed unice quærendum foret, an machina cogitans ſit poſſibilis, quæ quæſtio ad refutationem H. M. pertinere non videtur.

Sed jam paulo penitius in ſententiam acutiſſimi Medici inquiramus. A *pag. 193 - 202*, & *pag. 205*, autoritate Clariſſ. Virorum affirmat, cor, aliasque partes humani corporis, vi motrice, vi inſita, in ipſa fabrica latente, gaudere; & confitetur *pag. 202*, quod, ſi aliquis hujus vis indolem explicare aggrediatur, inſuperabiles inventurus ſit difficultates. His adde, quæ de anima abſtracte cogitante, & ad imaginationem delabente, quæ de ideis, prius in ſenſu, quam in intellectu, oriundis, ſupra examinavimus; adde, quæ de materia in genere circa quietem ſentit; videas tum, an inter Materialiſtas, an vero inter immaterialitatem animæ ſtatuentes, enumerandus ſit Autor. Ceterum mirandum eſt, quod *l. c. pag. 202* ob iſtas difficultates ad tertiam ſubſtantiam non provocaverit. Idem jus ipſi eſt. Ob defectum explicandi coexiſtentiam motus voluntarii cum mechaniſmo admiſit immaterialem animam; ob defectum explicandi indolem vis, cordi aliisque partibus propriæ, & alteram admittere debuiſſet; & ſic tandem ob vim materiæ inſitam, generalem immaterialem ſubſtantiam, &c.

Confundit inſuper peritiſſimus *Tralles* vim corpori inſitam & vim activam materiæ; hoc enim materiam per ſe agentem, & non ſolum mutationi reſiſtentem, ponit; illam vero minus recte *pag. 209* opponit materiæ mere paſſivæ, ex qua præcipuas nefarias & execrabiles opiniones prodiiſſe, ſibi perſuadet.

 Male

Digitized by Google

Male quoque *pag. 250* confundit eos, qui vim inertem admittunt, cum illis, qui movens principium Deo ſubordinatum & vicarium ſtatuunt; dum illi, qui vim inſitam materiæ & vim inertem defendunt, ſimul ſtatuant, has vires tantum relative differre; ſcilicet corpus conari vi priori in motu manere, ſi moveatur, poſteriori in quiete, ſi quieſcat. Hæc materiæ non adſcribunt vim ſemet ipſam movendi.

Ne longo nimis ſermone veſtris otii abuti videar, hæcce ſufficiant. Hoc modo in muſeo optatam a *Tralleſio* palinodiam canere libuit. Dab. 14 Jan. MDCCXLIX.

SAGGIO ISTORICO INTORNO ALLA CONDIZIONE di Eſte, &c.

hoc eſt,

SPECIMEN HISTORICUM DE STATU URbis Eſtenſis. Editio altera. Autor eſt ANTONIUS ANGELIERI.

Venetiis, apud Ludovicum Pavini, 1745, 8.

Plag. 9.

Prodiit hic liber plus una vice. Hæc editio, titulum *brevium notitiarum* nacta, auctior ac correctior evulgata eſt. Accedit ei ſub finem *Epiſtola Anſaldi Partenii in Epitomen hujus Hiſtoriæ*, & quidem ex prima editione concinnatam. De Ateſto ſcripſerunt multi perfunctorie, vel ſco-
Pag. 16. po aliorſum ducente. Ex profeſſo nullus *Tacitus* id Venetis tribuit, ac in numero coloniarum Romanarum recenſet, *Hiſt. III, 19*. Affectatores *Flavii Veſpaſiani* partibus
17. ſuis Patavium & Ateſte, teſte eodem, adjunxere. Epiſcopatum Ateſtinum fixerunt nonnulli, nulla ratione probabilem. Nullum ibi ædis cathedralis exſtat veſtigium. Inſcriptiones Latinas, Ateſti inventas, prætervehimur. *Petrus van*

van der Aa Lugduni Batavorum edidit ex MSto in folii magni forma *Hippolyti Angelerii, civis Ateſtini, de Antiquitate Urbis Ateſtinæ librum. Jac. Salomonius*, Dominicanus, ſcripſit *Agri Patavini Inſcriptiones ſacras, a Jacobo Philippo Tomaſino, Epiſcopo Æmonienſi, adſcriptis ſignatas.* Pag. 30.
Trojani quidam Ateſten condidiſſe vulgo feruntur. A Trojano *Ateſte* eam deduxit *Cæſar Campana* in Oratione panegyrica *de Laudibus Ateſtinorum*, Venetiis A. 1594 publicata. Alii ex inſcriptionibus, pro arbitratu expoſitis, vel commentitiis, antiquiſſima Eſtenſium fata definierunt, quos haud moramur. Templa ſunt Ateſti nonnulla viſu digna. 34
Primum eſt ſacrarium Epiſcopi Patavini, pretioſa habens. 61.
Eccleſia parochialis S. *Martino* eſt conſecrata, a Langebardis exſtructa. Minoritarum ædes ſacra memoratu eſt digna. Eccleſia collegiata habet ſex Canonicos & Archipresbyterum, qui *Præbenda Theologiæ* gaudet. Exſtant ibi 79.
præterea votiva collegia, ſeu, ſi mavis, cœnobia, unum *Capucinorum*, ſecundum *Minorum obſervantium*, tertium *Conventualium*, quartum *Dominicanorum*, ac quintum *Benedictinarum.* Xenodochia *Madonnetta* & S. *Andreæ* poſſunt illis adjungi. Senatus conſiſtit ex 48 *bonis viris*, diciturque *communitas*, quæ alit ludimagiſtrum, infantes docentem, tres Medicos, ac *montem pietatis* in pauperum neceſſitates. Perſica Ateſti laudantur æque ac caſtaneæ Calaonis. Inſeruit Autor partem Opuſculorum Comitis *Caroli Silveſtri*, cui eſt inſcriptio: *Lettera informativa circa la vera condizione della Città di Rovigo.* Intexuit particulis, inde adductis, paſſim annotationes ſuas. Corellianam caſtaneam memoravit *Plinius H. N. XVII, 17, XV, 23*, ſic dictam a *Corellio*, equite Romano, Ateſte genito. 72. 76.
Ateſte geniti fuerunt *Lucius Valerius Potitius*, eques Romanus, *Titus Annius*, Orator, *Martiali V, Ep. 38*, laudatus, 89.
Sabina, poetria, ab eodem celebrata *X, Ep. 79*, *Maximus Olybius*, Philoſophus, cujus memoria in urnis, A. 1500 inventis, prædicatur, *Angelus Malcaſola*, A. 933 ob fortia fa- 92.

Digitized by Google

Pag. 95. cta equitibus Venetis adſcriptus, *Hippolytus Angelieri*, *Chri-*
97. *ſtophorus Angelieri*, † 1446, Archipresbyter Eſtenſis, *Nicolaus*
Angelerius, Archipresbyter ibidem, *Franciſcus Angelerius*,
magnus Mathematicus ac præcipue Mechanicus, ſtatuariæ ac
picturæ peritiſſimus, P. Abbas *Fulgentius Tomacelli*, Camal-
102. dulenſis Monachus,qui dignitate Theologi Sereniſſ. Reipublicæ
Venetæ decoratus fuit. Scripſit hic *de natura peccati origi-*
nalis, *de duplici homine*, ac nonnihil *Conſiliorum*. Ad eun-
dem Ordinem Camaldulenſem referendus eſt P. D. *Ventura*
Minardi, qui Venetiis librum *de Balneis Calderii in agro*
Veronenſi, 1571, 8, edidit. In MStis ſunt ejus Commentatio-
nes *de Conflictu vitiorum & virtutum*, ac *de Babylonis &*
Jeruſalem ſpirituali imperio. Nec omittendi ſunt *Martialis*
Zoja, Camaldulenſis, *Eſaias Lonigus*, Ateſtinus Canonicus Re-
104. gularis, qui in *Cantica* commentatus fuit, *Lazarus Baldus*,
JCtus Patavii, † 1506. *Joannes Baptiſta Ateſtinus*, D. Juris
Canon. ſcripſit *Methodum de his, quæ Chriſti ſacerdotem ne-*
ceſſario ſcire oportet. *Angelus da Vo* Epigrammatibus incla-
ruit. *Hieronymus Ateſtinus*, Sacerdos, Poeta, & Hiſtoricus,
ſcripſit *de Origine urbis Patavinæ*, *de Antiquitate urbis Ate-*
ſtinæ, *de vita Carrarienſium Principum*, *de Laudibus Ateſtinæ*
urbis, *de geſtis Ateſtinorum*, *de bello Gallico adverſus Neapo-*
litanos, Tragœdiam de vita & morte *Acciolini*. Tragœdiæ in-
ſcriptio *Eccerilides*. Nihil horum fuit editum, exceptis ſcri-
105. ptis duobus de Ateſte, quæ publicata ſunt Venetiis A. 1480,
107. ac illo de Geſtis Ateſtinorum, A. 1505 evulgato. Obiit Pata-
vii A. 1530, ſepultus ibi in æde S. *Michaelis*. P. M. *Mar-*
cus Antonius Capellus, Min. Conv. fuit Patavii Profeſſor Me-
taphyſices ac Congregationis *de Propaganda* ſodalis, *Urbano*
Pontifici carus. Scripta ejus ſunt *Adverſus privatum Eccle-*
ſiaſticum Anglicanum, *captioſum juramentum Angliæ*, Bono-
niæ, 1610, 4, *de Succeſſione Epiſcopi Romani contra duos*
108. *Anonymos*, Bononiæ, 1621, 4, *de Cœna Chriſti adverſus*
Ægyptium Autorem anni primitivi, Pariſ. 1625, *delle Con-*
troverſie tra il Sommo Pontefice Paolo V e la Sereniſſima Re-
pubblica

pubblica di Venezia, Venet. 1606, 4. Superſunt præterea ejus multa MSta. Omittimus alios complures viros eruditos Ateſtinos, quorum memoriam & ſcripta Cl. Autor ad poſteritatis notitiam tranſmiſit. Quam vellemus, Autor hiſtoriam & fata urbis inde a *Taciti* ætate usque ad noſtram, congruenter monumentis Hiſtoricorum fidis, produxiſſet! In antiquiſſimis aliorum fabulis excutiendis ſat eſt copioſus. Utinam ætatem mediam urbis ſalutaſſet! Multas enim deſiderat illuſtrationes hiſtoria *Welfonum* & *Azonum* ex rebus Eſtenſibus. Ni fallimur, dabit his quoque votis noſtris Vir Cl. aliquid, ac deſideriis noſtris pro viribus gratificabitur.

LETTERE VII TEOLOGICHE E METAFIſiche, &c.

id eſt,

*EPISTOLÆ VII THEOLOGICÆ AC METAphyſicæ, quarum duæ ſunt ineditæ, contra Ratiocinationes metaphyſicas Domini ***. Ad Ill. ac Rev. Canonicum, JACOBUM MARIAM BALDOVINETTI, Patricium Florentinum.*

Mediolani, apud Joſephum Ricchini, 1746, 12.
Plag. 13.

Anonymus ſcripſerat Commentationes, ad exiſtentiam Dei demonſtrandam ſpectantes. Oppoſuit eis confutationem, Novis literariis Florentinis inſertam A. 1745 & 1746, Abbas *Clemens Bini*, a *Joanne Lamio* adjutus. Noſter hanc recudi fecit, duasque adjecit Epiſtolas, nondum editas. At, quoniam confutatio ſatis nequit intelligi ſine Epiſtolis, quibus ea e diametro fuit oppoſita, ipſe intexuit hic Epiſtolas illas congruenter editioni, Lucæ A. 1745 in publicum emiſſæ. Epiſtolarum Autor eſſe dicitur D. *Joannes Albertus de Soria*, Liburnus, Profeſſor publicus Phyſices in Academia Piſana. Juſſit hunc Pontifex veritati album adjicere calculum. Mutavit itaque Epiſtolarum

Autor ſuas paſſim ratiocinationes, ſeu *Ragionamenti metaficici ſopra l'eſiſtenza di Dio e ſuoi attributi*, ac varia in eis correxit, editis denuo A. 1746. Correctiones haſce Editor nunc repetiit, ac verbis, in editione priori obviis, ſubjecit. Ratiocinationes ſuas *de Soria* Italico ſcripſit ſermone ad Baronetum Magnæ Britanniæ, amicum ſuum. Teſtis eſt hujus rei epiſtola, A. 1743, Calendis Martii, data, eique præfixa. Integra *Soriana* Commentationis inſcriptio eſt: *Della Eſiſtenza di Diò e de ſuoi attributi fiſici e morali. Ragionamento pe' Sapienti, preſcindente da ogni ſoprannaturale dottrina.* Argumentationis ſuæ
Pag. 4. telam *de Soria* ſic orditur: Id, quod non exiſtit, producit nihil. At res quædam exiſtit. Exiſtit igitur illa aut per vim & naturam ſuam, aut per vim & potentiam alterius. Illa dicitur abſolute neceſſaria; hæc contingens, ſiquidem exiſtentiam tenet aliunde derivatam. At hæc per ſe haud exiſtit, ergo alterius potentia exiſtit. Hoc vero alterum ſubſiſtat tandem in ſubſtantia quadam abſolute neceſſaria, neceſſum eſt,
5. Hæc itaque eſt immortalis, ingenerabilis, ac corruptionis expers. At debebat abeſſe vox *ingenerabilis*, niſi generatio finita & temporaria indicetur. Pergit hunc in modum. Materia ac id, quod dividuum eſt, non eſt illa ſubſtantia, ſiquidem eſt
6. contingens & mutabilis, ac aliunde dependens. Subſtantia igitur illa abſolute neceſſaria eſt immaterialis. Materia igitur per
10. hanc ictu momenti fuit producta. Actus hic ſubſtantiæ independenti non eſt eſſentialis. Si hæc materiam produxit, ergo voluit eam producere. Eſt itaque ei voluntas & cognitio, Rejicit Noſter id argumenti, quo intellectum Dei eapropter tribuimus, quod ſubſtantiæ dantur finitæ, quæ intellectu ſunt præditæ. Si vero id, quod eſt reale & immateriale quiddam, non niſi perfectio eſt, inde merito colligimus, ſubſtantiæ infi-
13. nitæ eam ineſſe. Nihilo minus non videmus, quid in demonſtrationis allatæ nexu, ſi eam recte informaveris animo, poſſit deſiderari, Exiſtit itaque Deus. Pergit Autor, ut, exiſtere ſubſtantiam ſupremam unicam, oſtendat. Ponit ita caſus duos. Si plures dantur ſubſtantiæ abſolute neceſſariæ, ex

ſunt

ſunt vel æquales, vel inæquales. At non æquales. Si inæquales, ergo unica erit ſuprema. Nec dantur æquales, eo quod duæ cauſæ diſtinctæ non poſſunt producere eundem effectum in numero. Addit Noſter; Duæ cauſæ adæquatæ unius ejusdemque productionis numericæ, unius ejusdemque effectus, in numero, abſurditatis vitio laborant. Addit: Si duæ ſupremæ ſubſtantiæ exiſterent liberæ & intelligentes, una earum nil producere poſſet, niſi altera permittente. At hoc repugnat infinitati, qua Deus gaudet. Refellitur hac ratione ſimul Zoroaſtriſmus. Ratiocinationem *Clarkii*, unitatem Dei comprobaturi, Noſter repudiat, paralogiſmi nota quippe laborantem. Tum vero attributa infinita moralia Deo vindicat, ac poſtmodum phyſica. Deus non delectatur malo, ſiquidem πάϑη haud habet, nec indiget malis. Produxit itaque ſubſtantias morales, ſola bonitate naturali inductus. Inde Noſter colligit, Deum eſſentialiter eſſe bonum ac beneficum. Objectiones hinc Libertinorum & Atheorum it deſtructum, a malis phyſicis moralibusque in terra obviis deſumtas. Reſpondet, res creatas eſſe finitas, non Deos; carere eſſentiali bonitate; eas eſſe poſſibiles, omnesque Deo æternum notas; hunc elegiſſe optimas earum, ceterisque poſſibilibus excellentiores; creaſſe nonnullas felicitati acquirendæ aptas, ideoque libertate inſtruxiſſe; has vero intelligentia ſumma haud eſſe præditas, ac propterea poſſe hallucinari ob rationis limites. Id vero inde haud conſequitur, quod Autor addit: *Ergo omnis libera ſubſtantia eſt neceſſario ſubjecta malo morali, niſi Deus ejus libertatem deſtruere malit.* Malum phyſicum mali phyſici individuum eſſe comitem, nemo negabit. Addit vero idem: *Reddere ſubſtantias finitas liberas omnis doloris incapaces, idem eſt, ac evertere libertatem.* Inſignia videntur hæc: *Suprema benefica ſapientia habuit ſufficientem rationem impulſivam producendi, & , quia indubie creavit omnes poſſibiles ſubſtantias, quas ſatius erat exiſtere, quam non exiſtere, ſapientiæ illi ac benignitati conſentaneum erat, eas producere, quæ felicitatis ſunt capaces.* Malum vero

Pag. 16. 18. 22. 26. 28. 31. 35. 37. 42. 44. 45.

vero phyſicum neceſſario eſſe connexum cum omni creata ſubſtantia libera, nemo citra reſtrictionem Autori concedet. Felicitas enim, quæ in hominem cadit, ſumma hoc malo immunis eſſe debet. Requirimus præterea in Autore ordinatam attributorum divinorum, ac immortalitatis animarum noſtrarum, demonſtrationem, felicitati huic præmiſſam oſtendendæ. Peccatum originale per ſeſe rationi
Pag. 49. eſſe prorſus incognitum, arbitratur idem. Tum vero peculiarem tractationem de immaterialitate & immortalitate ani-
50. mæ aggreditur, Philoſophiæ cancellis ſe coercens. Ex animæ contingentia argumentatur, eam naturaliter eſſe capacem non exiſtendi, ideoque mortalem naturaliter, ſi Deus eam in nihilum redigere malit. Negat vero, eam diſtrahi ac dividi poſſe. De Materialiſtarum diſſerit doctrina, ac ei plus ſpeciei conciliat, quam nuper *Lamettrie*,
61. Gallus, in libro: *L'homme machine.* Immaterialitatem animæ probatum it ex conſcientiæ noſtræ ſimplicitate, ſiquidem haud ſentiamus in apperceptione complexum quendam. Modificatio autem corporea coaleſcit ex partibus extra ſeſe poſitis invicem, & earum ſumma componente. Si conſcientia eſt vis motrix, vel motus, ea inhæret corpori humano toti, ideoque ex ſumma numeri indefiniti conſtat. Imminuitur igitur illa, digito, vel pede, amputato.
64. Experientia autem reclamat & evidentia perceptionis, ſeu ſenſionis internæ. Cogitatio enim menſuram extenſam & quantitativam reſpuit. Objectio vulgaris: *Omne ens eſt aut in ſpatio, aut extra ſpatium*, hoc judice ad entia
71. ſpectat, extenſionum capacia. Exſpectabamus inter legendum argumenta, quibus immortalitas animæ ſtabiliri ſolet. Sed nulla deprehendimus, licet immortalitas non ſit miſcenda, vel confundenda, cum immaterialitate. In editione ſecunda ad hanc differentiam Autor haud attendit, docens potiſſimum, ſe ab eis, quæ ſint ad Phyſicam referenda, vel alibi comprobata, abſtinuiſſe.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXLIX.

Pars II.

LA VITA DI SAN BERNARDO, PRIMO ABATE di Chiara-Valle, &c.

hoc eſt,

VITA S. BERNHARDI, PRIMI ABBATIS Clarævallenſis, jam Latine ſcripta a diverſis ætate ſupparibus fideque dignis Autoribus, ac ſeptem in Libros diviſa, nunc in vernaculam Italorum tranſlata, opera & ſtudio PETRI MAGAGNOTTI, *Theologi in Collegio Patavino, ac ad S. Catharinæ Parochi,*

Patavii, apud Joſephum Cominum, 1744, 4.
Alph. 2 plag. 17.

Præfatio Operi præmiſſa eſt ſat copioſa a Rev. Autore, qui æque addidit varias Appendices, multasque hiſtoricas ac monaſticas annotationes ſubjunxit, ac volumen omne Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Principi Domino Cardinali, *Carolo Rezzonico*, Epiſcopo Patavino, conſecravit. In Præfatione docet Autor, quanta ex lectione vitarum Sanctorum utilitas emanet, & quam venerabilis ſit S. *Bernhardi* memoria ex ipſo *Alexandri III* teſtimonio. Scripſere multi *Bernhardi* vitam. Pleroſque indicavit *Joannes Mabillonius* in *Admonit.*

in Scriptores vitæ S. Bernhardi. Princeps eorum exiſtit *Guilielmus*, S. *Theodorici* Abbas, cujus opus ad finem perduxit *Ernaldus*, Abbas Bonæ Vallis in tractu Carnotenſi, isque Be-
Pag. 18. nedictinus. Sic duo Libri fuerunt completi. Tres alios addidit *Gaufredus*, ſcriba olim *Bernhardi*, poſt *Faſtredum* Abbas Clarævallis A. 1162. Quinque his Libris in ultimis editionibus ſubjuncti ſunt alii duo *de Bernhardi miraculis*, quorum prior variis gaviſus eſt Autoribus, poſterior collectus eſt ex libro celebri, cui nomen *Exordium Ciſtercii*, ex fragmentis *Erberti*, Monachi Claravallenſis, ac poſtea Archiepiſcopi Turritani apud Sardos. Ex hiſce fontibus ſua potiſſimum hauſit Autor. Scriptores de *Bernhardo* exſtant præterea alii, e. g. *Alanus*, Abbas Arripatorius, Epiſcopus A. 1153 Antiſſiodorenſis, Monachus tandem defunctus in Claravalle A. 1181; *Joannes Eremita*, cujus libros binos, A. 1180 exaratos, edidit Jeſuita *Petrus Franciſcus Chiffletius*, eisque Diſſertationem de S. *Bernhardi* proſapia illuſtri præmiſit. *Alanus* ſua ex quinque libris, quos initio memoravimus, compilavit. *Alani* volumen non eſt prorſus perfectum. *Gaufredi* alia vita *Bernhardo* per P. *Chiffletium* illum, de quo diximus, Pariſiis A. 1679 fuit evulgata. *Mabillonius*, hunc *Gaufredum* & priorem eſſe eundem, contendit. *Bernhardi* vita jam Italice ex-
19. ſtitit. Nihilo minus Noſter denuo eundem tundere incudem
21. voluit. Præfixit translationi ſuæ novæ *Chronologiam vitæ S. Bernhardi*, ex *Mabillonio* deſumtam. Dedit deinde *Guilielmum, Ernaldum, Gaufredum*, ac duos de *Bernhardi* miraculis libros, Italice. Septem his libris ſubjecit tres Appendices. Prima agitur de libris, quos de miraculis *Bernhardi* compoſuit *Gaufredus*. Secunda exhibet deſcriptionem de ſitu monaſterii Clarævallis, imaginibus poeticis plenam, ab Autore vetuſto exaratam. Tertia complectitur illuſtrem Epiſtolam *Petri de Roja*, novitii Claravallenſis, ad *C.* Præpoſitum Noviodunenſem, indicem ſylloges rerum, ad religioſam Claravallis diſciplinam pertinentium. Poſt annotationes exhibuit ſeriem chronologicam Abbatum Claravallenſium, qui *Bernhardo* ſucceſſerunt, collectam ex Appendice *Tomi I Annalium Ci-*

ſter-

ſtenſium, ac *Tomo IV Galliæ Chriſtianæ Patrum Sammarthanorum.* Subjunxit hiſce omnibus Autor Indicem, elaboratiſſime factum. Cum vero de ſtatu monaſtico, Aſcetis, Eremitis, & Anachoretis, in tractatione ipſa & vita *Bernhardi* crebra injiciatur mentio, Autori libuit in Præfatione de hiſce etiam exponere. Fundamentum vero ſtudii & inſtituti monaſtici ponit in exercitio conſiliorum perfectionis evangelicæ, a Chriſto diſcipulis ſuis relictorum. Inde colligit, vitam monaſticam originis eſſe divinæ. Therapevtas *Philonis* habet pro Aſcetis. *Euſebius* eos reputavit pro Chriſtianis, a *Marco* ad doctrinam Jeſu traductis, *Lib. II Præp. Evang. Cap. 17.* Viduas religioſas, quæ olim ægrotos viſitare, & captivos atque confeſſores carceri incluſos conſolari, ac baptiſmo ſui ſexus adſtare, juſſæ ſunt, dictas eſſe *Diaconiſſas*, ac Aſcetis adſcribendas, refert, provocans ad *Conſt. Apoſt. VI, 17,* ac *Concil. Carthag. IV Can. 12.* Ipſe, S. *Paulum*, exiſtimat, exſtitiſſe primum *Eremitam.* Ei adjungit S. *Antonium*, A. 270 vitæ ſolitariæ addictum, Anachoretarum autorem. Huic ſe aggregavit S. *Hilarion.* S. *Pachomius* anno circiter 330 cœpit cœnobia in Ægypto fundare, & quidem in Thebaide. *Antonius* Abbas, *Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus,* aliique, eum pro inſtitutore vitæ cœnobiticæ habuerunt. Exiguo poſt tempore ad regulam *Pammachii* vitam religioſam in Oriente exegerunt 50000 Monachi. *Caſſianus* hic eſt inſtar omnium. Abbas S. *Antonius* dicitur Monachiſmum Romæ infudiſſe per *Athanaſium*, Archiepiſcopum. Hujus rei teſtis eſt *Hieronymus* in *Epiſt. ad Princip. de Marcellæ Epitaphio n. 5. Marcella* inchoavit Romæ monaſticum inſtitutum, *Hieronymo* teſte. Inde crebra in agro ſuburbano circa Romam monaſteria. *Ambroſius*, teſte *Auguſtino Confeſſ. VIII, 6,* prope Mediolanum condidit monaſterium. *Auguſtinus* in Africæ oppido Tagaſto domum ejusmodi inſtituit votivam, *Poſſidio* teſte. In Galliis *Martinus*, Turonum Archiepiſcopus, inſtitutum monaſticum invexit. In Inſula Gallinaria *Auxentius*, hæreticus Arianus, idem urſit inſtitutum. In monaſterio Locagiagenſi, ubi primum Galliæ exſtitit monaſterium, *Martinus* mortuum

Pag. 22. 23. 24. 27. 28.

Digitized by Google

tuum in vitam revocaſſe traditur. Marmutienſe *majus monaſterium* ex ea ætate in Galliis ſupereſt. *Martini*, Candæ A. 397 mortui, exequias celebrarunt pæne duo Monachorum
Pag. 29. millia, teſte *Sulpicio Severo Ep. 3 ad Baſſulam. Euſebius*, Epiſcopus Vercellis, circa A. 354 primus fuit Clericus Monachus in Occidente, teſte *Ambroſio Ep. 25.* S. *Benedictus*, natus A. 480, fundavit 12 circiter monaſteria, ac inprimis Caſſinenſe, unde mira Monachorum ſeges per reliquam Europam pro-
30. crevit. Teſte *Gregorio Magno Dialog. II, 40*, ſcripſit *Monachorum regulam, diſcretione præcipuam, ſermone luculentam*, poſtulans a ſuis ſolitudinem, ſilentium, jejunium, nutrimenti auſteritatem, vigiliam, paupertatem, patientiam, ac animi de-
32. miſſionem. *Mabillonius* refert plura. *Benedictus*, Abbas Anianæ, imperante *Carolo M.* regulæ *Benedicti* ſenſum inveſtigavit, ac omnia *Benedictina* cœnobia in conjunctionem adduxit, vita monaſtica inſtaurata. *Ludovicus Pius* in Concilio Aquisgranenſi A. 817 reſtituit regulam, ac Benedictinos univerſos eundem ad ordinem redegit. *Guilielmus*, Aquitaniæ Dux, Cluniacenſe monaſterium exſtruxit, ac S. Abbati *Berno-*
33. *ni* commiſit. Hic ſibi adjunxit *Hugonem* Monachum e monaſterio S. *Martini* Auguſtodunenſi, qui ordinem ſecum meditaretur præſcribendum. Cluniacenſe inſtitutum illuſtrarunt S. *Odo, Aimardus, Majolus, Odilo.* Conſuetudines, quas habebant Monachi Cluniacenſes, S. *Udalricus* collegit tribus
34. libris in *Dialogos*. Ordo Ciſtercienſis cœpit ſub exordio Seculi XII. *Bernhardus* eum præcipue illuſtravit, eamque ob cauſam *Nicolaus V* ipſum fecit magni, id teſtatus in *Brevi ad Capitulum generale Ciſtercienſe pro reform. Ord.* A. 1448.
36. Cognominatus fuit S. *Bernhardus* & *doctor mellifluus*, & *ultimus ſanctorum Patrum Mabillonius Præfat. gener. in Opera S. Bernhardi* §. 2 *n. 23* utrumque expoſuit cognominamen-
37. tum. Priorem appellationem ei tribuerunt editores Operum *Bernhardi*, A. 1515 Lugduni evulgatorum. Succeſſit ei editioni mox editio nova, ibidem A. 1520 curata per *Lambertum* & *Laurentium*, Clarævallenſes Monachos. In his idem habetur elogium, nec non in editione Pariſienſi, A. 1508 ador-

adornata. Hæc ſunt potiora Præfationis momenta. De reliquis, dudum editis, non eſt, quod nonnihil moneamus.

JOANNIS DRIEBERGE, THEOLOGIÆ INter Remonſtrantes Profeſſoris, Libri II, unus de bonis novi Fœderis, & futuro hominum ſtatu, alter de Baptiſmo & ſacra Cœna.

Amſtelodami, apud Iſaacum Tirion, 1746, 4.
Alph. 2 plag. 2.

Conſtituerat Venerandus Autor, fatis jamdum functus, doctrinas theologicas, aliquanto curatius veſtigatas & illuſtratas, in gratiam auditorum & cœtus ſui per partes luci dare. Eum in finem ediderat librum *de Prædeſtinatione & gratia* Amſtelod. 1744, 4. qui in his *Novis Actis Menſe Novembr. A. 1745 pag. 631-636* eſt recenſitus. Succedit præſens opus, in quo eandem doctrinam, ἀκρίβειαν, judicii ſoliditatem, & ſtili caſtimoniam, quantum in illiusmodi argumento fieri poteſt, prodit. *Pars prior* abſolvitur *Capitibus XII. Primum* eſt de juſtificatione; *ſecundum* de ſanctificatione, & bonorum operum neceſſitate; *tertium* de reſpectu remunerationis, veræ pietati non adverſante; *quartum* de pace cum Deo, adoptione, & ſpe fidelium, ex *Epiſtola ad Romanos V, 1-5*; *quintum* de certitudine fidelium; *ſextum* de teſtimonio Spiritus Sancti; *ſeptimum* de promiſſis Evangelii, ad vitam præſentem pertinentibus; *octavum* de ſtatu vita functorum; *nonum* de reſurrectione mortuorum; *decimum* de adventu Jeſu Chriſti & ultimo judicio; *undecimum* de ſtatu malorum poſt ultimum judicium; *duodecimum* de vita æterna. *Pars poſterior* totidem conſtat *Capitibus. Primum* agit de inſtitutione baptiſmi; *ſecundum* de perpetuitate baptiſmi; *tertium* de baptiſma infantium; *quartum* de iteratione baptiſmi; item de adſperſione; *quintum* de inſtitutione ſacræ Cœnæ; *ſextum* de Chriſtianorum circa S. Cœnam officio, ejusque legitimo uſu; *ſeptimum* de ſenſu, quem Pontificii ver-

bis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, tribuunt; *octavum* de ſenſu quorundam doctorum Chriſti in *Capite VI Joannis*; *nonum* de iis, quæ Proteſtantes in ritibus Pontificiorum circa S. Cœnam improbant; *decimum* de ſacrificio Miſſæ; *undecimum* de ſententia Patrum; *duodecimum* de ſententia Proteſtantium. Hic eſt generalis conſpectus operis. Proximum jam foret, per ſingula capita ire; quod quoniam longum eſt, maxime in argumentis pervulgatis, totiesque pertractatis, ſelectiora quædam, & quæ Autori noſtro priva eſſe videntur, delibabimus. *Paulum* cum *Jacobo*, quod ad doctrinam de juſtificatione hominis peccatoris attinet, conciliari poſſe, judicat ita: *Paulum* agere de juſtificatione, quæ homini contingat, ubi fidem profeſſus in fidelium cœtum recipitur; *Jacobum* autem compellare hominem Chriſtianum, qui in ſola fide acquieſcens bona opera parum curabat, hoc prætexens, etiam *Abra-*
Pag. 14, 15. *hamo fidem in juſtitiam imputatam eſſe*. Sententiam de juſtitia Chriſti *activa*, credentibus imputanda, quam ortam eſſe contendit occaſione controverſiæ cum Pontificiis de bonis operibus ſanctorum, in Scriptura, cenſet, nullum habere
21 - 27. fundamentum, & noxiam eſſe pietatis exercitio. Verum, cum Chriſtus in ſacra Scriptura ubique nobis repræſentetur tanquam caput repræſentativum, quicquid is egit, & paſſus eſt, pro ſuis egiſſe & paſſum fuiſſe, eſt dicendum, &, quoniam ipſe perfecte ſanctam vitam egit, non ut nos ab obſervatione legis moralis immunes præſtaret, ſed ne illam omni modo perfecte præſtare teneremur, & ut nobis exemplar ad imitandum relinqueret, doctrina hæc in Scriptura ſacra & fundamentum habet, & pietati inimica non eſt. De ſanctificatione docet, illam quidem per Spiritum ſanctum in homine produci, non autem beneficia Dei ita extolli
32. debere, ut hominis officio locus non relinquatur. Qui docet in regeneratione & ſanctificatione, vires hominis per Spiritus ſancti efficaciam determinari ad actiones vere bonas & ſpirituales, ille non aliquid dicit, quod libertati voluntatis adverſetur, maxime cum illa per efficaciſſima motiva determinetur. Qui ex Proteſtantibus aſſeverant, opera bona renato-

natorum eſſe imperfecte bona, peccati adhæſione eſſe maculata, fulti loco *Jeſ. LXIV, 5*, vel a formula illa, ***bona opera ad ſalutem neceſſaria eſſe***, abſtineri volunt, de illis pronuntiat, promotioni veræ pietatis multum obeſſe. Sententiam ſuam de certitudine fidelium ita explicat: *Ut fidelium certitudo undiquaque firma ſit, nec ulla ex parte vacillet, requiritur, ut cæleſtis vocationis participes operam aſſiduam adhibeant, ut a vitiorum reliquiis emundati, in ſanctitate & veris virtutibus continuo proficiant.* Quæ in Scriptura dicuntur de teſtimonio Spiritus ſancti interno *Rom. VIII, 15, 16*, de caritate effuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum *Cap. V, 5*, de obſignatione Spiritus *2 Cor. V, 5*, & ſic porro, illa explicat de donis extraordinariis Spiritus ſancti, atque hunc in modum accipit verba *2 Cor. XIII, 5*. Qui enim horum participes erant facti, illi dubitare non poterant, hæc ſibi divinitus obtigiſſe. Porro inde perſuaſum habebant, populi Dei partem eſſe factos, quos Deus ipſe ſpiritus ſui ſigno notaret, & in peculium ſepararet. Qui autem teſtimonium illud de immediato influxu explicant, quo de adoptione certi reddantur, illos falſe ridet, tanquam illos, *qui imaginationis ſibi indulgentis, & ſuavibus cogitationibus ſe oblectantis, ſomniis* ducantur. Verum ſecundum hanc interpretationem beneficia hæc tantum ad illos ſpectarent, qui primis naſcentis Chriſtianiſmi temporibus extraordinariis Spiritus ſancti donis ſunt mactati, iſtiusmodi autem reſtrictionis nota in nullo horum locorum compareret, nec locus *2 Cor. XIII, 5*. explicationi huic fundamenti inſtar ſubſterni poteſt. Ubi agit de vita functorum ſtatu, diſputat contra purgatorium, &, quos pro illo producunt locos Pontificii *Matth. V, 25. 26. XII, 32, 1 Cor. III, 10-15, XV, 29*, examinat, accurate docens, in illis neminem facile ignem purgatorium inventurum eſſe, niſi qui doctrina hac imbutus ad illos accedat. Addit quædam adverſus illos, qui, animas ad reſurrectionis usque tempus alto ſomno ſopitas fore, vel purgationem aliquam ſubituras eſſe, ſtatuunt. Doctrinam reſurrectionis apud Judæos quidem viguiſſe affirmat, ſed illam non hauſiſſe ex lege *Moſis*, in qua tradita non eſſet, quæ tantum præ-

Pag. 40 ſeq. — 72. — 78 - 88. — 98 - 109.

præſentis vitæ promiſſis & conditionibus ſit ſancita. Quare locum *Job. XIX, 25, 26*, de reſtitutione ex calamitatibus, *Dan. XII, 2*, de reſtitutione afflictiſſimi ſtatus tempore *Antiochi Epiphanis*, interpretatur, ex *Exod. III, 6*, Chriſtum prorſus novum, Judæis adhuc incognitum, argumentum pro reſurrectione mortuorum adduxiſſe. Legem *Moſis*, in omni complexu
Pag. 126-132. ſuo ſumtam, non mera promiſſa de conditione hujus vitæ exhibere, a Theologis abunde eſt demonſtratum adverſus Socinianos, & qui illorum premunt veſtigia; quare in eo in præſentia non hærebimus. Argumentamur tantum ex iis, quæ a Cl. Autore conceduntur. Affirmat, Judæos habuiſſe notitiam & ſpem reſurrectionis, obſcuram licet; ſimul docet, illam non habuiſſe *ex ratione*, neque *ex traditione*; oportet igitur illam *ex revelatione* hauſiſſe: alia enim via hujus cognitionis adipiſcendæ non ſupereſt. Si vero illam inde ſunt nacti, oportet utique in illa ſpem reſurrectionis manifeſtatam eſſe. Circa quæſtionem de æternitate pœnarum, cum illa videatur adverſari juſtitiæ, æquitati, & bonitati divinæ, prolatis diverſis ſolutionibus, cum in omnibus inveniat aliquid, quod excipi queat, judicium potius ſuſpendendum eſſe cenſet, cum ſit res incognita, & judicio divino relinquenda.
167-172. Beatis poſt hanc vitam adſcribitur *viſio*, locutione petita vel comparitione Iſraelitarum in templo, vel a regibus orientalibus, qui non niſi intimioris admiſſionis amicos ad ſui adſpectum admittebant. Indicatur igitur, pios, tanquam filios Dei, præcipuo apud ipſum honore futuros, & omnibus bonis, quæ amicis ſuis largitur, fruituros eſſe. Videbunt præterea mediatorem in omni gloria ſua. Locum *Apoc. XXI, XXII*, de urbe ſancta, Hieroſolyma nova, cœlo deſcendente, non explicat de ſtatu eccleſiæ ultimorum temporum, ſed potius de ſtatu beatorum poſt judicium extremum, & inde concludit, horum ſedem in tellure renovata futuram eſſe. Quando autem *Jo. XIV, 23, 2 Cor. V, 1, 1 Theſſ. IV, 17*, docetur, credentes cum Chriſto in cœlo futuros eſſe, id explicat de ipſorum commoratione ante judicium, &, ubi judicium habitum eſſet, cum ipſo deſcenſuros eſſe, & ita cum Chriſto in tellure nova

per-

perpetuo vitam omnino beatam acturos eſſe. Ἐπερώτησις *1 Petr. III, 21*, non eſt *interrogatio*, nec *ſtipulatio*, ſed *invocatio*, vel *appellatio ad Deum, ex bona conſcientia* inſtituta. Dicitur baptiſmus λοῦτρον παλιγγενεσίας *Tit. III, 5*, quatenus quis fidem in Chriſtum profitetur, quæ cor mundat *Act. XV, 9*. Uti diſcutit quæſtionem de pædobaptiſmo, prolatis ſententiis tum illorum, qui eum defendunt, tum qui rejiciunt, quod anabaptiſtæ faciunt, judicat, in rebus, de quibus expreſſo mandato conſtitutum nihil eſt, perpetuam conſuetudinem ſequendam eſſe. Quando autem probari poteſt, haud diu ab Apoſtolorum ævo baptiſmum infantum obtinuiſſe, neque aliquid huic a Chriſto & Apoſtolis contrarium fuiſſe præceptum, jure merito retinetur. Adjungit præcepta quædam prudentiæ, quæ ab anabaptiſtis vult obſervata. Anabaptiſtæ, iterum tingentes illos, qui in infantia ſacris aquis ſunt luſtrati, provocant ad exemplum *Pauli*, ſecundum baptizantis diſcipulos *Joannis, Act. XIX, 5*. Quam difficultatem ita expedit: tum temporis fuiſſe, qui doctrinam *Joannis* valde imperfectam tradiderint, quod ex horum reſponſo ſatis appareat; fuiſſe igitur *iterum ab Apoſtolo tinctos*, non ut baptiſmo *Joannis* quidquam derogaretur, qui ante Chriſti apparitionem & adſcenſionem uſum ſuum habuerit, ſed ut cunctis innoteſceret, Spiritum ſanctum diſcipulorum *Joannis* privilegium minime eſſe. Quare diſtinguendum eſſe arbitratur inter illos, qui hic memorantur, & eos, quibus ipſe *Joannes* baptiſmum adminiſtravit. Qui ab hoc baptizati ſunt, illi ſe ſtatim ad Chriſtum contulerunt, adeoque altero baptiſmo opus non habuerunt; qui vero poſt demiſſum cœlo Spiritum, & promulgatum Evangelium, non a *Joanne*, ſed diſcipulis ejus, baptizati fuerunt, cum illis aliter fuit comparatum. Ab hoc tempore baptiſma *Joannis* uſum ſuum prorſus amiſit. Rationes, quare Chriſtus commemorationem mortis ſuæ per ſacræ Cœnæ uſum celebratum voluerit, has affert: 1) ſolennitas paſchalis, quam cum diſcipulis ſuis renovabat, ipſum quaſi invitavit, ut in ſimilis beneficii memoriam ſimilem ritum præſcriberet. Paſcha cum reliquis legis Moſaicæ ritibus brevi in deſuetudi-

[Margin: Pag. 181-194. Lib. II. Pag. 17-19. — 29-44. — 44-47.]

 nem

nem abire debebat, quoniam præter Judæos aliæ quoque gentes in populum Dei adoptandæ erant, ad quas beneficium liberationis ex Ægypto non ſpectabat. Aliud beneficium, paſchali longe præſtantius, jam per Chriſti mortem exhibendum erat, quod omnibus populis viam ad ſalutem æternam monſtraret. Quare Chriſtus, præſentis ſolennitatis exemplo uſus, quæ per convivium celebrabatur, ſuam quoque mortem, quæ vitam mortalibus affert, per convivii ſpeciem celebrari voluit. 2) Quia memoria mortis Chriſti non alia ratione melius, quam hac feſtivitate, conſervari potuit. 3) Hac ratione obviam eſt itum, ne memoria perpeſſionum ac mortis Chriſti ſuperſtitionibus exorientibus fuerit obliterata. Hac via omnino impeditum eſt, quo minus Docetarum factio altas radices agere potuerit. *Cap. IX* diſputat de calicis ſubtractione, quæ ſequebatur proxime, ubi transſubſtantiationis dogma erat invectum, & quam injurii ſint in mandatum Chriſti. Verba facit porro de miſſis ſolitariis, &, num jure poſtulare poſſint, ut plebs ſacra illis interſit, disquirit, præterea de hoſtiæ adoratione, quæ ex ipſa Pontificiorum doctrina neminem ab idololatriæ metu immunem præſtare poſſit, illiusque cum ſingulari pompa extra templorum ſepta circumgeſtatione, & feſto corporis Chriſti, commentatur. *Capite X* exponit de ſacrificio miſſæ, quod nullum fundamentum in Scriptura habere demonſtrat, &, unico ſacrificio Chriſti, in cruce peracto, adverſum eſſe, enucleate & erudite docet, indicans ſimul, quæ ratio fuerit, quare Patres ſacram Cœnam *ſacrificium* appellarint, & quam notionem cum illo conjunxerint, diverſam omnino ab hodierna Pontificiorum. Et, quandoquidem Pontificiæ eccleſiæ doctores in propugnandis dogmatibus & ritibus ſuis perpetuo provocant ad conſenſum priſcæ eccleſiæ, *Cap. XI* conſiderationes inſtituit, *primo*, num ſit neceſſarium, Patrum ſemper conſenſum habere, cum longum admodum ſit, per illorum ſcripta ire, & in dogmatibus fidei non tam videndum, quid alii ſenſerint, quam quid ex Scriptura, ejusque complexu, adhibitis juſtis Critices regulis, efferri queat. *Secundo* demonſtrat, tantum abeſſe, ut Patres trans-

[Margin: Pag. 64-67. | 104 - 123. | 123 - 137.]

ſub-

ſubſtantiationis dogma, quale illud in Concilio Tridentino eſt conſtitutum & declaratum, doceant & confirment, ut contra alia omnia tradant, quanquam illi impropriis ac figuratis locutionibus occaſionem præbuerint. *Cap. XII* exhibet ſententiam doctrinæ utriusque partis Proteſtantium, &, qua via ſubinde diſſidium illud tollere nonnulli tentarint, oſtendit. Præmiſſus eſt index locorum Scripturæ, quæ explicantur. Chartæ nitore & typorum elegantia Opus hoc ſe commendat, inque tollendis mendis tanta adhibita eſt diligentia, ut pauciores remanſerint. Pag. 137-154. 155 - 168.

Das Neue Teſtament nach der Ueberſetzung D. Chriſtoph Auguſt Heumanns, ꝛc.

id eſt,

NOVUM TESTAMENTUM EX VERSIONE D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI. Pars I, Evangelii Scriptores & Acta Apoſtolorum complectens; Pars II, Epiſtolas Apoſtolorum & Apocalypſin continens.

Hannoveræ, in bibliopolio Fœrſteriano, 1748, 8.
Alph. 2 plag. 11.

Quam maximi quidem æſtimanda eſt *Lutheri*, temporis ſui feliciſſimi tabularum ſanctiorum interpretis, Teutonica verſio Bibliorum, tam pulchre, ut tunc erant tempora, confecta, ut ab unoquoque noſtrum non ſine admiratione legi tractarique queat; nihilo tamen minus eo haud progrediendum eſt, ut vane exiſtimetur, nihil plane in ea contineri converſione, quod ex inſigni literarum Græcarum luce, in qua jam verſamur, in Novi Teſt. libris vel emendari, vel terſius conſcribi, poſſit. Quin ipſe *Lutherus* Novi Teſt. verſionem, in Patmo ſua elaboratam, non magis, quam par erat, prædicabat, ſed ita modeſte de ea ſentiebat, ut non ſolum in literis, ad *Spalatinum* miſſis, ingenue teſtaretur, ſe cum *Philippo* omnia elimare, ſed ſequentibus etiam temporibus hinc

Digitized by Google

& illinc multa ipſe emendabat, ardentiſſime optans, ut Teutones ſui ſucceſſu temporis perfectiorem, & textui avthentico magis magisque accommodatam, nanciſcerentur verſionem. Patet ex his, abunde in ſcriptis *Lutheri* confirmatis, argumentis, manes tanti viri minime violari a poſteris, ubi varietas lectionis, a Græco textu recedentis, indicatur, notatur, & in meliores partes mutatur, quod laboris ſuperioribus jam temporibus *Klemmius*, Tubingenſis Theologus, & *Zeltnerus*, Altorfinus, in editionibus Bibliorum in ſe ſuſceperunt. Proſtant quidem verſiones Novi Teſt. recentiores a *Reitzio*, *Trillero*, *Jungherrotto*, & *Zintzendorſio*, confectæ, quorum tamen opera in laboribus exegeticis, ubi plurimi defectus apparent, inanis fuit, & hinc translationes eorum utilitate fere omni carent. Laudatiſſimum hinc Autoris Venerabilis eſt ſtudium, eo nitentis, ut elegantior paulo & curatior verſio Teutonica cum orbe literato communicaretur, illiteratis hominibus caute circumſpecteque commendanda. Partium jam erit noſtrarum, inſtituti Cel. Autoris rationes exponere, ut habeant Lectores noſtri, quod exſpectent de laboribus dudum exoptatis. Tria requiruntur, judice Autore noſtro, ad probe conficiendam verſionem Germanicam: quorum *primum* eſt, ut interpres Græcam linguam recte calleat, neque eam ſolum, quæ pura dicitur, ſed illam etiam, Hebraiſmis propius accedentem, quam Judæi ſuo efferre ſolebant ore. Incommodum ſcilicet eſſet, cum *Pfochenio* ſtatuere, omnibus in locis Novi Teſt. pure Græcam eſſe dictionem, dum hujusmodi aſſerta haud confirmari poſſunt, & multis oraculis, curate explicandis, obicem ponunt. *Alterum*, huc referendum, eſt ſtudium indefeſſum in arte exegetica, ejusque partibus, ſtrenue collocatum, ita, ut exercitatiſſimus in hoc campo videatur interpres, & libros novi Fœderis omnes curate expoſuerit ante, quam manus ad verſionem unius libri afferat. *Tertio* neceſſitatis eſt etiam, ut verſio Teutonica non niſi ab iis ſuſcipiatur hominibus, qui facultate linguæ vernaculæ pollent, & purioris elegantiorisque linguæ ſunt ſtudioſi. Egregia hæc & laudabilis omnino, ſed rariſſima etiam, eſt virtus. Taxatur

Digitized by Google

xatur hinc ab Autore Latina *Bezæ* verſio, a *Junio* & *Tremellio* utplurimum retenta; quin & laudata alias *Seb. Schmidii* converſio, ſecundum literas Græcas ita exornata, ut vel Latina vocabula non niſi ab eo plurimis in locis intelligi poſſint, qui textum avthenticum ſemel iterumque perlegerit. Sic v. g. vox Servatoris *Matth. XIX, 9*: **παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν**, *Sie werden euch in Trübſal überantworten*, minus concinne ſecundum Teutonicum flueret idioma. Quam cauſam etiam *Lutherus* ſubinde ornavit, literalem ſtrictamque relinquendo vocis expreſſionem, realem retinens ſenſum. Sic fieri etiam ſolet, ut unicum vocabulum Græcum cum aliquibus vocibus Teutonicis ſit efferendum, v. g. *Act. IX, 22*, **συνέχυνε** vix magis commode eſt reddendum, quam ita: *Er diſputirte mit ihnen zu ihrer Beſchæmung*, id eſt, in ruborem illos dabat diſceptando. Præterea ad id etiam reſpiciendum eſt, ut copia verborum in Teutonica verſione appareat, ubi una eademque dictio Græca repetitis occurrit vicibus. Hæc ſumma eſt regularum, interpreti Germanico propoſitarum & præſcriptarum, & ab Autore ipſo diligenter obſervatarum. Altius nunc paulo eſt inveſtigandum, quid ſecundum *Lutheri* verſionem in hac recentiori converſione limatius fuerit poſitum. *Primo* varia occurrunt in laboribus ejus Biblicis uſitatiora olim, noſtris vero temporibus minus conſueta, vocabula, quorum indicem ſatis copioſum dedit *Ditericus von Stade*. Hæc, cum intellectui minus eſſent obvia, Autor e medio ſuſtulit, atque ſecundum ſeculi genium dictionem temperavit Teutonicam, &, quod *ſecundo* loco erat notandum, liberiorem ex ore vernaculo confecit verſionem, ubi preſſius juſto Græcis veſtigiis *Lutherus* inſiſtebat. *Tertio* multa, minus recte in *Lutheri* converſione poſita, quod mirandum non eſt, pro doctrina iſtorum temporum, aliter ſunt tranſlata, ut arctius cum fontibus verba conſpirent. Ut præterea luculentior reddatur verſio, plurimis locis inſerta ſunt vocabula illuſtrantia, uncis ſuis determinata, ubi quidem Autor ita exiſtimari vult, ut non additamentum hocce ſit ſuum, ſed ſenſus prægnantioris modo,

Digitized by Google

do, in Græco ſermone latitantis, expreſſa evolutio. Additas habet Præfatio utraque, binis Partibus propoſita, multas ſpecialiores obſervationes, inſtituti rationem illuſtrantes, confirmantes, vindicantes. Cum vero perſuaſum habeamus nobis, Lectores ex dictis jam argumentis juſtum pretium adornatæ novæ huic verſioni eſſe ſtatuturos, quam comtam, elegantem, & diligentem, ſubinde deprehendimus, conſulto omittimus iſta, inprimis cum, per ſpatii anguſtiam, exemplis res ulterius declarari hic vix poſſint, quo tamen omnia in hoc ſtudiorum genere ſunt referenda. Ceterum vitam viresque Cel. Autori comprecamur, quo uberiores ſuas *Annotationes in Novum Teſtamentum* propediem nobiſcum communicare, & hinc ſolidam atque accuratam verſionis ſuæ rationem reddere, queat.

Jeſus, der wahre Meßias, aus der alten Jüdiſchen Theologie ꝛc.

id eſt,

DEMONSTRATIO DE JESU, VERO MESSIA, ex veterum Judæorum Theologia puriori probata atque confirmata; cum Præfatione de hiſtoria orthodoxiæ Judaicæ, & triplici Indice, edita a CHRISTIANO SCHOETTGENIO.

Lipſiæ, ex officina libraria B. C. Breitkopffii, 1748, 8.
Alph. 2 plag. 21.

Omnem non Theologorum ſolum, ſed orbis etiam Chriſtiani, meretur applauſum moleſtiſſima Celeberrimi Autoris occupatio circa rem tædii quidem, ſed utilitatis etiam, pleniſſimam. Ante aliquot annos, Latino ſcribendi genere uſus, hujus rei primas ſuſcepit partes, cum *Tomum ſecundum Horarum Hebraicarum* cum orbe literato communicaret. Quo vero magis polita atque curatius elaborata Theologia fieret Judaica antiquior, & omnes cives ſuos Autor de veritate rerum Judaicarum certiores faceret, iteratas curas laboris ſui inſtituit, atque ex doctrina ſua, antiquitatis Judaicæ ple-

Digitized by Google

pleniſſima, ingentem ſuppeditavit, lectoribusque tradidit, theſaurum. In *Præfatione*, operi præmiſſa, hiſtorice aſſeritur, puriorem Judæorum doctrinam integram conficere Chriſtianorum Theologiam. Quæ vero fata tum ipſa ſanctior Judæorum doctrina ſit experta, tum quæ ſanctos eorum doctores & magiſtros calamitates preſſerint, circa imminentem *Chriſti* & *Joannis* adventum, & ſequiora tempora, quamque immutaverit maxime faciem ſuam Phariſaicis deturpata fermentis Theologia Judæorum, ſtrictim hic recenſetur, &, quis ſit uſus hujus operis, ſub calcem Præfationis indicatur. Quatuor vero ille abſolvitur modis. Primo patet ex eo, caput doctrinæ omne poſuiſſe veteres Judæos in Meſſia, & diligentiſſime cum eo ambulaſſe, fideique concentum, & veritatum divinarum nexum, probe eos calluiſſe. Multa deinde Scripturæ ſacræ teſtimonia largiſſimam inde fœnerantur lucem, ubi prima via ſtatim ad ea deferimur, ad quæ, his neglectis, per multos anfractus, nec ſatis felici ſemper ſucceſſu, nobis adire contingit. Docemur tum, nos Chriſtianos verum aſſequi ſenſum doctrinæ ſanctioris, cum Judaicæ ſcilicet Theologiæ ſcitis purioribus accurate congruentem. Hæc denique Autoris opera ludibrio exponit omnes, cujuscunque ſint ſectæ atque doctrinæ, homines, qui vel minus recte, vel impie, de Meſſia ſentiunt, & pudorem illis injiciunt Judæi, ſaniora quondam docentes de Meſſia, quam illi, in ſinu eccleſiæ, & in luce veritatis, nati. His delibatis, ad Opus ipſum enarrandum progredimur, in quo quidem tanta eſt rerum expoſitarum copia atque gravitas, ut non, niſi fructus quosdam pauciſſimos, ex hac meſſe, ſpicilegii inſtar, in has tabulas publicas colligere nobis liceat. *Novem* omnis hic propoſita Theologia veterum Judæorum abſolvitur *Libris*, quorum *prior* de nominibus, hic occurrentibus, ſatis clare præcipit, & *quatuor Capitibus* abſolvitur. *Caput primum quatuor* conſtat *Sectionibus*, Pag. 5.
& nomina Meſſiæ, in libris Judaicis obvia, accurate exponit.
Inter nomina, divinam naturam Meſſiæ explicantia, in *prima* 9.
Sectione occurrit *Jehova*, *verbum Domini*, *Schechina*, *Sanctus* 13.
benedictus Deus, *Filius Dei*, & quæ ſunt reliqua. Inprimis ulti-

ultimo loco hic prolatum nomen eſt recte tenendum, ubi
Pag. 15. *mater* dicitur Meſſias, de quo nomine in *Sohar* multa occurrunt
teſtimonia. Æquipollentia hujus rei nomina ſunt *Schechina* & *uxor*.
Denominandi rationem inde repetunt Judæi,
quia prima perſona eſt pater, & reſpectu hujus marita & ma-
16. ter dicitur Meſſias. Nomina naturæ humanæ Meſſiæ in *ſe-*
18. *cunda Sectione* propoſita ſunt: *Filius Davidis*, *David*, *filius*
hominis, *Zemach*, *leproſus*, & *matrona*. *Leproſum* dicunt
Meſſiam ea de cauſa, quia omnes in ſe de nobis ſuſcepit in-
firmitates *Jeſ. LIII*, 4. *Matrona* dicitur ob unionem di-
vinæ & humanæ naturæ, ubi *matrona* quaſi introdu-
citur Meſſias, humanam naturam in ſuam perſonam ſu-
19. ſcipiens, ſibique jungens. In *tertia Sectione* enarrantur
nomina, Meſſiæ ob triplex officium competentia, qualia
ſunt *Rex*, *Schiloh*, *Goel*, *Michael*, *Angelus* Domini, fa-
23. ciei & fœderis. Præter reliqua etiam hic dicitur *Michael*,
media columna, & *metatron*. *Filius lapſi* dicitur ob collapſum
regnum Davidicum, a Meſſia reſtituendum. Hanc rationem
exhibent Rabbini, tolerandam forte, & ex ſenſu regni Davi-
dici ſpirituali recte explicandam. Aliam vero ſubminiſtrat
Noſter nominis hujus cauſam, eam ſcilicet, qua ex lapſo hu-
mano genere ortum ſuum habuit Meſſias, & naturam homi-
24. nis in ſe ſuſcepit. Nomen *Metatron*, Meſſiæ inter nomina
occurrens, vel ex Latino vocabulo *Metator*, vel *Mediator*, in
Theologiam Judaicam receptum & civitate donatum eſſe,
25. Noſtro veri videtur ſimile. *Sectio quarta* nomina Meſſiæ,
perfectiones ejus quaſdam exponentia, declarat, qualia ſunt:
27. *Chaina*, gratiæ plenus, *Menachem*, conſolator, qui dicitur
filius *Ammiel*, ſub qua appellandi ratione forte nomen *Imma-*
30. *nuelis* latet; & *Jinnon*. Sequens *Caput ſecundum* exponit
nomina, quibus tempus adventus Meſſiani a Judæis indica-
34. tur. Quamplurima ejuſdem generis occurrunt teſtimonia in
Theologia veteri Judaica. Inprimis tempora Meſſiana ſa-
lutantur nomine *dierum poſtremorum*, *finis dierum*, *regni cæ-*
37. *lorum*, & quæ his ſunt ſimilia. Dies Meſſiani etiam dicuntur
ſeculum futurum, ubi Noſter recte monet, hanc appellatio-
nem

Digitized by Google

nem etiam convenire cum æterna beatorum conditione. Curate hinc finibus ſuis includit hanc nominandi rationem Noſter, quando de temporibus Meſſianis uſurpetur, & quando ad æternitatem pertineat. Inprimis invictis rationibus demonſtrat contra *Rhenferdum* Autor, tempora Meſſiæ non ad *hoc*, ſed ad *futurum*, *ſeculum* eſſe referenda, quod, cum magni ſit momenti in lectione Judaicæ Theologiæ, probe tenendum eſſe, monetur. Ex hoc appellandi more illuſtrantur loca *Paulina* ad *Hebr. II*, 5, *VI*, 5, *IX*, 26. Quin etiam, *Paulum* eo ſpectare, Noſter contendit, 1 *Cor. X*, 11, & *Epheſ. II*, 7. Nobilem *Caput tertium* tractat materiam, ad principia cognoſcendi Theologiam Judaicam pertinentem, cujus ſumma ad doctrinam de *traditionibus Judaicis* refertur. Ea erat mens Autori Celeberrimo in conficiendo hoc Opere, ut orthodoxam Judæorum doctrinam ex antiquiſſimis libris, purioribus ſcilicet fontibus, in lucem quaſi e tenebris revocaret, & doceret, quanti intereſſet, antiquiorum & recentiorum Judæorum volumina volvere atque revolvere. Primo itaque loco ponit tabulas ſanctiores Veteris Teſtamenti, ex quibus vera Meſſiæ doctrina eſt repetenda. Præter has, ante Aſſyriacam atque Babylonicam captivitatem longo jamjam uſu tritas, nullus Meſſianus ad nos pervenit liber. Babylonica adhuc durante captivitate Chaldaicæ feruntur verſiones, quæ *Targumim* dicuntur, confectæ, usque dum ſucceſſu temporis totus codex, pro integritate ſua, a ſingulis viris doctis in linguam Chaldaicam converteretur. Ætatem vero antiquisſimam, hic indicatam, ferre verſiones, *Targumim* dictas, ex libris Judaicis conſtat. Mutata autem ſequioribus temporibus doctrinæ ſolidioris Judaicæ facie, & Phariſaica ingruente nequitia, multæ impiæ, ſaltem vaniſſimæ plurimæ, afferebantur traditiones. Optimæ tamen frugis doctrinam nobilior Judaicorum doctorum pars, prioribus poſt Chriſtum natum Seculis, in libros quosdam conſarcinabat, ex quibus præclara multa in ſuam rem convertit Noſter. Nomina horum librorum feruntur hæc: *Tanchuma*, *Rabboth*, *Pircke R. Elieſer*, *Mechilta*, *Siphra*, *Siphre*, *Peſickta*, & libri *Midraſchici*, quibus poſterioribus

Pag. 39. 41. 42. 43. 52. 53. 54. 55. 57. 58.

Yy

Pag. 61. ribus temporibus myſtica quædam, puriora tamen, acceſſe-
runt volumina. Sed aderat etiam quædam Judæorum pars
ignobilior, Phariſaica ſcilicet dicta. Hæc traditiones ſuas
63. Autore *Rabbi Jehuda* Seculo poſt C. N. ſecundo in mediocre
volumen conjiciendas curabat, quod *Miſchnam* dicebant, &
in ſcholis ſuis fundamenti loco doctrinæ religioſæ ponebant
Phariſæi. In hanc *Miſchnam* meditationes ſuas proferebant
docti Judæi, & quidem Phariſæi, quas Seculo poſt C. N. ſe-
ptimo in aliud volumen ſpiſſius conferebant, atque *Gemoram*
dicebant, abſolutiſſimum ſcilicet commentarium in *Miſch-
nam*. Mixta hic licet bona ſint malis, tamen, ſi cautio ad-
hibeatur neceſſaria, teſtimonia veritatis, licet rara, ex illo,
65. *Talmude* ſcilicet, erui poſſunt. Præter hos Autores in hanc
claſſem etiam referuntur libri noſtri *apocryphi*, ad calcem Bi-
66. bliorum, & quidem Vet. Teſtamenti, adjecti, quin imo *Philonis*
ſcripta, de quo hoc Autoris eſt judicium, fuiſſe eum *Semi-
Judæum*, cum reliquis librorum iſtorum Autoribus, ideo,
67. quia Meſſiæ non injiciat mentionem in ſcriptis ſuis. Reliqui
poſt *Talmud* confectum ſcriptores Judaici dicuntur recen-
tiores, & ab Autore, utpote hoſtes Meſſiæ, & crucis ejus,
68. in diſquiſitione hac theologica fuerunt negligendi. Acce-
dit huc, recentiores Judæos veterum mutilaſſe libros, quod
ex libro *Jalkut*, & novis editionibus libri *Sohar* & aliorum
Midraſchicorum, ſine multo negotio poteſt comprobatum da-
71. ri. Ejusdem tamen delicti etiam Chriſtiani aguntur rei, ſi-
quidem inter omnes conſtat, quam miſere *M. Marinus* ſcri-
pta Judaica in gratiam cœtus Romani truncaverit & deturpa-
verit. Ex his fontibus hauſit Noſter elegatisſimam ſuam
73. doctrinam theologicam Judæorum. His tamen omnibus
etiam inſervit doctrina de *Cabbala*, cui *quartum* dicatum eſt
Caput. *Cabbala* genuina eſt doctrina Judæorum de Meſſia
arcana, & ſic diſtinguitur a falſa, quæ arcanam quidem do-
ctrinam alit, ſed ſolido fundamento deſtituitur, & hinc ima-
ginationi vagæ magis, quam ſaniori dijudicandi arti, litat.
75. *Cabbala* alia eſt *exegetica*, quæ circa vocabula ſingula, vel li-
teras ſingulares, vel voces integras, verſatur, quarum rerum
omnium

omnium exempla Cel. Autor addidit; alia eſt *ſyſtematica*, quæ aliqua ſaltem ordinis ſpecie veritates divinas tradit. Prioris generis exercitationes cabbaliſticas reperimus etiam in epiſtola *Pauli*, ad *Galatas* perſcripta, ubi Apoſtolus res cum *Sara* & *Hagare* geſtas ad utriusque Teſtamenti, Veteris ſcilicet & Novi, rationes refert. Poſterioris generis quatuor potiſſimum exempla eminent inter Judaicos doctores cabbaliſticos celebratiſſima, quorum nomina hæc ſunt: primo *arbor cabbaliſtica;* ſecundo *currus Ezechielis;* tertio *opus creationis;* quarto *deſcriptio ſenis* apud *Danielem.* Singulorum exemplorum brevem addit enarrationem Noſter, utiliſſimam ſane iis, qui hujusmodi libros legere aggrediuntur. Sub finem hujus *Capitis Cabbalæ theoreticæ* & *practicæ* explicantur notiones, & docte monetur, *Cabbalæ* veræ & genuinæ ſuam manere laudem, ſuumque uſum. Progredimur nunc ad *Librum ſecundum*, in quo continetur magna exemplorum turba de iis Scripturæ ſacræ locis, in quibus nobiſcum Judæi antiquiores Meſſiam viderunt, Chriſtiano homini perquam acceptis, ideo, quia antiquiores Judæi auditores fuerunt Prophetarum, & hinc avthenticam habuerunt autoritatem atque explicationem. Hinc patet convenientia primorum eccleſiæ Chriſtianæ doctorum cum eccleſia orthodoxa Judaica, a qua Phariſæi & reliqui immorigeri, quin etiam recentiores omnes, diſceſſionem faciunt, in condemnationem ſui, cum & a ſuis majoribus ipſi diſcedant, & veritatem relinquant, inde a primis Judæorum patribus cognitam, & plurimis teſtimoniis confirmatam. Ordo libri hujus ille eſt, ut *duas* quaſi diſtinguatur in *Partes*, quarum *prior* loca tractat palmaria Scripturæ ſacræ, in libris Judaicis expoſita; *altera* breviores Judæorum expoſitiones ſecundum ordinem librorum omnium Vet. Teſt. exhibet. Maxima operis hujus pars huic labori eſt dicata, neque adeo nobis, quibus brevitatis habenda eſt ratio, curatiori ſingularum rerum enarrationi vacare licet. Id modo notandum hoc in loco videtur, ne reprehenſioni detur locus in eo, quod ſubinde repetitæ quædam explicationes lectori ſint obviæ, Autorem non ex uno eodemque libro

Pag. 83. 88. 91. 98. 99. 100. 101.

Judaico, ſed ex diverſis, in medium protuliſſe teſtimonia eccleſiæ Judaicæ, quod multo nos certiores reddit de mirifica veterum Judæorum conſenſione, tantumque abeſt, ut hoc tædio ſit lectori attento & bene ſentienti, ut jucunditati hoc potius & voluptati cedat, ſi confirmatam inveniamus crebrioribus teſtimoniis veritatem Meſſianam, ubi præterea Autori hoc ſingulari ducitur laudi, quod multa impedita, & caligine quadam doctrinæ Rabbinicæ involuta, reſtituerit luci, non altius repetita illuſtratione, & ſponte quaſi
Pag. 485. fluente explicatione. Properamus, relictis his, ad geminam Appendicem, huic libro adjectam, quarum *prior* de *arbore cabbaliſtica*, *altera* de *curru Ezechielis*, uberiorem paulo continet enarrationem, appoſite hic enucleatam. Opuſculum hoc continet doctrinam de Meſſia, quam Noſter præclare oſtendit ex locis Judaicis, ubi expreſſis plane verbis teſtantur, *arborem*
487. *Cabbaliſticam* agere de Meſſia. Deinde affert Autor ad probandam hanc ſententiam nomina æquipollentia Meſſiæ, in aliis Judaicis libris occurrentia, qualia ſunt *Schechina*, *Metatron*, & ſimilia. Tum probatur hæc res ex eo, quod Judæi in *arbore cabbaliſtica* exponant easdem ſententias Meſſianas, quas alibi de Meſſia interpretantur. Denique res omnis extra omnem ponitur dubitationem, ſi conſideremus contex-
489. tum omnium veritatum, quæ de Meſſia dicuntur, & in *Sephiroth* atque arbore iſta cabbaliſtica ita proponuntur, ut in nullum alium iſta cadant, niſi in Meſſiam. Et hoc eſt palmarium Autoris in hac recenſione opus, ut, per partes eundo,
490. de perſona Meſſiæ, ejusdemque naturis duabus, ut & de triplici ejusdem officio, ea, quæ in arbore cabbaliſtica extant, ita exponat, ut dubitationi nullus ſit locus, quin libellus iſte cabbaliſticus myſtice doctrinam Meſſiæ tradat. Conſimili plane ratione *altera*, Appendicis loco addita, Commentatio doctrinam
501. Judæorum Meſſianam exponit, in libello, cui *Opus currus* nomen inditum eſt, plene, licet tecte, traditam, & feliciter
509. ab Autore detectam. His ſuccedit *Liber tertius*, de *perſona* Meſſiæ agens, & doctrinam omnem, hic expediendam, ita complectens, ut in *decem Propoſitiones* totum argumentum inclu-

includatur. *Prima theſis* hæc eſt: *Unicus tantum eſt Meſſias.* Hanc doctrinam purioris Theologiæ fuiſſe ſpecimen, probatur ex eo, quod veteres Judæi eundem dixerunt Meſſiam, & aſino vectum pauperem, & in nubibus cœli usque ad ſenem dierum pervenientem. Meſſias porro ab antiquiſſimis Judæis, quin etiam doctoribus Talmudicis, κατ᾽ ἐξοχὴν filius *Davidis* dicitur. Atqui, ſi eſt filius *Davidis*, nec *Joſephi* & *Ephraimi* filius eſſe poteſt. Tum Judæi expreſſe Meſſiæ unitatem attribuunt, cum oraculum *Zacharianum Cap. XIV, 9*, de Meſſia exponunt, & unitatem ipſi attribuunt talem, qualem nulli alii. Nunc vero plane negandum non eſt, veteres etiam Judæos de duplici loqui Meſſia, ſed ita tamen, quod probe eſt tenendum, ut duplex iſte Meſſias unicam tantum conſtituat perſonam. Eſt hæc vera & ſana de gemino Meſſia Judæorum præceptio, cujus moris multa exſtant exempla in omnibus libris Judaicis, inprimis Cabbaliſticis, quorum nonnulla opportune ab Autore afferuntur. Rem ita proponunt Judæi, dicentes: Meſſias, *Davidis* filius, qui ſub alis, id eſt, uti nos loqui amamus, in gremio divinitatis, adeoque æternus, eſt, in unionem tranſiit cum Meſſia, *Joſephi* filio, id eſt, humanam naturam in ſe ſuſcepit, ut mori & pati poſſet, & in communionem illa divinarum perfectionum veniret. Hac ſub ratione non duo, ſed unicus modo Meſſias, procedit. Veritas hujus aſſerti apparet etiam ex eo, quod Judæi Meſſiam nominant *Menachem*, filium *Ammiel*, & eandem hanc perſonam quidam *Davidis*, quidam *Joſephi*, filium nominant, quod indicio eſt, unicum modo eſſe Meſſiam. Deinde multa afferri poſſunt teſtimonia Judæorum, qualia in hoc ipſo opere quamplurima occurrunt, ubi idem, quod Meſſiæ, *Joſephi* filio, attribuitur, Meſſiæ, *Davidis* filio, adſcribitur. Quod ad originem gemini hujus Meſſiæ ſtatuendi attinet, Cel. Autor putat, R. *Simeonem*, & aſſeclas ejus, primam arripuiſſe occaſionem ex doctrinis Chriſtianis, in Novo Teſtamento patefactis, ubi Servator noſter vice plus ſimplici pro filio *Joſephi* habetur, v. g. *Luc. IV*, 22, *Jo. I*, 45, *VI*, 42, ut & *Luc. III*, 23, & genealogia gaudet duplici; hinc fit, ut, cum *Joſephus* filius

Pag. 510. 511. 517. 518. 519. 520.

Pag. 520. *Davidis Matth. I, 20,* nominetur, facile conficiatur, utrumque nomen eandem perſonam referre. *Secunda theſis,* perſonam Meſſiæ ex duabus, divina ſcilicet & humana, naturis conſiſtere, docet, ubi verba Judæorum hæc ſunt planiſſima:
523. Schechinam ex terrenis & divinis conſtare perfectionibus.
524. In *tertia* demonſtratur *propoſitione,* Meſſiam eſſe verum
526. Deum, quod patet tum ex nominibus divinis, tum ex proprietatibus, ſoli Deo competentibus, v. g. æternitate, omnipoten-
530. tia, omniſcientia, & infinitate. Porro idem Judæi confirmant ex operibus divinis, quæ Meſſiæ attribuuntur, & ad regnum
534. partim naturæ, partim gratiæ, pertinent, qualia ſunt creatio, miracula, poteſtas beandi, revocatio mortuorum in vitam,
536. victoria de diabolo reportata, liberatio hominum a morte & diabolo, receptio peccatorum in gratiam, & quæ ſunt his
539. ſimilia. Porro attribuuntur Meſſiæ multæ prærogativæ, quæ nulli plane homini competunt, quo refertur honor adorationis, & adjuratio patris, ex libris Judaicis hic præclare ſtabili-
540. ta. *Quarto* demonſtratur ex ſcitis veterum Rabbinorum, Meſſiam eſſe perſonam, a patre & Spiritu ſancto diſtinctam;
545. *quinto,* Meſſiam cum patre & filio eſſe unicum Deum;
547. *ſexto,* characterem internum Meſſiæ eſſe paſſivam generationem a patre, de qua dicunt Judæi, Deum genuiſſe, & duas fuiſſe perſonas, quarum altera genuit, altera genita eſt, filius ſcilicet, qui fundamentum eſt mundi, in æternum vivens, & media columna. Deſcribunt iidem generationem iſtam immaterialem, quia facta eſt in myſterio cogitationum, id eſt, non corporali, ſed ſpirituali, modo, ubi ſpiritus cum ſpiritu,
550. & quidem infinitus cum infinito, eſſentiam ſuam communi-
551. cat. In *ſeptima & octava Theſi* confirmatio additur pleniſſima, Meſſiam verum eſſe hominem, & duas ejusdem naturas ita eſſe unitas, ut unicam tantum conſtituant perſonam,
556. ubi, præter alia, copioſe hic ex cabbaliſticis doctrinis propoſita, ab Autore curate monetur, Cabbaliſtas recte inter ſe diſtinguere unionem perſonalem ab eſſentiali communicatione eſſentiæ divinæ, & ab unione myſtica Chriſti & animæ fide-
561. lis. Humanam Meſſiæ naturam ſine peccato eſſe, & communi-

municationem naturarum atque idiomatum fluere ex unione
perſonali, *nona* & *decima* declarat *Theſis*, ubi Noſter multum Pag. 565.
laboris collocat in enucleandis propoſitionibus *perſonalibus*
atque *idiomaticis*, quæ, ſicut in Codice ſacro occurrunt, ita
etiam in Rabbinicis literis ſunt obviæ. Inprimis creberrima 571.
ibi occurrunt teſtimonia, Meſſiæ omnipotentiam & omniſcientiam, quod ad humanam naturam, vindicantia. Sub finem li- 578.
bri notatur, integram de communicatione divinorum idiomatum doctrinam a Judæis, ductu Scripturæ ſacræ, dici *unctionem*, ubi recte ſtatuunt, Meſſiam fuiſſe unctum cum Spiritu
ſancto, & quidem largiori menſura, quam ſocios ejus. Admirandam diligentiam Autoris in conquirendis rebus hiſtoricis, ad vitam omnem Meſſiæ pertinentibus, deprehendimus in *Libro quarto*, *ſex Capitibus* omnia, in Vet. Teſt. a 582.
Meſsia geſta, ex libris Judaicis tradente. *Caput pri-* 583.
mum proponit decretum divinum, ab æterno de redem- 588.
tione generis humani per Meſsiam confectum, de quo Judæi ita ſentiunt: Meſsiam ex decreto divino venturum eſſe
in terram, ex Patriarchis ſcilicet progenitum, ut, aſſumta
humana natura, homines redimeret, & in gloriam æternam
introiret. Hanc redemtionem, dicunt illi, per legem (id eſt,
per totum verbum divinum,) fuiſſe hominibus annuntiandam,
ut fidelis fieret cœtus, ad eccleſiam Meſsiæ congregatus, &
denique per Meſsiam ſecundum ordinem ſalutis ſalvandus,
ſeu, ut Judæi loquuntur, in Paradiſum evehendus. Hiſtoriam Meſſiæ a creatione mundi ad *Abrahamum* usque *ſecundum* complectitur *Caput*, enarrans ſcilicet opus filii Dei in 589.
creatione mundi, & præſentiam ejus gratioſam in paradiſo.
Credibile etiam eſſe, dicunt Judæi, Meſsiam a tempore infe- 592.
licitatis primorum parentum ſæpe acceſſiſſe eos, atque ſuis
conſolationibus animum depreſſum confirmaſſe. Porro occupatus fuit Meſsias circa translationem *Henochi*, ædificationem arcæ *Noachicæ*, & in ædificanda turre Babylonica ſuam
præſentiam exhibuit. Ex eo vero tempore lubentiſſime af- 594.
fuit poſteris *Semi*, ex quibus ſibi potiſſimum ſuum elegit populum; hinc multa de apparitionibus, *Abrahamo* & *Loto*
factis,

factis, enarrant Judæi, utplurimum etiam ita ſtatuente Codice ſacro.
Pag. 600. In *Capite tertio* hiſtoria rerum, a Meſſia temporibus *Iſaaci, Jacobi* & *Joſephi*, geſtarum, recenſetur. Adfuiſſe, ſcribunt Judæi, *Schechinam Iſaaco* immolando, Palæſtinam peragranti, ad Philiſtæos proficiſcenti, *Jacobo* felicitatem apprecanti, ubi *Iſaacus* verba pronuntiabat, & *Schechina realem* benedictio-
602. nem addebat. *Jacobum* fuiſſe ſervatum in utero per Meſſiam, eumque habuiſſe comitem in via, ad Meſopotamiam ducente, adfuiſſe etiam in voto & matrimonio *Jacobi*, in parturiente *Rahele*, & reditu *Jacobi* ex Syria, Judæi antiqui cre-
606. bris affirmant teſtimoniis. De lucta *Jacobi* cum *Michaele* plurima, ſed ſatis obſcure atque confuſe, enarrant Judæi, ex quibus tamen id eſt veriſſimum, *Michaelem*, qui Meſſias eſt Judæis, fuiſſe luctantem; habuiſſe eum poteſtatem fortunandi homines; fuiſſe ſacerdotem cœleſtem, terrenis, ſeu humanis, oppoſitum, atque eccleſiæ Iſraeliticæ haberi propugnaculum. Ad hunc modum plures etiam a Judæis enarran-
612. tur apparitiones, *Jacobo* atque *Joſepho* a Meſſia factæ. *Caput quartum* hiſtoriam tradit Meſſiæ per tempora *Moſis*, ubi tot tantaque a Meſſia facta enarrantur, ut dicendorum hic ſummam reddere nequeamus. Id unicum, tanquam in univerſum, notamus, ſemper atque ubique *Moſi* adfuiſſe filium Dei, & deinde ſedem ſuam in *tabernaculo* ſuper *ſella propitiatoria* fixiſſe.
623. In *quinto Capite* hiſtoria Meſſiæ tempore *Joſuæ*, Judicum, &
635. Regum Iſraeliticorum, proponitur, cui tandem in *Capite ſexto*
644. hiſtoria Meſſiæ tempore captivitatis Babylonicæ additur, de qua tradunt Judæi, Meſſiam in eam cum Iſraelitis eſſe pro-
646. fectum, ibique *Ezechielem* viſiones habuiſſe ſuas. Referunt etiam de ætate *Eſtheræ*, Deum vindictam ſumſiſſe de *Hamane* & filiis ejus per ſuperiorem *Schechinam*, id eſt, Meſſiam, antea vero Deum meminiſſe *Abrahami, Iſaaci, Jacobi*, & angelum, principem Iſraelitici populi, de cœlo miſiſſe, qui, ad caput regis ſedens, per totam noctem a rege ſomnum arceret, donec mandaret rex, ut annales afferrentur, & ex iis ſibi aliquid prælegeretur, quod geſtum erat regnante ipſo; & exinde factum eſſe, ut occaſionem puniendi *Hamanis* Deus

ſume-

Digitized by Google

ſumeret. Poſt tempora templi ſecundi nihil loquuntur de Pag. 648.
Meſſia Judæi, licet non admodum incredibile videatur, eum
temporibus Maccabæorum ſuas quoque edidiſſe operationes.
Ad finem *Capitis* enarrat Noſter decem migrationes Meſſiæ,
ſeu *Schechinæ*, quas veteres Judæi tradunt. *Primo* migravit
Schechina ab uno Cherubino ad alterum; *ſecundo* a Cherubino 649.
angelo ad limen templi; *tertio* a limine templi ad Cherubinos; *quarto* a Cherubinis ad portam ad orientem plagam 650.
ſitam; *quinto* a porta ad orientem in atrium; *ſexto* ab atrio
ad tectum; *ſeptimo* a tecto ad altare; *octavo* ab altari ad
murum; *nono* a muro templi in urbem; *decimo* ab urbe ad
montem oliveti, ubi annos tres & dimidium exſpectavit,
num Iſraelitæ ad Deum ſint redituri. Nobile in hac enarratione, a Talmudicis, ne veritas aperta & nuda ſit, plane cor- 651.
rupta & depravata, adeſt teſtimonium miniſterii Servatoris
noſtri, per tres annos, & dimidium, adminiſtrati. Appendi- 654.
cis loco ſpecimen *Theologiæ typicæ* exhibetur, quæ ad *perſonas*, vel *res*, ſanctiores eſt reducenda. Inter *perſonas typicas*
refert Noſter ex ſuffragio Judæorum *Adamum*, *Henochum*,
Noachum, *Abrahamum* & *Saram*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Joſephum*, *Moſen*, *Salomonem*, *Eliam*, & *Eliſam*, ut & Pontifi-
cem maximum. De *rebus* multa proferuntur teſtimonia ty- 656.
pica, tum quoad *hiſtorias*, v. g. exitum ex Ægypto, man- 659.
nam, virgam *Aaronis*, tum etiam quoad *cerimonias* & ri-
tus ſanctiores. Memoratu ſane eſt digniſſimum, *crucem* 662.
Meſſiæ ſub multis variisque figuris fuiſſe repræſentatam, ab
Iſaaco inde usque ad Chriſtum, mortis crucem patientem.
Pertinet huc *Iſaacus*, ligna ſacrificii ad eundem locum por- 675.
tans, quo Meſſias crucem portabat; Agnus paſchalis, in formam crucis aſſatus; Unctio ſacerdotum, impoſitio manuum
in die expiationis, elatio, ſeu elevatio, pectoris & femoris, 676.
denique ſignatio placentæ, ſeu panis azymi, in quibus
omnibus forma *crucis* adhibebatur. In *quinto Libro*, 677.
quæ quaſi tractatio eſt præparatoria ad ſequentia, traduntur teſtimonia Judæorum, ex quibus, ſecundum confeſſionem eorum, ad oculos patet, Meſſiam jamjam veniſſe.

Caput inde *primum* ſecundum diverſas ſuas claſſes exhibet teſtimonia Judæorum, adventum Meſſiæ jam pridem factum de-
Pag. 679. monſtrantia. Sic in *Sanhedrin* & *Sohar Raſ* introducitur loquens: *omnes temporum terminos, ad Meſſiæ adventum pertinentes, fuiſſe impletos & præteritos.* Idem confitetur R. *Hillel* & R. *Joſua*, filius *Levi*, ex cujus teſtimonio, poſterioris ſcilicet, attentus lector facile conficiet, Meſſiam veniſſe, qui Romæ, id eſt, ſub Romano imperio, vixit, cum Rabbinis
684. diſceptationes agitavit, & cum ægrotis verſatus fuit. Pertinent huc teſtimonia, a Judæis ex libris Vet. Teſt. pro adventu Meſſiæ in medium prolata, ut ablatio ſceptri a gente Ju-
688. daica, impletio, ſeu exitus, LXX hebdomadum *Danielis*, major templi ſecundi, jam everſi, gloria, ſub adventum Meſſiæ
693. apparitura, & quæ ſunt reliqua. Adſunt etiam in promtu teſtimonia, in quibus Judæi tempus adventus Meſſiæ, ut præterlapſum, notant, quando illud in quaternum millenarium orbis conditi, & poſt captivitatem Babylonicam, ponunt.
699. Nec aliæ deſunt rationes temporum, a Judæis ipſis ſubductæ, & hoc in loco fideliſſime expoſitæ, veritatem hujus adventus
705. præclare demonſtrantes. *Secundum* hujus libri *Caput* ſigna
718. adventus Meſſiæ, a Judæis ipſis indicata, pertractat. Referunt huc Judæi miſeriam atque calamitatem civilem, veritatis oppreſſionem, falſas doctrinas, numerum exiguorum ſapien-
722. tum, futilem doctrinam, corruptionem Synagogarum, multitudinem traditionum humanarum, contentiones inter Rabbinos, famem populi eſurientis verbum Dei, contemtum ju-
729. ſtorum, nefandam impudicitiam, ſcortationem, & quæ ſunt reliqua, examuſſim cum rebus, ſub tempore miniſterii Chri-
734. ſti ex hiſtorica enarratione Novi Teſt. geſtis, convenientia. Appendicis loco additur diſcuſſio quæſtionis, ſæpius inter Judæos ventilatæ, de adventu Meſſiæ, ſub conditione pœnitentiæ promiſſi. Demonſtrat Noſter, antiquam & veram Judæorum doctrinam fuiſſe, redemtionem, per Meſſiam factam, ne momentum quidem unicum temporis differri, nec conditionem a parte hominum requiri, licet adventus ejus in animos mortalium non niſi prævia pœnitentia fiat, de quo tamen

Digitized by Google

men etiam recte ita veteres Judæi judicant. Accedimus nunc ad *Librum ſextum*, in quo vita Meſſiæ, in carne apparentis & jam manifeſtati, ex libris Judaicis depromitur. Eſt hoc caput rei, in quo conſtituendo, & ex veritate pertractando, pro ea, qua valet, eruditionis Rabbinicæ amplitudine Autor noſter mirificam omnino adhibuit operam. In *ſeptem* hanc enarrationem vitæ Chriſti diſtinguit *Capita*, quorum prius de *nativitate* & *pueritia* Meſſiæ agit. Referunt hic Judæi, prima initia manifeſtationis Meſſiæ in carne in Galilæa eſſe debere; ortum ducere ſuum ex tribu Juda, & quidem ex gente *Davidis*, & *Thamare*; naſci eum debere ut puerum, in urbe Judæ, Bethlehem dicta; ſtellam eſſe apparituram in prima nati Meſsiæ hebdomade, & in Oriente per quindecim dies lucem ſuam emiſſuram; Arabes venturos eſſe ad ſalutandum Meſſiam, per quos facile intelliguntur Magi, ex oriente plaga Hieroſolymas accedentes, & per Arabiam Judæam petentes. Confitentur etiam antiqui Judæi, Meſſiam ſtatim poſt nativitatem ſuam delituiſſe per aliquod temporis ſpatium, quod præclare convenit cum libris Novi Teſt. poſt nativitatem Chriſti fugam in Ægyptum enarrantibus. *Caput ſecundum* de miniſterio Meſſiæ exponit doctrinam Judaicam. Enarrant hic patres, Meſſiæ adventum paulo eſſe præiturum, *Eliam*, a parentibus effœtis natum, & animos populi præparantem, ut doctrinam Meſſianam lubentius admitterent, & inprimis pœnitentiam, ſeu reſipiſcentiam ſeriam, prædicaret. Quæ omnia, de *Elia* dicta, in *Joanne* Baptiſta fuerunt impleta. Unctum eſſe, porro dicunt, Meſſiam ad miniſterium ſuum, ſuperveniente eum columba, ſub qua Spiritus ſanctus apparebat, & de hac re nobiliſſimus in *Sohar* exſtat locus. Initiato Meſſia, neceſſe erat, ut tentaretur ante, quam munus ipſum ſuſciperet, quod doctrinam Evangelii prædicando, & miracula patrando, adminiſtravit. Ad hæc majores Judæorum addunt, Meſſiam infantes & puerulos amaſſe, cum pompa ſolenni urbem Hieroſolymitanam fuiſſe ingreſſum, a *Moſe* atque *Elia* ſalutatum, negotia civilia non curaſſe, a plurimis fuiſſe repudiatum, & hinc multi

[Margin: Pag. 736. — 737. — 744. — 746. — 747. — 750. — 753. — 755 — 757. — 761. — 764. — 766.]

veterum Judæorum tempus Meſſiæ attingere non deſidera-
runt, ne expoſiti eſſent vexationibus, amicis Meſſiæ inferen-
Pag. 769. dis. Plurima etiam in libris Judaicis occurrunt teſtimonia,
obſcura tamen, de tempore miniſterii Chriſti, cum ſupputatio-
ne Chriſtiana probe conveniente, ut & de termino annorum,
inter diſceſſum Meſſiæ & deſtructionem templi interceden-
770. tium. Dolores Meſſiani ex doctrina veterum in *Capite ter-*
tio ab Autore exponuntur, in quibus recentiores Judæi, nihil
de paſſione Meſſiæ ſtatuentes, craſſiſſimam ſuam inſcitiam
775. produnt. Mortem Meſſiæ anteire judicium, a gentibus
actum, ubi Meſſias ludibrio gentili exponebatur, & inſons
777. condemnabatur, teſtantur Judæi. Nec tacent de largiſſima
780. ſanguinis profuſione, de miraculis, tempore mortis Meſſiæ
782. obſervatis, ubi etiam locum patientis Meſſiæ aſſerunt, ſcilicet
terram Judaicam, &, quod mirandum ſane, diem quoque XIV
menſis *Niſan*, de quo quamplurima in ſcriptis Judaicis inve-
niuntur teſtimonia, eo collimantia, ut dies iſte ſit dies libera-
785. tionis futurus. Diem hunc paſſionis Meſſiæ per varia indi-
787. catum fuiſſe a veteribus Judæis ſigna, *typos* dicta, in *quarto*
Capite egregie docet Noſter, eo referens ſacrificium *Abe-*
lis, liberationem *Saræ*, victoriam *Abrahami*, liberationem
790. *Joſephi*, & Iſraelitarum tempore *Eſtheræ*, pluraque alia. Re-
794. vocatio in vitam Meſſiæ ita ſecundum *Caput quintum* deſcri-
bitur a Judæis, ut dicant, Meſſiam poſt reſurrectionem in loca
801. inferiora, ſeu orcum, deſcendere, & poſt tres dies, facto terræ
803. motu, conſpicuum ſe hominibus exhibiturum eſſe. Utiliſſi-
ma & jucundiſſima in *Capite ſexto* pertractata materia de *ſan-*
ctis, cum Meſſia in vitam revocatis, nunc nos ad ſe vocat; ſed,
cum magna ſit illius rei vis atque autoritas inter Judæorum
veterum doctores, lectori, ne decerpendo optima perdamus,
813. integrum *Caput* legendum commendamus. Id modo mo-
826. nemus, Celeberrimum Autorem primo de perſonis agere
832. ſanctis, in vitam cum Meſſia revocatis, deinde de tempore,
quo id Judæi factum eſſe perhibent, ſcilicet menſe
Niſan, tum de loco, urbe ſcilicet Hieroſolymitana, denique
de adjunctis quibusdam, ad hanc elaborationem pertinentibus.

Digna

Digitized by Google

Digna hæc res eſt, quæ altius perpendatur, inprimis cum, præter certitudinem rei, nihil plane amplius hac de cauſa ex Scriptura ſacra nobis ſit manifeſtatum. Poſt reſurrectionem Pag. 845.
in ſuprema abiiſſe Meſſiam, & deinde largam Spiritus ſan- 849.
cti effuſionem curaſſe, atque prædicatum Evangelium miraculis patratis confirmaſſe, Judæi tanquam de futuro, ſed vero, Meſſia, vere cum Chriſtianis docuerunt, quod *Caput ſepti-* 851.
mum confirmat. *Liber ſeptimus* per *quatuor Capita* pertra- 857.
ctat reliquas doctrinas Meſſianas, quæ primo ad officium Meſſiæ regium, deinde ad munus ipſius ſacerdotale, tum ad 914.
munus propheticum, denique ad utrumque ſtatum exinani- 945.
tionis atque exaltationis, referuntur. *Octavus Liber* de officiis, 955.
ab hominibus Deo Meſſiæ præſtandis, præcipit ex docendi modo Judæorum. *Tria* hic confecit *Capita* Autor, quorum 963.
primum de reſipiſcentia & fide, *ſecundum* de reliquis in 974
Meſſiam officiis, agit. *tertium* denique *Caput* nonnulla 981.
de doctrina Meſſiana, Judæis veteribus jucundiſſima ſemper & ſolatii pleniſſima viſa, præcipit. Apoſpaſmata quædam in *Libro nono* ex libris Judaicis, inprimis ex 983.
Talmude, ab Autore afferuntur, quorum *prius Caput* de iis agit rebus, in quibus male ſenſerunt de Meſſia noſtro veteres Judæi, quando tradunt, matrem laboraſſe nota infamiæ, & præceptorem Meſſiæ fuiſſe magum, quin & ipſum falſam aluiſſe doctrinam, & ob hanc cauſam morti traditum eſſe. Multa tamen etiam vera, &, inviti licet, de noſtro, quem in 990.
Chriſtiana colimus religione, Meſſia, bona dixerunt, de quo *Caput* agit *ſecundum*. Sic vere dicunt Meſſiam noſtrum Na- 994.
zarenum, matrem *Mariam*, filiam *Eli*, diſcipulos ejus nomi- 995.
nant nonnullos, inter quos frequentiſſima occurrit mentio *Jacobi a Sechanja*. Narrant, etiam diſcipulos iſtos morti fuiſſe addictos, & maximam in Scripturis explicandis vim habuiſſe. Denique narrant, *Jeſum* Nazarenum a Judæis in conclavi *Gaſith* fuiſſe accuſatum, teſtes duos contra eum fuiſſe 998.
teſtato ipſum vero ſuſpenſum eſſe circa veſperam ante Paſchatos feſtum. Hæc breviſſima eſt narratio præclari & applauſu lectorum digniſſimi Operis, quod orbi Chriſtiano maximo uſui &

Digitized by Google

emolumento, Celeberrimo vero Autori immortali gloriæ, ceſſurum auguramur.

Eine philoſophiſch-chronologiſche Abhandlung von nöthiger Verbindung der Vernunft- und Sitten-Lehre mit der Zeitrechnung ꝛc.

id eſt,

COMMENTATIO PHILOSOPHICO-CHRONOlogica de neceſſario nexu doctrinæ rationis & morum cum Chronologia, Autore JACOBO KOCHIO, V. D. M. Lemgovienſi.

Lemgoviæ, ex officina Jo. Henr. Meyeri, 1748, 4. Alph. 1 plag. 9.

Doctisſimum Autoris Reverendi Opuſculum, quod enarrandum jam ſuſcipimus, eum in finem, quod plenius docet præmiſſa Præfatio, eſt conſcriptum, ut rationes chronologicas, ante aliquot annos in lucem emiſſas, confirmaret, illuſtraret, a diſſentientium opinionibus & ſpecioſis dubitationibus vindicaret, & in ſecuritatem contra futuros
Pag. 4. impetus collocaret. In *Prolegomenis*, capiti cauſæ præpoſitis, de vero diſciplinarum mathematicarum uſu, & contrario abuſu, diſſeritur, ubi ſtrictim probatur, doctrinam omnem mathematicam ad cognitionem & exercitium religionis morumque bonorum quam maxime valere, ſi, Deo duce, res, e *tabulis*
6 ſanctioribus eo pertinentes, recte expediantur. Siſtit hic lectoribus plurima exempla ante oculos, conceptus mathematicos Autorum divinitus doctorum ſuppeditantia, res divinas ſymbolice v. g. *Ezech. XL ſeq. Epheſ. III, 18, Jeſ. XL, 15, 26,* tractari arguentia, ubi *hypermathematica* inſtituenda eſt expli-
9. catio. Idem fit in Chronologia, quæ, in univerſum conſiderata, ſcientia eſt mathematica, non ſolum circa tempus, ejusque ſingulas partes, ſed etjam circa res in tempore geſtas, verſans, ordinemque vel certum, vel probabilem, factorum de-
11. terminans. Fieri hic poſſe, Noſter contendit, ut viri, acrius ſubti-

Digitized by Google

ſubtiliusque, quam par eſt, de ſublimiori hac doctrina diſceptantes, extra oleas vagentur, & limites rationis & moralitatis tranſiliant, inprimis quando in alieni temporis rationes intenti, ſuarum rerum curam negligenter habent, &, quas humanitatis & pietatis debent officio, rationes plane non ineunt. Inde ad rem ipſam Autor digreditur, Commentationem Pag. 13.
totam in *duo Capita* dividens, quorum *primum* res *palmarias*, *ſecundum* vere *ſecundarias*, ſyſtematis chronologici, ab Autore recepti, tuetur. Ad nexum Chronologiæ cum diſciplina 15.
morali quod attinet, docemur hic, logicam oſtendere doctrinam, quale pretium rebus chronologicis ſit ſtatuendum, & quomodo, cum res non circa ſidei articulos verſetur, mores erga alios homines, in ſtatuminando & vindicando temporum ordine, ſint formandi, ne frivole calumniemur, & de aliis hominibus impie ſentiamus, cum hypotheſibus receptis non conſentientibus. Rationis leges porro docent, Chrono- 18.
logiam eſſe vel puram, vel mixtam; illius fundamenta certisſima afferri poſſe; non item hujus. Inde diſpiciendum eſt, quatenus ſecure aliquid colligi, & ex fontibus afferri, queat, ubive minus certo id fieri poſſit, quo mediocriter de rebus noſtris ſtatuamus. Mixta Chronologia maximam ſibi 22.
vindicat autoritatem ex Scriptura ſacra, & quidem quoad fontes conſiderata, quorum virtus divina multas rationis extravagantis dubitationes e medio tollit, & numeros expresſis verbis definitos exhibet, non ſolum mutationis omnis expertes & incorruptos, ſed determinata ſua ſignificatione etiam ex uſu linguæ verisſima gaudentes. Confirmant hoc exempla 24.
rerum. Temporis rationes a creatione ad nativitatem usque *Iſaaci* ab omnibus, Scripturæ ſacræ enarrationem ſequentibus, ita conficiuntur, ut periodum 2046 annorum exbibeant, omiſſis ſcrupulis, circa unum, vel alterum, annum enatis. Sed, 25.
quæ temporis vera ſit ratio, inde ab exitu ex Ægypto usque ad tempora nati *Iſaaci* retro ineunda, alia eſt quæſtio. Firmam decidendæ hujus quæſtionis rationem Autor inveniſſe ſibi videtur in *Gal. III*, 17, ubi *Paulus* dicit: *Teſtamentum promiſſionis antea confirmatum per legem 430 annis poſt latum abrogata*

Digitized by Google

Pag. 26. *rogata non eſt.* Plurimi terminum horum annorum a quo,
ut dicunt, ad exitum *Abrahami* ex Ur in Chaldæa referunt,
ſed, quam minus recte id fiat, res ipſa docet, cum tunc tem-
poris nulla *Abrahamo* hæreditas addicta, adeoque nullum te-
27. ſtamentum confirmatum eſſet. Idem notatur de 400 annis
ex *Geneſ. XV*, 13, minus recte ad nativitatem *Iſaaci* relatis,
uti potius mors *Abrahami* & reditus poſterorum ſuorum in ter-
ram Cananæam notiſſimi ſunt atque eminentiſſimi temporum
termini, ex quibus A. M. 2523 conficitur, qui re vera in an-
num incidit, Iſraelitis de poſſeſſione terræ Cananææ *Joſ. XV*,
28. *10*, notabilem. Huic plane expediendæ rationi alia etiam
adduntur argumenta, ab Autore ex *Act. VII*, *25*, addita. Ex-
inde ad reliquas temporum enucleandas & confirmandas res
Chronologia Autoris vertitur, definiens ulterius annos, ad Ju-
dicum & Regum Iſraelis tempora ſpectantes, ubi multa
31. contra *Bengelium* monentur, & amice diſceptantur, quod ta-
men ſpicilegium uberiores fructus fert, quam in chartas no-
46. ſtras ſunt colligendi. Non tamen diffitemur, accuratam nobis
omnino Autoris videri rationem numerandi 410 annos, inter
ædificationem & deſtructionem templi prioris intercedentes.
Circa tempora captivitatis Babylonicæ adhibenda eſt Hiſtoria
& Chronologia profana, in qua tutiſſimum eſſe Noſter arbi-
tratur, *Ptolemæi* Canonem multis obſervationibus aſtronomi-
cis confirmatum in auxilium advocare, & præ reliquis ad *Na-
bonaſſaris* & *Cyri* epocham referre, niſi omnia incerta & du-
53. bia reddere velimus. Ex his tabulam Noſter conſtruit chro-
nologicam, ita deſcriptam:

A creatione mundi usque ad nativitatem *Iſaaci* 2048 anni.
Inde usque ad exitum ex Ægypto ſunt 430.
Ab his temporibus ad templum usque *Salomonis* 479.
Hinc ulterius usque ad ejus deſtructionem nume-
rantur 410 anni, vel ad annum usque primum
Nobochodonoſaris Epochæ Babylonicæ ſunt 403.
Ex hoc usque ad primum *Cyri* annum ſecundum Can. 66.
Denique ab his diebus ad epocham *Dionyſii* ſunt anni 537.

3963.

Con-

Digitized by Google

Conſpectui hæc clare exhibuit Autor ea de cauſa, ne quis amplius injuſte ipſi objiciat, quod nihil niſi dubias hypotheſes in medium protulerit, cum tamen omnia ad Codicem ſacrum, definitionem teſtamenti confirmati, peregrinationem poſterorum *Abrahami*, & canonem, referantur. Ex his, certo fundamento innixis, argumentis numerum annorum Sabbaticorum recte init Autor, atque calculum eorum, quoad fieri poteſt, curate ducit, ducenteſimum decimum ſextum annum ſabbaticum in ſeptuageſimo anno poſt Chriſtum natum conſtituendum arbitratus. Initia temporis Novi Teſt. ex his ducuntur, & annus mortis Chriſti multis probabilibus argumentis ad annum 32 poſt nativitatem ejus reducitur, ex quo de die crucifixionis Chriſti ampla diſputatio inſtituitur, eo valens, ut demonſtretur, Paraſceven, in ſabbatum tum temporis incidentem, ex die ſabbatica ad diem Veneris retro fuiſſe actam. Obſervatur hic inter reliqua ab Autore, verba *Jo. XII, 1*, non ita eſſe vertenda: *ſex diebus ante Paſcha*, ſed ita potius: *ante dies ſex Paſchatos*. Voluiſſe itaque *Joannem* curate nobis commemorare, ſexto die ante paſcha, quo agnos paſchales in urbem Hieroſolymitanam agere Judæi ſolebant, *Jeſum* in eandem urbem, ut antitypum veriſſimum, introiiſſe, & publica quidem ſolennitate. Sub finem prioris Partis ad Chronologiam propheticam ab Autore reſpicitur, &, quæ rationis & morum præcepta huc pertineant, ſtrictim traditur. Exempla tamen nulla practice applicantur præter graviſſimum illum LXX hebdomadum *Danielis* numerum, noviter excuſſum, & vindicatum. Quædam etiam, ante minus recte ab Autore perſcripta, ingenue adducuntur, & partim confutantur, partim emendantur. Ex his probe, ut nobis videtur, deductis & expeditis temporum rationibus ulterius Noſter ad res pergit *ſecundarias*, caput quidem cauſæ non ſpectantes, ad ſubſidium tamen advocandas, & dijudicandas, ne dubitationibus ultra, quam par eſt, locus dari queat. Sic v. g. res videtur leviſſima, in temporum rationibus ex differentia unius, vel duorum annorum, itemque ex hypotheſi ſubſidiaria mundi vel in autumno, vel in vere, conditi, caput

Margin: Pag. 55. — 57. — 64. — 67. — 69. — 73. — 80. — 82. — 87. — 92. — 102. — 111.

cauſæ dijudicare, cum tamen utrumque eo plane non perti-
Pag. 112. neat. Refertur huc etiam periodus temporum Judicum, &
120, quæ de obſcuratione ſolis in primo anno *Baracki, Jud. V, 20,*
dicta fuerant ab Autore alio in loco, & quæ alia his ſimilia
104. ſunt exempla. His adduntur ulteriores connexiones hi-
ſtoriæ profanæ cum temporibus captivitatis Babylonicæ, in-
primis hiſtoriæ Ægyptiacæ, Babylonicæ, Syriacæ, Græcæ, & Ro-
144. manæ. Poſt ea, ad extremum Operis, errores reteguntur
160, nonnulli in temporum ordine, poſt captivitatem Babylonicam
vulgo receptorum, ubi ſententia eorum, præter reliqua, reji-
citur, qui cum *Artopæo* a *Naboballaſſare*, vel *Nabuchodonoſo-
re*, & *Cyro*, in Canone diſcedunt, & cum illo *Xerxem*, cum
170. hoc vero *Cyrum* juniorem quendam, peti dicunt. Hæc, &
plurima alia, ad LXX hebdomadas *Danielis* pertinentia, acriter
204. & docte diluuntur, & variis obſervationibus moralibus im-
ponitur finis Operi, ita ſane digeſto, ut diligentia & doctrina
ſingularis in rebus chronologicis ubique emineat, & admira-
tioni eſſe lectoribus poſſit.

GUSTAVI GEORGII ZELTNERI, THEOL. quondam Altorfini, Enneas Quæſtionum philologicarum, auditoribus quibusdam ſelectioribus tradita, nunc primum ob argumenti dignitatem publici juris facta.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Jo. Frid. Veſtneri, 1747, 4.
Plag. 12.

Opus poſthumum Theologi, cum in vivis eſſet, & poſt fata etiam, celeberrimi cum Lectoribus noſtris communicare, pietatis eſſe ducimus, licet ex omni libelli ratione, & ipſo Editoris clariſſimi, ſub literis *M. J. J. F.* latitare cupientis, præmiſſo ad Lectores ſermone, certiſſime appareat, opuſculum Autoris defuncti ad prelum præparatum atque perpolitum non fuiſſe. Continet tamen omnino Quæſtiones tales, quæ ſub diſceptationem cadere poſſunt, multisque olim

olim Philologorum doctiſſimorum contentionibus fuerunt agitatæ, ut ſperare omnino liceat, ſtudioſam juventutem non ſine fructu his laboribus eſſe uſuram. In *prima* Meditatione *Quæſtio* proponitur, utrum Hebræa noſtra lingua ſit primigenia, & ipſa illa prima unica antediluviana. Sentit hic Autor cum *Huetio*, vel primam illam linguam funditus interiiſſe, vel in Pag. 3.
alias linguas rectius diſſeminatam quaſi fuiſſe, vel, ſi perſeveraverit integra, quænam illa fuerit, an Aſſyriaca, an Cananæa, an alia, definiri non poſſe. Inter has ſententias adoptatur media, ita, ut quædam hinc communis accipiatur lingua, inter omnes ceteros homines, Orientem verſus habitantes, ſuperſtes, atque ad analogiam τῆς κοινῆς Græcæ facile concipienda. Argumentum præcipuum ex nominibus Hebræorum propriis, & lingua Cananæa, depromitur, quæ nulla alia, niſi Hebraica noſtra, fuit, ab *Abrahamo* in familiam ſuam, quin & ante diluvium a majoribus ipſius, recepta. Accedunt huc difficultates, contrariæ partis autores prementes, ex gente *Semi* atque *Heberi* inprimis petitæ, ex quibus No- 5.
ſter colligit, *Abrahamum*, Ur Chaldæorum egredientem, habuiſſe etiam Chaldaicam linguam vernaculam, illam tamen cum Cananæa poſtea permutaſſe, ut cum patria & cognatione linguam etiam deſereret, totumque ſe divino nutui hac etiam ex parte traderet. Alii aliam afferunt argumentationem, ſed vanam, ex Autoris judicio, reputandam Denique monetur, tantum in hac diſceptatione momentum 7.
non videri poſitum, ut impiam quis atque profanam hanc ſententiam dicere poſſit, cum vel inter Cananæos etiam inſignia exempla cœleſtis veritatis, ſub adventum *Abrahami*, teſte *Moſe*, fuerint. Ex quo apparet, linguam Hebræam, ut 8.
Wichmannshauſenius ſcripſerat, nondum de Cananæa triumphaſſe lingua. Succedit *ſecunda Quæſtio*, in qua de hieroglyphica literarum Hebraicarum ſignificatione diſputatio inſtituitur contra *Neumannum*, ſtatuentem, ipſos ductus characte- 9.
rum Hebraicorum ſignificationis vocabulorum, ſi non fundamenta, ſaltem indicia, eſſe. Deſtruit hoc ſyſtema hieroglyphicum Autor ex principio falſo aſſumto, typum noſtrum

Aaa 2 Hebrai-

Hebraicum eſſe primigenium, quod non minus veritati favet,
Pag. 11. quam ſententia de Hebræa noſtra primigenia. Accedit, nondum eſſe evictum, quadratam Hebraicarum literarum formam eſſe a *Moſe* repetendam, nec tantis temporum intervallis immutatam. Quæ omnia tamen pro fundamentali habentur doctrina *Neumanno*, hieroglyphicas argutias in vocabu-
13. lis Hebræorum quærenti. Quin multa inde ἄτοπα exſurgunt, ſive ad literas ſerviles, ſive radicales, animum attendere velis, ubi ne hilum quidem invenies, quod veræ ſignificatio-
15. ni patrocinium præſtabit. Idem incommodum apparet in particulis Hebræorum, tum connexis, tum inconnexis, ex quibus nihil ſolidi eruere poteris, ſi hanc admittas hypotheſin
17. *Neumannianam.* Contra eundem Philologum militat *tertia Quæſtio*, ubi ſtatuerat ille, Hebræorum vocabula primitiva duabus modo conſtare literis, non tribus, quod indices vocabulorum vulgo docent. Sed falſitatis inde arguitur a Noſtro hæc opinio, quia ſuperiori innixa, &, cum ea dejecta, neceſſa-
20. rio corruat. Præterea multa hic gratis aſſumi, contraque teſtimonia radicum triliterarum manifeſto pugnari, ab Autore eleganter docetur, & ad objectionem, de cognata vocum ori-
24. gine, ſed diverſa earum poteſtate, reſpondetur. De lectione vocabuli יְהוָֹה *Quæſtio* agit *tertia*. Disquiritur hic, num nomen iſtud divinum, vulgo τετραγράμματον dictum, quemadmodum in Bibliis noſtris punctatis legitur, ex mente auto-
25. ris punctorum, ſit per *Adonai*, an per *Jehovah*, pronuntian-
26. dum. Conſtat, de his rebus quondam inter Philologos mirifice fuiſſe pugnatum, Anglos inprimis & Batavos, ut *Jehoviſtæ* & *Adoniſtæ*, autore forte *Jo. Druſio*, inde dicerentur. Monetur, de ſuperſtitioſa Judæorum ratione hic non agi, ſed de eo tantum, quid ſecundum puncta ſubſtrata critice ſtatui queat. Afferuntur deinde argumenta utrinsque partis, & denique in tanto ſententiarum divortio ſuam Autor addit
34. opinionem, his verbis uſus: *Placet, ipſum Deum loquentem de ſe in prima perſona* Exod. III, 14, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, *imitari, &, ubi tertia perſonæ nota præfixa eſt, iſtud nomen per* Jeveh *efferre, atque hanc pronuntiationem pro nativa nominis divini*

Digitized by Google

divini enuntiatione venditare. Ita quidem, ut videatur ו *in* י *mutatum, & radix* הוה pro היה *in hac voce uſurpata, ne* י *iſtud propter homogeneam vocalem ſubſcriptam abſorbeatur, ſed tanto ſignificantius exprimatur.* His addit Noſter, teſtimonium Apocalypticum *Jo. I, ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος,* non autoritatem vocabuli יהוה, ſed Chriſtum potius, innuere videri, nec temere conjici de meriti ipſius, omni tempore, olim, & nunc, & in poſterum, validiſſimi, amplitudine intelligi, præcipue ſi ad tertium vocabulum *ἐρχόμενος* attendatur. Pag. 35. Suo tamen unusquisque quo minus ſenſu abundet, nihil prohibet Autor. Veriſſime etiam hanc opinionem eſſe *Zeltnerianam,* quam vivus fovit, ex *Diſſertatione* conſtat *de Evangelio τετραγραμμάτῳ Novi Teſt. exulante,* Altorfii A. 1712 habita. Quod etiam recte eſt tenendum in *quinta Quaeſtione*, ubi de eo diſceptatur, utrum Chaldæorum מֵימְרָא, & in Novo Teſt. Evangeliſtæ *Joannis λόγος,* aliquid myſterii, & quidem illud, contineat, quod vulgo ad filium Dei, in *Targumim* ad ejusdem ſignificationem ſimpliciter, in *Joanne* vero ad nativitatem & officium exprimendum, pertineat. Vero videtur ſimile Autori, olim in Chal- 37.
daica dialecto loco השם ejus ſynonymum מימרא fuiſſe uſurpatum, quod ſuis argumentis ſtabilitur. Factum hinc eſt, ut, ſicut & Hebræi ſolent, eorum more deinceps tum in ſermone vulgari, tum etiam in ipſis *Targumim,* hoc מימרא adhiberetur, ubi in Hebraica lingua tantum tanquam nomen ad Deum reſpiciens occurrebat, ac ut tandem etiam aliis rebus, a Deo diverſis, nominis reciproci loco adderetur, ejusque uſum præſtaret. Ex his conficitur, robur argu- 38.
menti, pro Filii Dei divinitate ex hoc vocabulo ducti, non
adeo magni eſſe æſtimandum. Ad locum *Joanneum* vero 40.
quod ſpectat, Autor putat, pro *Jehovah,* ſatius Spiritui ſancto fuiſſe viſum, ponere nomen *λόγου,* hoc eſt, nominis olim uſitati, ſed jam non amplius uſurpandi, quia ו in vocabulo יהוה temporis futuri & adventuri Meſſiæ rationem habuerat, qui nunc præſens in carne apparuerat. Hinc fieri, ut in toto Novo
Fœdere vocabulum *Jehovah* omittatur. Ad literas reverti- 41.

tur Hebraicas Autor *Quæſtione ſexta*, disquirens, num characte-
res, ſive literæ, quibus Biblia Hebraica Vet. Teſt. ſcripta ſunt,
fuerint primum Samaritanæ, ut hodie loquimur, & an in has
illæ ab *Eſdra* poſt reditum ex Babylonia in populi Judaici uſum
Pag. 42. ſint demum commutatæ. Hac ſuper quæſtione inter ipſos
Judæos jam antiquitus fuiſſe diſputatum, ex *Talmud. Babylon.*
Tract. *Sanhedrin fol. 21 b. in fine*, & *fol. 22 init.* ſatis con-
ſtat. Nec deſunt inter Chriſtiani nominis ſocios eruditi,
hanc larga manu amplectentes ſententiam, quorum nomi-
43. na, ſatis frequentia, hic exhibentur. Inter argumenta ve-
ro, quibus literæ, tum *Samaritanorum*, tum *Aſſyriorum*, pro
prærogativa antiquitatis certant, ſi delectum facias, firmiora,
judice Autore, deprehendes, quæ pro Samaritanis pugnant, inter
quæ principem locum tenet character Samaritanus, in nummis,
a Judæis cuſis, conſpicuus, cui aliud, idemque novum, de lege
45. Dei, Aſſyriis præſcripta, *2 Reg. XVII, 27 ſeq.* argumentum
additur. Hinc credibile eſſe Noſter arbitratur, imo plane li-
quidum, non Samaritanos, ſed Judæos potius, quoquo modo
poſtea ſuam mutaſſe ſcripturam, literarumque formam, &
quidem non ſtatim *Eſdræ* tempore, ſed ſenſim cum invale-
ſcente adverſus Samaritas odio, nec admodum diu ante Chri-
49. ſti nativitatem, factum hoc eſſe dicit. Ad finem diſſentien-
51. tibus ſatisfacit Noſter, atque ex animi ſententia profitetur,
totam hanc litem inanem eſſe atque otioſam, ſiquidem Sa-
maritani & Hebræi characteres re vera iidem ſint, & non niſi
temporum ſucceſſu, variis modis, variisque ductibus, ſcripti,
donec in hanc formam degenerarint, qua hodierna die toto
53. cœlo diſtare nobis videntur. *Septimæ Quæſtionis* tenor ita fluit:
*Anne puncta, ſive vocales, quæ hodie in Codicibus noſtris Bibli-
cis Vet. Teſt. Hebræo-Chaldaicis conſpiciuntur, ſint ab ipſis
Scriptoribus* θεοπνεύστοις *inde a* Moſe *usque ad* Malachiam,
*& quidem, quoad ipſam hanc externam figuram, certis hodie
regulis adſtrictam, ſubſcripta conſonantibus; an ab aliis Au-
toribus, aliove tempore, & quonam, ſubnotata atque adjecta.*
55. Præmiſſis hic omnibus, quæ controverſiæ ſtatum recte ingre-
diuntur, ad argumenta ſit progreſſus, quibus confirmatur,
non

Digitized by Google

non eſſe puncta noſtra Hebraica ſcriptione literis omnino coæva & æqualia. Longum tamen foret, omnia recenſere; Pag. 65.
hinc Lectores ipſi ad rei inveſtigationem advocandi ſunt, quo rem altius repetant, & ad diſſentientium querelas reſpondere ſciant. Tandem, ut ediſſerat Autor, quæ ſit vera ſua 72.
opinio in hac cauſa, declarat aperte, in ſubſidium ſcholarum & tironum inventa atque addita eſſe, nec quidem ab uno alterove homine, ſimul & ſemel, paucis menſibus, vel annis, ſed longis temporum intervallis, negotium hoc eſſe confectum, ſtatuit. Similem *Quaſtionem* circa accentus in ſequenti 73.
octava Meditatione agitatam deprehendimus, de quibus ita judicat Autor, ſibi videri pro recentiori poſt *Esdram* horum apiculorum origine, ſaltem quatenus adſcripti ſunt literis tanquam ſigna ſive muſica, ſive rhetorica, plurima valere argumenta, attentum lectorem convincentia. De ætate 81.
vero, qua ad codicem relati fuerint accentus, arduum eſſe, diſputare, profitetur Noſter; vero tamen ſimile certis ex argumentis eſſe putat, Seculo demum quinto ſextove, aut recentius etiam, hos apices & inventos, & ad ſenſum cum melodia utcunque juvandum deſignandumque adjectos eſſe, qui ſine illis erui, & ab attento lectore intelligi, utique poterat, ſolo contextu præeunte; ut adeo *Weimarus* anxio labore ſuper- 83.
ſedere potuiſſet, quo conficere volebat, ad eſſentiam Scripturæ, ſenſum ſcilicet, eos pertinere. Plus vero hic cauſæ ſuæ, quam par erat, Autorem fidere, pro comperto nos habemus. *Quaſtionis nonæ* ratio formalis de labore *Maſorethatum*, de *Maſoræ* indole, ejusque utilitate, agit, ubi definitur *Maſora* per criticum Judæorum otioſorum ſtudium, circa li- 84.
teras Biblicas numerandas, vocabula, diverſimode ſcripta, notanda & enumeranda, loca parallela utcunque colligenda, & varias denique lectiones, aut commodiores ſaltem, obſervandas. Sed, cum labor iſte intemeratus non ſuperſit, ad corrumpendum Codicem Hebraicum plus facere videtur, aut dubium reddendum, quam a corruptelis muniendum. Inſuper 86.
obſervationes *Maſorethicæ* exigui plerumque ſunt momenti, ut mediocriter exercitatum ingenium ope concordantiarum illas

aſſe-

Digitized by Google

aſſequi poſſit. Quin imo corruptelis oppido patrocinatur
Maſorâ, quod apparet ex Bibliis *Maſorethicis*, *Bombergianis*
ſcilicet, a *R. Jac. ben. Chajim* procuratis, & *Belgicis* plurimis,
quæ *Joſ. XXI, 36* & *37*, ſecundum computum & autori-
tatem *Maſoretharum* omittunt, quod tamen multo ſit aliter
in melioribus Codicibus non *Maſorethicis*. Similem depra-
Pag. 87. vationem etiam *Rabanus Maurus* Seculo IX in libello, con-
88. tra Judæos edito, *num. 12* ad *Zach. XII, 10*, & Cel. *Danzius*
in Corollariis *de Conſult. S. S. Trinit.* ſuper creatione ho-
89. minis ad *Jeſ. XLIX, 5*, protulerunt. Nec adeo certa eſt, te-
ſte *Jo. Iſero*, enarratio *Maſoretharum*, circa numerum litera-
90. rum Biblicum inſtituta, ideo, quia Judæi a longis inde tempo-
ribus per compendia literarum numeros exſcribere conſueve-
runt, pro vocabulis numerorum plene exſcriptis, ubi facile
fieri potuit, ut, una litera corrupta, aut mutata, atque vel male
picta, vel male lecta, totum opus Herculeum, promiſſionem
ſingularis providentiæ divinæ non habens, collaberetur. In
91. reliquis contra *Hillerum* diſputatur, originem *Keri* & *Cethib*
ad *Esdræ* usque tempora reducentem. De quo uti apud Ju-
dæos altiſſimum eſt ſilentium, ita alia etiam adſunt momenta
rerum, impedientia, quo minus *Hilleriana* ſibi conſtare poſ-
93. ſit ſententia. Ceterum B. Autor putat, ante *Talmud* conſcri-
ptum inceptum eſſe opus *Maſorethicum*, poſtea diverſis ſe-
culis continuatum, & ſenſim ſenſimque confectum, ita ut pri-
vato potius doctorum & diſcipulorum eſſet uſui, quam publi-
94. co. In Appendice, his laboribus *Zeltnerianis* ſubnexa, de
LXX ſeniorum verſione judicatur, non unam eſſe, ſed ex
pluribus Græcis Interpretibus oretenus, ut Chaldæi ſolebant,
antequam Paraphraſes ſcriberentur, concinnatam, & ſenſim in
hanc formam redactam. Tantum de hoc opere poſthumo,
cui inprimis medicam manum gratulamur, ingentia vitia,
prioribus paginis turpiter illata, feliciter curantem, in uſum
publicum dicere fas judicavimus.

D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD, MEDICI aulici Saxo-Ducalis, & Civitatis Weiſſenfelſenſis Phyſici Ordinarii, Iter medicum ad Thermas Aquisgranenſes &

& fontes Spadanos; acceſſere ſingulares quædam obſervationes medicæ atque phyſicæ.
Lipſiæ, impenſis Gleditſchianis, 1748, 8.
Plag. 7.

Quamvis plures exſtent de aquis medicatis commentationes, quæ omnem fere earundem exhauſiſſe videntur hiſtoriam; harum tamen cognitioni nova quædam, & ab aliis non annotata, adjici poſſe, brevi quidem, aſt obſervationibus variis doctiſſimisque locuplete ſatis, libello clare teſtatur Autor. Relatis autem iis, quæ ipſi, iter Aquisgranum facienti, Francofurti ad Mœnum occurrebant notatu digna, ad quæ fons ſalutaris extra urbem, ad Mœni ripas reperiundus, gravem ſpirans odorem, & nondum ſatis deſcriptus, pertinet, ipſius Aquisgrani, Medicorum, ibidem cum laude medicinam facientium, atque ſcriptorum de ejus thermis celebrium, mentio injicitur. In examine harum aquarum ita verſatus eſt, ut duplex inſtitueret, vel cum aqua, prout ex fonte hauritur, vel cum ea, poſtquam ad dimidium, vel ultra, exhalavit, quarum prior neque ab acido, neque ab alcali, movetur, poſterior vero cum acidis effervеſcit. Salem tamen, ſolicite inſtitutis experimentis, obtinuit duplicem, alcalinum alterum, alterum neutrum, florem vero thermarum ſalinum, ab aliis deſcriptum, ſe non inveniſſe fatetur. Tophus, ſeu tartarus, ab aqua ſecedens, cum lateribus balneorum firmiſſime cohæret. Sulphur, quod ipſi aquæ potentialiter, ut Philoſophi dicunt, ineſſe credit, in canalibus verum & genuinum, a vulgari ſubtilitate tantum & colore albicante diſcrepans invenitur, quibus tamen non niſi poſt formatam a Tartaro cruſtam adhæret, calore molle & unguinoſum ſervatur, in aere vero libero mox dureſcit. Ex quibus nunc patet, ſaponaceam in primis hanc aquarum indolem eſſe dicendam, id quod egregia, quam in linteis purgandis præſtat, earum utilitas ulterius confirmat, quæ ipſa quoque internum harum aquarum in variis morbis uſum docet. Externi vero uſus triplex eſt differentia; in balneis enim vel in vaporibus, vel ſub ſtillicidii forma, adhibetur, neque internis ſolum hac ratione, ſed externis quoque & cutaneis morbis, nec

non iis, qui a Mercurio, incaute adhibito, & in corpore relicto, proveniunt, medetur, quod ſingulari & miranda quadam obſervatione conſtitit, licet remedii hujus modus agendi nos lateat. Hunc autem effectum vaporum potiſſimum ope edunt. Prope Aquisgranum thermæ ſcaturiunt, Porcetanæ dictæ, in ſuperiores & inferiores diſtinctæ, quæ ab Aquisgranenſibus ratione ſulphuris & terræ alcalinæ differunt, quod utrumque earum principium variis ſcaturiginibus vel varia ineſt copia, vel plane deſideratur, hinc quoque in morborum curatione diverſitatem parit. Calorem vero harum aquarum ex calente & fervente pyrite repetendum eſſe, qui copioſe ſimul cum Cadmia foſſili, cujus præparandi modus accurate exponitur, & cum anthracibus hic invenitur, dubitandum ſane non eſt. Sed, cum nec martis deſint mineræ, martialis fontis Aquisgranenſis, quem falſo Spadanum nominant, origo inde intelligitur. Ab his deinde aquis Spadam iter proſequitur, & ad fontium medicatorum, (quinque enim ſunt,) ibidem obviorum, conſiderationem accedit, ubi eodem progreditur modo, ut nominatis, qui de iis ſcripſerunt, autoribus, nec non adhuc viventibus Medicis, naturam eorum curatius contempletur, quam alii acidam, alii alcalinam, prorſus aſſumſerunt. Quia vero plura de his in Diſſertatione, a *de Preſſeux, de aquis Spadanis*, Lugduni Batavorum edita, jamjam fuerint explanata, ita eum ſequitur, ut, quæ vel obſervationibus ejus addenda, vel in iis emendanda, ſint, moneat. Primus in ordine fons, *Geronſter* dictus, odore & guſtu gravis, lacteam aquam continet, quæ, libero aeri expoſita, denſa & variegata pellicula obducitur. Alter, *Pouhontius*, ſaporem gratum, vitriolicum, refert, in aere cuticulam contrahit, ſed poſt aliquod tempus ſaporem amittit, aerem ut prior continet, neque tamen cum acidis effervescit, niſi evaporarit. Hic tamen motus non a ſale alcalino, qui medius fere eſt, ad mirabilem *Glauberi* accedens, ſed a ſubtili alcalina terra, provenit. Deprehenditur præterea hac in aqua verum quoddam martis vitriolum, quod, ut ante nominatum ſalem, varia chemica, cum illa ſolerter inſtituta, experimenta evincunt. Gravitatem deinde ſpecificam hujus fontis expendit, quam aqua ſimplici tunc, quando ex fonte hauritur, graviorem, mox, poſt-

Digitized by Google

poſtquam in aere libero ponderoſæ ad fundum feceſſere particulæ, leviorem, invenit. Copioſa vero aeris in aquis mineralibus præſentia cauſa eſſe videtur, quæ ſalinas, terreas, & metallicas, partes, iis admixtas, ſervat, quippe quæ, illo ſecedente, aquæ interſtitia deſerunt, & in fundo colliguntur. Tertius, *Savenirius*, ab antecedentibus in eo differt, quod cum creta maximopere effervescat, cum *Grœsbeckiano* vero, in vicino loco ſcaturiente, & terra martiali referto, fonte in uſum adhibetur. Quartus denique & quintus, *Watrozius* & *Tonneletius* dicti, quorum prior crudam aquam habet, vomitus atque dejectiones cientem, parum in uſu eſſe dicuntur. Elaboratis itaque *Spadanæ* aquæ cum conſtent partibus, ſubtiliſſimæque ſint & leviſſimæ, ſummo jure iis, qui infarctu viſcerum laborant, commendantur.

Elias Caſpar Reichards, ordentlichen öffentlichen Lehrers am Hochfürſtlichen Collegio Carolino in Braunſchweig, Verſuch einer Hiſtorie der Deutſchen Sprachkunſt.

hoc eſt,

ELIÆ CASPARIS REICHARDI, PROF. PUBL. ORD. in Carolino Brunſuicenſi, Periculum Hiſtoriæ grammaticæ linguæ Germanicæ.

Hamburgi, apud Jo. Adolph. Martini, 1747, 8.

Alph. 1 plag. 9.

Duabus iſte liber utiliſſimus *Partibus* conſtat. *Prior* agit de Grammaticis, Germanorum in gratiam ſcriptis; *poſterior* de iis, quæ alienigenarum ergo conſignatæ fuerunt. Illa longior centum; hæc non niſi viginti quatuor, membra minora comprehendit. Pars I. Ante *Carolum Magnum* neque vola reperitur Grammaticæ Germanicæ, neque veſtigium. §. 1. Hic autem eminentiſſimus, idemque primus, linguæ noſtræ magiſter jure ſuo colitur. 2. *Otfridum* Grammaticam ſcripſiſſe, non negat Cl. Autor. Provocat inprimis ad *Jo. Tritbemii* Catalogum illuſtrium Germanorum, ubi *pag.* 76 legitur: *Otfridus*, monachus Wiſſenburgenſis Cœnobii, Ordinis S. *Benedicti*, Spirenſis diœceſeos, *Rabani Mauri*, Abbatis Fuldenſis, quondam auditor atque diſcipulus, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus ſcripturis egregie doctus, Philoſophus, Rhetor, Aſtronomus, 3.

Digitized by Google

Poeta, & Theologus, nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio excellens, & diſertus eloquio. Scripſit & metro & proſa multa præclara volumina, quibus nomen ſuum & ingenium ad poſteros transmiſit; ex eo volumine, quo *Carolus* Imperator quondam M. barbariem Theotonicæ noſtræ linguæ ad regulas inchoavit reducere grammaticales, edoctus. Multa & miranda lingua materna ſecundum easdem regulas compoſuit metro, ſeu carmine, quæ nemo facile noſtra ætate legere & intelligere poteſt, quantumcunque ſermonis noſtri peritus, quippe cum ſermo ille regulatus a noſtro plus differat, quam Etruſcus a Latino. Mirabile tamen eſt, & lectione dignum, quicquid vir iſte compoſuit, dum in Theotonico ſermone regulas poſuit, & quaſi in verſibus pedes & numeros cuſtodivit. Hæc *Trithemius*, qui & *Lib. VI Cap. 3 Polygraphiæ*, *Otfridus*, ait, in ſua Grammatica arte linguæ noſtræ Theotonicæ, quam, ſicut diximus, ex *Caroli M.* inſtitutionibus collegerat, & alios quosdam characteres interſeruit, quibus ipſum in arcanis uſum fuiſſe dicit. Quocum conſentit *Chriſtoph. Browerus* in *Antiquitatibus Fuldenſibus Lib. II Cap 13 pag. 58*, & *Marcus Velſerus* in Boicis teſtatur, ipſum Germaniæ ſermonem, ſcriptu ea ætate perdifficilem, omnium primum literis tractare aggreſſum fuiſſe.

§. 4. Succedebant inter Grammaticos *Jo. Gracchus Pierius*, grammatico labori immortuus, *Ladislaus Suntheimius*, qui deſcriptionem linguæ vulgaris per ſuperiorem Germaniam, cujus *Geſnerus* & *Simlerus* mentionem faciunt, lucubraſſe dicitur,
5. *Aventinus* item, *Lutherus*, & *Meliſſus*. Sed de *Luthero* ſingulatim agitur. Edidit is inprimis Wittenbergæ A. 1537 in 4, & A. 1544 in 8, libellum ſub titulo: ***Aliquot nomina propria Germanorum, ad priſcam etymologiam reſtituta. Per quendam antiquitatis ſtudioſum. Lectoribus S. Exemplum dedi vobis, ut plura & meliora faciatis. Valete.*** De quo libello jam A. 1532 *Eraſmus Roterodamus* in Epiſtola ad *Julium Pflugium* ſcribit: ***Martini Lutheri veſtri, quod addis, de nominibus propriis Germanorum perplacet opuſculum.*** Invenitur etiam editio, Urſellis A. 1559 in 8 publicata, neque deeſt, adjuncto nomine *Lutheri*, Wittenbergenſis de anno 1570, 8, unde collectioni *Lutheri Operum* Altenburgenſi fuit inſertum, ac deinceps ſæpiuscule tam ſcor-

ſeorſim, quam junctim, vulgatum. Adeſt etiam ejusdem epiſtola Germanica de arte interpretandi, quam *Dan. Peucerus* non ſine hiſtoricis, & ad defenſionem pertinentibus, obſervationibus typis repetendam curavit, Autoresque Collationum criticarum Lipſienſium triceſimæ illarum Parti inſeruerunt. Inprimis vero *Lutheri* ſanctiſſimarum literarum interpretatio hic in cenſum venit, ex qua grammaticas ſuas inſtitutiones hauſit *Joannes Clajus*, qui tam elegantem linguæ rationem ipſi Spiritui ſancto tribuit. *Bellinus* & *Schielius* itidem ex *Lutheri* ſcriptis regulis de regimine præpoſitionum ſubjicienda exempla depromſerunt, ut & *Schottelius, Spate*, & *Bœdickerus*, ad eundem ſeſe accommodarunt. *Herm. Conringius* in Epiſtola gratulatoria ad *Auguſtum* Ducem inter alia ſcribit: *Verſionis Lutheri dictione nihil terſius, nihil emendatius, vel optaverit quis talium ſpectator. Dixerit merito ex iſthac verſione, nos Germanos recte ſcribere, & loqui emendate, didiciſſe.* Conferri pariter meretur Regiomontani Profeſſoris, *Cœleſtini Chriſtiani Flottwelli*, Diſſertatio, ibidem A. 1743 in 4 edita ſub titulo: *Lutherus ex verſione Codicis S. Germanica Teutonici ſermonis Autor claſſicus.* Sequitur *Valent. Ickelſameri* Grammatica German. & vita; quem rariſſimum libellum ipſe uſurpavit doctiſſimus *Reichardus*. Cum hoc libro typis fere convenit Anonymi libellus grammaticus, Coloniæ publicatus. Ab hoc proxima eſt *Laur. Alberti*, alioqui Oſtrofranci, Grammatica, Herbipoli ſcripta ab Autore Pontificio A. 1572, & edita anno poſt Auguſtæ Vindelicorum. Eodem, vel ſequenti, lucem vidit *Oelingeriana*, quam poſt quadriennium excepit *Jo. Claji* Grammatica. Utraque ſermone Latino conſignata eſt, poſterioris nominatim vita ſimul exponitur. *Jo. Rudolphi Sattleri* de ratione linguam Germanicam recte ſcribendi libellus nonnihil habet ſingulare. Secuta eſt Grammatica Vinarienſis A. 1618, quam *Jo. Kromayerus* commendat. Junguntur etiam de *Levini Hulſii, Jac. Bruckneri, Jo. Eliæ Meichsneri, Jo. Kohlroſſii, Henr. Buſcheri*, & *Barth. Scheræi*, huc pertinentibus laboribus obſervationes. Poſtremi liber, Vitembergæ A. 1619 editus ſub titulo: *Geiſtliche, weltliche, und hausliche Sprachenſchule*, Grammaticæ nomen non meretur, ſed infelicis nugarum confuſionis, pau-

§. 6-8. 9. 10 ſeq. 12. 13 ſeq. 14. 15. 16. 17.

§. 18. cas ſi quidem obſervationes exceperis. Meliorem cenſuram
meretur *Jo. Werneri* 'Ορθογραφία, lingua Germanica ſcripta;
19 ſeq. neque minus *Tilemanni Olearii* Grammatica, puerorum in-
21 ſeq. primis captui accommodata. Huic ſuccedunt ejusdem civis,
Chriſtiani Gueinzii, labores, tum ad Grammaticam generatim,
tum ſingulatim ad recte ſcribendi modum, ſpectantes. Qua ſi-
24 - 31. mul occaſione Autoris de vita non vulgaria memorantur. Ita vero
deſcenditur ad laudes Societatis frugiferæ, nominatim *Jo. Ge.*
32. *Schottelii*, cujus & grammatici labores & poetici diſtinctius
33. explicantur, neque glorioſum vitæ curriculum reticetur. Si-
lentio quidem involvitur *Ge. Phil. Harsdœrferi* vita, ſed alle-
gantur, qui deſignant, plures ac locupletiſſimi teſtes; qua ſi-
34. mul occaſione *Sigmundi de Birken* mentio injicitur. Accura-
tior vero ſcriptorum illius, linguam Germanicam contem-
35 ſeq. plantium, index ſubjicitur, ſingulatimque deſcribitur Speci-
37 - 43. men Philologiæ Germanicæ. Deinceps varia de *Caſio*, alias
Blau dicto, deque illius ſcriptis, non ſine judiciis, narratio oc-
currit. Deſcribitur *Philippus* iſte *a Zeſen* tanquam vir hone-
ſtus, officioſus, fidelis, gratus, eruditus, laborioſus, attamen
ſimul infortunatus, vagus, arrogans. Natus eſt Priraviæ in vi-
co prope Deſſaviam A. 1619 patre & avo ſacerdotibus loci.
Literis operam dedit Vitembergæ, doctore præſertim *Buch-
nero*; mortuus eſt A. 1689, nobilior, quam fortunatior, quod ſin-
gularibus multis documentis comprobavit Noſter. Primarii
44. Cæſiani fuerunt *Jo. Bellinus* & *Sam. Putſchky*. Ille Pomeranus,
hominis pagani Groſſenſchœnfeldiæ filius, natus A. 1618. Sero
ſe literarum ſtudiis accinxit, ſed tanto celerius proceſſit Neo-
rupini præſertim ac Halæ, Wiſmariæ & Hamburgi in Gymna-
ſiis, inque Academiis Vitembergenſi ac Helmſtadienſi. A. 1650
45 ſeq. Rector Parchimenſis factus eſt, hinc Wiſmarienſis, ubi A. 1660
deceſſit, non paucis in rem literariam, inque linguam no-
ſtram, meritis inclutus, licet hic nec vitiis carens, quibus tamen
47 ſeq. magis obruebatur alter. Impugnabant *Caſianam* ſcribendi
49 ſeq. rationem *Jo. Girbertus* debilioribus armis; fortioribus *An-
51. dreas Tſcherning* atque alii. Inprimis, ad notationem lin-
52. guæ Germanicæ quod attinet, commendatur *Jo. Klaubergii*,
Phi-

Digitized by Google

Philoſophi *Carteſiani*, Ars etymologica Teutonum, cujus re-
gulas præter alios *Morhofius* & *Eccardus* ſcriptis inſeruere
ſuis; ſimulque cum noſtro doluerunt, de cauſis linguæ Ger-
manicæ limatiſſimum ſine dubio ſcriptum injuriam nobis
temporum invidiſſe. Hac ſimul occaſione vitæ curriculum
Klaubergii deſignatur, & ardor, in linguam Germanicam
quo accenſus fuit, deſcribitur. Vita quidem excerpta eſt ex
Henr. Chriſtiani Henninii deſcriptione, *Claubergianis* Operi-
bus philoſophicis, Amſtelodami A. 1691 duobus Volum. in 4
junctim editis, præfixa. Succedit huic Ditmarſus, *Jo. Vor-* §. 53.
ſtius, Bibliothecæ Brandenburgicæ præfectus, & Gymnaſii
Joachimici Rector, qui varias ſingularibus de verbis obſerva-
tiones juris publici fecit. Idem tentavit auſu majore, ſed impari 54 ſeq.
ſucceſſu, *Iſaacus Pœlmannus*, ridiculum caput, licet ingenioſum,
Germanica Latinis, Poeticis libera, quadrata rotundis, confun-
dens, quod rarioribus quibusdam ſpeciminibus probatur. Sa- 57.
nior erat *Chriſtianus Pudor*, Gubenſis, quem plane obſcura- 58.
runt lumine ſuo *Dan. Ge. Morhofius* & *Jo. Ludov. Praſchius*, 59.
notiores omnino, quam quorum hic laudes repetamus, juſtiſ-
ſimas illas ac meritiſſimas. Hac data occaſione ſimul *Mich.*
Richeyi Idioticon Hamburgenſe laudatur. Æque vel ſtri- 60.
ctim tanguntur *Ge. Henr. Urſini*, *Matth. Brendelii*, *Ge.*
Chriſtoph. Peiskeri, *Merici Caſauboni*, *Guil. Somneri*, *Andr. Hel-*
wigii, ſcripta etymologica, itemque *Hier. Hornſchuchii* Corre- 61.
ctor, & *Gebh. Overheidenii* ars ſcriptoria Germanorum. Magis, 62.
& jure quidem, laudatur *Jo. Bœdikeri* Grammatica, eadem- 63.
que occaſione Autoris vita & ſcripta reliqua tractantur. Lau-
dat ipſius donum poeticum *Joach. Fellerus*, ita canens:

Cum multi eximii ſint Teutonum in orbe Poetæ;
Tute Poetarum nucleus eſſe potes.

Inter ipſius ſcripta poetica ſunt Nymphæ Mycalæ Carmen Germanicum, & Epigrammata juvenilia, inter quæ palmam accipit vaticinium illud, anno ætatis 16 editum:

Naſcitur in Regis Fridericus monte, quid iſti
Prædicunt Muſæ? Rex Fridericus erit. 64 ſeq.

Sequuntur *Caſparis de Stiler*, Serotini qui cognomen in fructifera ſocietate habuit, conſcriptiones, ut & aliæ grammati-

cæ,

Digitized by Google

§. 67 - 70. pag. 315 ſeq. cæ, poeticæ, epiſtolicæ. Has inter *Grosgebaueri* quidem Hodegetam linguæ Latinæ Teuto-Grammaticum Jenæ A. 1692 prodiiſſe novimus, Hodegetam linguæ Germanicæ neque nos invenire §. 70 - 100. potuimus. Memorantur præterea *Aug. Nath. Hubneri* Inſtitutiones; *Ablii*, *Dunkelbergi*, *Sambachi*, *Allandi*, *Grünewaldi*, *Habelii*, *Kronii*, *Libii*, *Schilteri*, *Schœttgenii*, *Stüſſii*, *Leibnitii*, *Eccardi*, *Egenolſii*, *Læſcheri*, *Longolii*, *Eisleri*, *Tœllneri*, *Diemanni*, *Hartmanni*, *Reimmanni*, *Spannutii*, *Freyeri*, *Wahnii*, *Steinbachii*, *Hallbaueri*, *Schatzii*, *Solbrigii*, *Wachteri*, *Schmettheri*, *Henſchelii*, *Pitſchelii*, *Schwabii*, *Poklii*, *Friſchii*, *Wippelii*, *Haltauſſii*, *Vorſatzii*, *Schilii*, *Weichmanni*, *Gravii*, *Anteſpergii*, atque aliorum, labores, vel Grammaticam univerſam, vel notationem & vocabula, vel ſcribendi rationem, ſpectantes. Contemnuntur autem merito & carpuntur *Goropius Becanus*, *Wakius*, *Anſorge*, *Max*, *Scumius*, *Chtorenus Germanus*, atque alii hujus generis ſcriptores: ut inter priores eminentioribus ſingularis quoque laus, & fuſior ipſius vitæ deſcriptio, ſubinde impenditur. Supereſt *poſterior Pars*, brevior illa, & viginti quatuor modo membra complectens. Occurrunt hic *Stephani Ritteri* Grammatica, *Nath. Duezii* Compendium, *Ge. Hickeſii Theſaurus linguarum veterum ſeptentrionalium*, *Jo. Angeli Sumarani*, equitis Hiſpani, Grammatica, Collegii Hibernici, Salamanticæ inſtituti, janua, in qua conſignanda *Iſaacus Habrechtus* occupatus fuit, *Matthiæ Belii* Grammatica, ut & *du Puis*, *Leopoldi*, *Petri Canelii*, Gallorum nominatim in gratiam conſignatæ, *Santo de Ramlo Grammatica della Lingua Tedeſca*, *Bened. Beileri* Grammatica, Anglis ſcripta, *des Ædeln* Minerva, ut & *Offelii*, *Rüſenbergii*, *Schalleri*, *Foreti*, *Criſpini*, *Tiliandri*, *Barenii*, *Heldmanni*, *Junkeri*, *Roteri*, *Dobratzkii*, *Andr. de Glataw*, atque aliorum, lucubrationes. Quas quidem hic fuſius exponere, non eſt propoſiti noſtri, quibus jam ſufficit, literatiſſimum Autorem ex merito laudaſſe, atque monuiſſe, ut, ſi quid noſtræ valent preces, uberiorem hiſtoricæ hujus partis tractationem, ipſam, cui ſe intentum profitetur, Grammaticam Germanicam, communibus omnium votis, divina clementia nixus, quamprimum largiatur.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCXLIX.

ΤΑ ΤΟΥ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΑΠΑΝΤΑ. *HIPPOCRATIS Opera omnia, cum variis lectionibus, non modo huc usque vulgatis, verum ineditis potiſſimum, partim depromtis ex Cornarii & Sambuci Codd. in Cæſar. Vindobonenſi Bibliotheca hactenus aſſervatis & ineditis, partim ex aliis ejusdem Bibliothecæ MSS. libris, ac denique ex Mediceis Laurentianis MSS. Codd. collectis; quarum ope ſæpenumero Græcus contextus fuit reſtitutus. Acceſſit Index Pini copioſiſſimus, cum Tractatu de Menſuris & ponderibus. Studio & opera STEPHANI MACKII, Eliſabethæ Chriſtinæ Aug. Aulæ Medici.*

Tomus II.

Viennæ Auſtriæ, proſtant apud Leopoldum Jo. Kaliwoda, Imperialis Aulæ Typographum, 1749, fol. maj. Alph. 4 plag. 9.

Sunt inter exteros, qui putant, bene multi, curam elegantiorum literarum, ita Græcas & Latinas appellare mos eſt, e Germania noſtra prorſus exulare. Quos opinione ſua falli, præter alia non pauca, quæ in hoc genere dedimus, etiam hæc ſplendida profecto *Hippocratis* editio convincere poteſt, vel ibi locorum curata, unde præclari olim

parum exſpectabatur. Valde tamen dubitamus nos quidem, eane effectura ſit, ut ad maturitatem & virile robur in hoc genere literarum profeciſſe, & æque intelligentes eruditæ hujus quaſi mercaturæ deinceps exteris videamur, atque gentes, quæ eam a longo tempore ſuo quaſi jure veluti monopolium exercuerunt. Dubitamus, ut præſentem in rem veniamus, effecturane ſit hæc *Hippocratis* editio, ut, ejus autorem provinciam ſuam invaſiſſe, id eſt, ſatis attuliſſe induſtriæ, ſatis cum Coo ſene conſueviſſe, & veluti cohabitaſſe, iidem ſibi perſuadeant. Conſilium de patre medicorum & medicinæ ab injuriis temporum hominumque vindicando laudem mereri, tam diffitetur nemo, ut potius fuerint nuperrime, qui toto animo illud agitarent, præclari viri, quos inter Ill. *Trillerus* noſter primo videtur loco nominandus. Quam etiam non ineptis cum præſidiis hoc opus ſuſceperit *Mackius*, Vir illuſtris, patet ex illis, quæ his ipſis in *Actis Menſe Januario Anni 1745* fuerunt expoſita; quæ ut repetantur, neceſſe non eſt. Si quis tamen paulo attentior, quæ a præclaro Viro præſtita fuere, cum iis conferat, quæ præſtari debuerant, in eam ille pronus veniat opinionem, Viennenſem hanc editionem non ſatis ad maturitatem adductam, & quo par erat, ornatu excultam, ſed per trepidationem, & occupandi ſtudio, excuſſam fuiſſe, cum conſultius fuerat, reprimendo tantisper conatum, & plura interim comparando adminicula, quandoquidem præſentia non ſufficiebant, moræ & ingrati laboris patientia majorem laudem redimere, promiſſis ſuis publicæque exſpectationi ſatisfacere, & id denique hac ratione conſequi, ne quis adornandæ perfectioris editionis paulo poſt ſeu deſiderium, ſeu conſilium, capeſſat, neve impenſarum, quæ ſane, ut in ſplendidum opus, contemnendæ non ſunt, emtores pœniteat. Queſti jam ſunt plures, ſi quis unius & alterius Codicis collationem nactus fuerit, eum protinus, qui hujus ſeculi pravus mos eſt, ad effundendum ſuum theſaurum ruere, novamque ſui ſcriptoris editionem adornare. Quod ſi minuto ſcriptori contingat, leve damnum, & in parvi æris jactura ſolatium, eſt. At ſcriptorem tam voluminoſum, quam

eſt

eſt *Hippocrates*, non audeat ſtudioſus literarum identidem magni redimere, vix intra medium ſeculum librarius recudere. Melius ſane, & magis in commune bonum, facturus videbatur præclarus Editor, ſi viam ſecutus eſſet, quam *Oroſcius* monſtravit, qui, cum haberet luculentas ad *Aëtium* e MStis Codicibus acceſſiones, non ideo novum *Aëtium* dedit, ſed, quacunque tandem impulſus cauſa, eas, peculiari libello comprehenſas, publico in loco propoſuit. Cujus inſtituti commoda intelligens etiam Cel. *Montfauconius*, *Ptolemæi* Geographi, *Xiphilini*, & aliorum, collationes, e bonæ notæ Codicibus depromtas, in *Palæographia Græca* præſtitit. Eo nempe res illa tendit, ut, ſi quis deinceps operi par futurus talium editor exiſtat, his utatur paratis opibus, easque ſuis aliunde quaſi conſcriptis copiis ſupplementum adjungat. Nam ad veteres quidem libros edendos, præter judicium criticum & acrem diligentiam, domeſticas opes, nihil prodeſt magis, quam apparatus Codicum manuſcriptorum, tanto utilior, quanto copioſior. Tam enim non eſt bonus, qui paſſim a ſe non deficiat, tam non malus, quin interdum ſuccenturietur.

Sed, ne opus, alibi vehementer laudatum, immerito carpere videamur, danda nobis eſt opera, ut exemplorum documentis evincamus, Clariſſ. *Mackium*, profeſſum utriusque *Hippocratis*, tam Græci, quam Latini, emendatorem, licet multa depravata loca in ſuam integritatem reſtituerit, quod non poſſumus non agnoſcere grati & collaudare, tamen viciſſim multo ſæpius vulgatorum Codicum pravas lectiones melioribus, quas manuſcripti ſuggerebant, prætuliſſe, & has poſteriores ad variantium lectionum claſſem, & ad imam paginam, velut in exilium, ablegaſſe; quod tolerari debuerat, ſi ſemper & ubique vulgatos affectari decreviſſet; nunc autem absque delectu modo emendare, modo omittere, &, quod una fidelia dealbari debuerat & potuerat opus, id imperfectum & reficiendum aliis tradere, viderint alii, num prudentiæ & modeſtiæ criticæ nomen mereatur, & num Cl. Editor ubique intellexiſſe ſuarum variantium lectionum vim & pretium cenſendus ſit. Demonſtrabimus porro, absque cauſa ipſum & prærpo-

 pere

pere vulgatas lectiones ideo tantum repudiaſſe, quod a Codicibus ſuis illæ aberant; quamvis de cetero recens invectis aut nihil eſſent deteriores, aut manifeſta probitate præſtarent. Denique, quod maxime fieri oportuerat in corrupto Scriptore, acumen criticum non exercuiſſe, ſed aut incruſtaſſe, aut ſicco pede tranſiiſſe, vitia, in quæ cum vulgatis manu exarati conſentiunt, & tandem, quod e ſuperioribus efficitur, Latinam interpretationem prorſus non ut decuerat reformaſſe. Nam, quod *Hippocratis* anatomica, phyſiologica, cetera in univerſam artem medicam peccata, quæ recentiorum fortuna, ſagacitas, & induſtria, deprehendit atque correxit, vel leviter non perſtrinxerit; quod in loca Coi noſtri, quæ a vetuſtis Medicis paſſim laudantur & exponuntur, non inquiſiverit; quod *Hippocratem* neque ſecum ipſo, neque cum *Aretæo* Cappadoce, compararit, qui eum imitatione ſtuduit exprimere; quod, quæ hujus & proxime ſuperiorum ætatum eruditi homines in *Hippocratem* commentati fuere, nullo in cenſu, & indigna memoratu, habuerit, quod operi ſuo, ut paucis rem omnem complectamur, floridam & philologicam eruditionem pæne omnem ademerit; ea quidem nolumus ipſi defectuum titulo imputare. Id vero, quod promiſimus, nunc agemus, &, ne nimii ſimus, quod facile fieri poſſit in tanta rerum copia, neque, pro arbitrio vagando, vexata loca ſtudio delegiſſe videamur, uni ſoli *Hippocrateo* libro nos alligabimus, quem fors objecit, ſpecimen exhibituri, e quo conſtet, quantum adhuc ſuperſit operæ, ſi quis aliquando repurgando *Hippocrati* animum ſerio adjiciat acutus & ſtrenuus Criticus, idemque Medicus.

Eſto itaque Liber, quem hic pertractabimus, *primus de Morbis*, e quinta Sectione. Hoc enim *ſecundum* novæ hujus editionis *Volumen* ea complectitur omnia, quæ olim *Foeſius* in ſua quartæ & quintæ Sectioni, ex ſua mente, attribuit, id eſt, τὰ ὑγιεινὰ & τὰ θεραπευτικά. Incipit dictus Liber a *pag.* 174 novæ editionis At nos ejus quidem paginas citare omittemus, ideo quod in ea lineas æque nobis numerare, ac lectori indicatas invenire, operoſum foret. Citabimus ergo paginas & lineas editionis *Frobenianæ*, quæ diligenter demonſtratæ proſtant.

Pri-

Digitized by Google

Primo igitur loco dabimus indicem earum lectionum, quæ, a Codicibus Manuſcriptis oblatæ quamvis, ſpretæ tamen, &, cum deberent in textum recipi, ad variantes lectiones amandatæ fuerunt, e quo intelligetur, hanc editionem excellentes profecto res, ſed ſiniſtro conſilio abſtruſas, continere. Tale eſt, quod *pag. 129 lin. 15 edit. Froben.* legitur, καὶ ὅ, τι ἅπαν ἐςὶν ἐν αὐτῇ ἓν, καὶ πάντα ὅτι ἕν. Medicum oportet noſſe, *quod totum in ea* (arte medica) *unum eſt, & omnia, quod unum.* Ita exhibet Latina interpretatio. Sapit aliquid myſticum. Putes fere, particulam ſpiritus, qui ſuperiore Seculo *Jacobum Bœhmium* rotabat, *Hippocrati* quondam inſediſſe. Atqui potuerat, præter proxime ſequentia verba, Codex Manuſcriptus, ni ipſam veram lectionem, ejus ſaltem veſtigia, prodere. Nam pro ultima voce ἓν habet ἔνι. Unde patet, legendum eſſe locum ſic: καὶ ὅ, τι ἄνοςὸν ἐν αὐτῇ ἔνι, καὶ πάλιν τοι, ὅ, τι ὀὐκ ἔνι. Medicum oportet noſſe, *quid præſtare valeat ars medica, & e contrario, quid non valeat.* Πᾶν & πάλιν permutari in Codicibus MStis, ipſe Cl. *Mackius pag. 193 not. 175* monet. Eadem *pag. lin. 21* non debuerat omitti egregium Codicis ſupplementum. Vulgo circumfertur: καὶ ὅ,τι κακὸν ἐπὶ κακῷ, ἀνάγκη γίνεσθαι. Codex: καὶ ὅ, τι κακὸν ἐπὶ κακῷ γενόμενον ἀγαθὸν ποιέει, καὶ ὅ, τι κακὸν ἐπὶ κακῷ ἀνάγκη γίνεσθαι. In quibus nihil deſideres, niſi vocem ὀλέθριον ante γίνεσθαι addendam. Medicum oportet noſſe, *quale malum vertat in ſalutem ægri, ſi ſuperiori alteri malo ſuperveniat* (ut metaſtaſes criticæ e. c. e pulmonibus ad parotides, ad inguina, rediens ad articulos arthritis, febris apoplexiæ ſuperveniens, &c.) *& quale malum* e contrario *non poſſit perniciosum non eſſe, ſi alteri malo ſuperveniat*, ut caput læſo convulſiones, hydropico gangræna, &c. *Lin. 28* vulg.: καὶ ἐςὶν ἐν τῷ σώματι. Codex integrius: καὶ ἐςὶν ἀεὶ ἐν τῷ σώματι. *Lin. 34* vulg. ἀλλὰ τούτων. Cod. ἄλλ' ἃ τούτων.

Pag. 130 lin. 1 poſt ὕδρωπα fuerat addendum e Codice: καὶ σπληνὸς οἴδημα ἐς ὕδρωπα. *Lin. 12* vulgata: ὁ μέν τοι καιρός ἐςιν ἐπὴν πάθῃ ὁ ἄνθρωπος ὅ,τι. ἣν τις πρὸ τοῦ τὴν ψυχὴν μεθιέναι ὠφεληθῇ, τοῦτο ἐπὴν ἐν καιρῷ λάβῃ, ὠφελεῖται

 debue-

debuerant ſic refingi, Codice viam monſtrante: *ὁ μέν τοι καιρός ἐςιν· ἐπὴν πάθῃ τι ὁ ἄνθρωπος ὁτιῦν, ἤν τις πρὸ τῦ τὴν Ψ. μ., ὠφελῆται* (eſt optativus). *τῦτο ἅπαν ἐν καιρῷ ὠφέλησεν. Oportunitas* (vel *τὸ oportune opitulari*) *tale quid eſt. Si malorum, modo recenſitorum, aliquid paſſo alicui alter opem tulerit, antequam iſte exſpiraverit, totum illud oportune fuerit opitulatus. Verſu 16* debuerat recipi *ὀδύναι δ' ἐγγίνονται. Verſu 17 καὶ γὰρ καὶ μὴ παρεόντος. Pag. 131 lin. 18,* puncto poſt *καθαίρει* fixo, *ἐξ ὧν ἤμεσε*, quarum vocum duæ priores a vulgatis abſunt. *Verſu 30* & deinceps mancus & corruptus exſtat in vulgatis omnibus, & in hac quoque, quem, quod ex ima ora diſcas, MStus Codex tam egregie reſtituit, ut nil ſupra. Sic enim is habet: *ὐχ ὁμοίως ἐπαινέυσι. χρεὼν γὰρ* (non *χρέων* ut male bis exhibuit Editor.) *πεπονθέναι αὐτὲς δοκέυσι. τὰ δὲ ἕλκεα Φλεγμαίνειν καὶ ἐν τῇσι νύσοισιν ἐςὶν ἧσιν ὀδύνας γίνεσθαι, ταῦτα δὲ ὐ δοκέυσι χρεῶν εἶναι γίνεσθαι αὐτοῖσιν, ὐδὲ. τὰ τοιάδε ὥςε γίνεσθαι νεῦρον, ἢν διακοπῇ, μὴ ξυμΦύναι, μηδὲ κύςιν, μηδὲ ἔντερα, ἢν ἡ τῶν λεπτῶν, μηδὲ Φλέβα αἱμοῤῥέον* &c. E quibus primum hoc diſcas, *Chartierium* verba *νεῦρον* usque ad *δέρμα* male a ſuperioribus avulſiſſe, & ab iis quintum Caput exorſum fuiſſe, cum debuerat a voce *ἀρχὴ*. Deinde loci ſenſum hunc eſſe. Moroſi & ſtupidi ægri, quales ſunt plebeji, Medicum indignis & miſerandis modis excipiunt. Si quod enim is ægro medicamen exhibuerit, a cujus uſu non tantum non melius confeſtim ſe habeat æger, ſed altero die pejus quoque, criminantur Medicum. Si vero medicina proſit, *non tamen perinde laudant, putantes, ægro id contigiſſe, quod oportebat:* (quod Medicus ex officio & profeſſione ſua præſtare debebat, ipſi jure ſuo pro mercede ſua flagitare poterant,) non autem reputantes, mala quædam artis & Medici viribus potiora eſſe. Ita e. c. *non reputant naturale*, & non expugnanda *neceſſitate contingere, ut ulcera*, dum fiunt, *æſtuent, ut morbis quibusdam adhæreſcant dolores; non reputant, neceſſe prorſus eſſe, ut hæc contingant*, quæ nunc recenſebimus, *nervum ruptum nunquam coaleſcere*, quicquid egeris, *neque veſicam*, &c. Græca pariter

ter atque Latina hæc cum vulgatis ſi quis conferat, non parum diſcriminis deprehendet. Etiam in his, quæ *verſu 42* leguntur, ἀπώσαιεν. λαβεῖν δὲ δεῖ, *quæ vehementer apprehendere oportet, ea apprehendendo premere*. Ita convertunt. Atqui Codex habet: ἀπῶσαι· ἐμβαλεῖν δὲ, ἃ δεῖ, ἰσχυρῶς, καὶ λαμβάνοντα πιέζειν. *Faſcias adſtringere, ubi oportet, firmiter, &, dum id fit, muſculoſam carnem vola manus comprehenſam introtrudere*. Scilicet ἐμβάλλειν idem eſt, quod δεσμοὺς ἐμβάλλειν: vel & χεῖρα ſubintelligitur. *Pag. 132 lin. 21* debuerat e Codice MSto ſic reſtitui: ἀπόλλυται. ἀπόλλυται δ᾽, ἢ, καθάπερ ἐν τοῖς πρόσθεν εἴρηται, διαπύου τοῦ πλεύμονος γενομένου, ἢ καὶ τῆς γαστρὸς ῥυείσης κάτω. Ita procul dubio fuit in Codice, quamvis Var. Lect. *Mackianæ* locum ſecius, neque integre, exhibeant. *Verſu 38* inſignis eſt locus, cui *Cornarius* in editione *Frobeniana*, ceu inſigniter corrupto, aſteriſcum præfixit: Συμφέρει δὲ τοῦ τοῖσι τοιούτοισιν ἢν καταρχὰς λάβῃς θεραπεύειν, ὥστε αἵ τε φλέβες ἐξιέμεναι ἐκ τῶν χειρῶν. *His* (a rupta vena in phthiſin vergentibus) *confert, ſi circa exordia curandos ſuſceperis, ut & manuum venæ (ſanguinem) emittant, & victus ratione utatur, ex quo & ſicciſſimus & maxime exſanguis evadat*. Ita vulgata interpretatio, ſic ſatis quidem bene, quantum ad ſenſum; ſcabra tamen iſta ſunt, qualia Græca quoque, quorum ad emendationem id unum, at non contemnendum, confert Codex MStus, quod præfert, ordine mutato, λάβῃς ὥστε θεραπεύειν. Procul dubio recte. Quo conſtituto, jam ad emendationem via plana eſt, quæ non potuerat Editorem effugere, ſi diligentius, quam fecit, *Hippocratem* ipſum ſecum comparaſſet. Locus huic geminus habetur *pag. 138 lin. 27*: τούτῳ (ſic lege, non τούτου,) ξυμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ. Unde conſtat, in præſente loco aut ἐσχασμέναι, aut, ſi ſtrictius inhærendum ſit veſtigiis literarum, ἐξυσμέναι, legendum eſſe. *Talem ſi curandum ab initio morbi ſtatim nactus fueris, confert venarum in manibus ſectio, & diæta exſiccans* &c. *Verſu* porro *43* debuerat recipi προσπίπτει loco vulgati ἱζάνουσι: item *verſu 45* πάσχουσί τε τοιαῦτα, absque τὰ. *Verſu 48* lo-

cus

Digitized by Google

cus e Codice integrari, qui ſic habet: σήπεταί τε καὶ γίνεται πῦον. σήπεται δ' ἐπὶ τῶν φρενῶν κεχυμένον (ſex hæ voces poſtremæ abſunt ab impreſſis) σήπεται &c.

Pag. 133 verſu 34 delendum fuerat, autore Codice, ἢ in iſtis vulgatis: τὰ ἐπιῤῥέοντα κακὰ ἢ τὰ ἀποῤῥέοντα, & *verſu 36* δὲ ὀλίγυ edi, ut *pag. 134 lin. 2* & *15*, & *pag. 136 lin. 14*, & ubi non? *Pag. 135 lin. 5* καὶ ante ὁκόταν inſeri. *Verſu 26* ὀλέθριον τῦτο deleri, juſſu Codd. continuari præcedentia ſequentibus, & in fine periodi ſcribi, δι' ὧν ἐφθάρη, quæ eſt ſuperioris membri apodoſis, quemadmodum ſupra erat ἐξ ὧν ἥμεσε *pag. 131 lin. 18*. *Verſu 28*, ἢ ἀφ' ὧνπερ præſcribit Cod. MSt. *Verſu 36* τρόπῳ τῷ αὐτῷ. Quod absque dubio rectius, quam vulgata, quamvis ea recurrat *pag. 136, 5*, ubi Codices ſilent. Sed hæc minutiora. Id majoris momenti, quod lacunam, quæ *verſu 43* habetur, Codex egregie ſuppleat, Vulgo circumfertur σπασθὲν ῥαγῆ, μὴ ῥαγῇ δὲ παντελῶς. Multo rectius Codex (nam vulgata ipſa ſibi contradicunt) σπασθὲν ῥαγῆ, ἢ σπασθῇ μὲν, μὴ ῥαγῇ δὲ παντελῶς. *Pag. 135 lin. 14* pariter inſignem opem fert Codex deficienti vulgatæ. Hæc ita præfert: δοκέουσιν ἔνιοι αὐτοῖσί τὸ ῥῆγμα μεταστῆναι· τὸ δὲ ἐκ ἀνυστόν. ἐγγυτάτω δὲ ἕλκεος ἐστιν ὁκόσα τοιαῦτα. *Quidam putant, ruptionem* (ita vertitur) *ipſis tranſmutatam eſſe: at id fieri non poteſt, ſed* (imo vero *atqui*) *quæ ſunt ejusmodi ulceri ſunt proxima*. Quid in his boni ſenſus, quæſumus, ineſt? Apparet, ante ἐγγυτάτω ratiocinii alterum membrum deeſſe. En illud e Cod. poſt ἀνυστὸν ſtatim inſerendum, ἕλκος γὰρ μεταστῆναι ἐκ ἀνυστόν. Similitudo verbi librariorum oculos in errorem induxit. *Putant aliqui, ſibi rupturam alio tranſmigraſſe. Id vero fieri nequit. Nam ulcus tranſmigrare de loco in locum nequit. Atqui hæc talia, dolores a ſpaſmis, proxime ad ulcerum indolem accedunt. Lin. 24* præſtiterat Codicem ſequi; ſaltem pro μεθιστάναι ſcribendum eſſe vel μεθεστάναι, vel μεταστῆναι, etiamſi Codex non admoneret, potuerat tamen vel Grammatica Græca monere. *Verſu 36*, προσσυμφυῇ (ita leg.) ἔξω τῷ ἔσω rectius Cod. quam τῦ ἔσω vulgatæ; item *verſu 40*, ἢ γὰρ σὰρξ ἢ τῦ ἕλκεος,

&

& σχολαίτερον: & *verſu 43* ἰνσαπῇ. *Pag. 136 lin. 1* ἢ πόνον ἢ κατὰ γυμνασίην. *Pag. 137 lin. 10* ψυχρότατον γὰρ τῦ ἀνθρώπυ φλέγμα. *Verſu 16* συσπώμεναι καὶ ἐπ' ἑωυτὰς ἰῦσαι, πηγνυμένυ τε καὶ συνιόντος τῦ αἵματος. Ita nempe in Codice fuiſſe, nulli dubitamus. *Verſu 22* ὑπερθερμασίης. *Verſu 24* μεθίῃ. *Verſu 42* καὶ ὅσον ἐν ταύτῃ. *Pag. 138 lin. 8* debuerat iuſſu Codicis ὑγρῦ expungi; *verſu 17* καὶ πτύεται pro καὶ ἐμπυῦται ſcribi; *verſu 33* ἄμφω ἀπὸ τῦ αὐλῦ, ἀπὸ ξηρ. & *verſu 43* vox ἔνδον, ad ſenſus integritatem omnino neceſſaria, inſeri, qua vulgatæ carent, hunc in modum: καὶ τὰ μὲν ἔνδον ὑπὸ πολλῆς; *pag. 139 lin. 19* reponi τοσύτῳ pro ὅτῳ; & *lin. 39* κεκινημένυ ἐ τὴν εἰωθυῖαν κίνησιν.

Hæ fere ſunt, præter minuta quædam, quæ ſeu caſu, ſeu conſilio, prætermus, lectiones meliores, quas Clariſſ. *Mackius*, profeſſus *Hippocratis* emendator, e Codicibus ſuis in textum *Libri I de Morbis* intuliſſe debuerat, non tamen intulit. Quod factum quo nomine queat excuſare, ipſe viderit. Factum tamen non miramur, qui uſu didicimus, non ſemper rite collocare ſuas opes, qui abundant, & ſæpe, qui rite collocaturi eſſent, indigere. Jam indicabimus breviter ſecundo loco lectiones vulgatorum librorum, quæ deterioribus Codicibus MStorum permutatæ, & concedere juſſæ, fuerunt. *Pag. 129 lin. 8* non debuerant ejici ἢ μὴ θανάσιμα, neque *pag. 130 lin. 34* damnari ἐξιήσεσθαι, neque *pag. 131 lin. 3* ὑφύδρῳ, neque *lin. 15* ἀπὸ τῦ σπληνός. Præterquam enim, quod Græcum non ſit καθαίρειν ὑπὸ τῦ σπληνὸς, pro *ex ſplene expurgare*, quænam erat ratio, phraſin hic ſollicitandi, & mutandi, *pag. 132 lin. 8* vero & alibi conſervandi? *Verſu 25* vulgatum ὀδύνης debuerat ſervari, aut ſaltem ὀδύνῃς ſcribi; non enim genitivus ſingularis, quod credidit Cl. Editor, ſed dativus pluralis, eſt; item *verſu 133 lin. 16* ἔπειτα ἐπὶ μᾶλλον, & *pag. 136 lin. 8* ἥ τε ὥρη. & *lin. 15* πάσχουσιν ὅτοι τύτων, & *lin. 31* ὁμαλῶς: (niſi ὁμαλῷ, quod Viennenſis editio præſtat, operarum error ſit,) item *pag. 137 lin. 8* μάλιστα δὲ καὶ ἰσχυρότερον. *Pag. 138 lin. 12* dubium, an non retineri debuerit ὑγραινομένυ, pro quo repoſitum e Codice διαθερ-

θερμαινομένῳ. Iſtud enim prius eſt *mobile facto;* quod ſenſum non incommodum fundit. Id vero extra controverſiam eſt, *verſu 18* τάτε ἐπελθόντα vulgatorum rectum eſſe. Forte prætervidimus alia id genus.

Tertio loco deſiderabamus, ubi Codices manuſcripti juxta & vulgati nos & *Hippocratem* deſerunt, ibi Clariſſ. *Mackium* opem criticam, ab ingenio ſuo depromtam, non attuliſſe. Quod quam neceſſarium, quam etiam perſæpe facile, factu fuerit, efficiemus, ut appareat, indicando loca libri, quem tractamus, adhuc corrupta, & pro virili noſtra emendando, quemadmodum in ſuperioribus jam fecimus, ubi opportunitas & rerum ſeries invitabat. *Pag. 129 lin. 9* legitur ὁκόσα ἐνδομεςὰ ἢ κακὰ ἀπ' αὐτέων ἀποβαίνει, ἢ ἀγαθά. Ratio ſermonis jubet ἀποβαίνειν ſcribere, & vel ipſe *Hippocrates* potuerat ea de re monere, qui eadem *pag. verſu 37* ἐνδομεςὰ τὰ τοιαῦτα ἀπολλῦναί τε καὶ μή. Confer. *pag. 131 lin. 26,* & alibi. *Verſu 30* pro ἀνάγκη ſcribendum eſſe ἀνάγκην, & ſtructura verborum, & ipſe *Hippocrates,* monet, paulo poſt ſcribens, τῶν νοσημάτων τὰ τοιάδε ἔχει ἀνάγκας. *Verſu 34* τιτρωσκομένων. *Pag. 130 verſu 2* ἐπιλαμβάνειν & ποιεῖν. *Verſu 3* καὶ ἀτονέσῃ, *quando tonum ſuum amiſerit,* pro πονέσῃ, *doleat,* quod verbum quam ſit incongruum ibi loci, deprehendet, quisquis ſecum reputet, *Hippocratem* de ictu capitis absque externa læſione loqui, quem, ut intus concuſſo cerebro, viſus, auditus, & vocis, omniumque omnino ſenſuum externorum, jactura confeſtim conſequatur, quicum ſenſus *doloris* conſiſtere nequit. Tali enim ictu concutitur tantum cerebrum, & internorum ſenſuum officina turbatur atque confunditur, meninges autem, doloris ſedes & cauſa, non lacerantur, ideoque non dolent, niſi forte obtuſe, &, ſi vel maxime dolerent, intus confuſo cerebro, non multum ſentiret homo dolorem, qui major eſt in cerebri vulneribus & laceratione, de quibus proxima ἢν δὲ τρωθῇ agunt. *Verſu 10* τιτρωσκόμενον lege; *verſu 17* οὐκ ἁρμόσουσι (non ἀρκέσουσι) *non congruunt;* *verſu 25* ἐς τυχὸν (pro ἐς τάχα,) id eſt, ὡς ἔτυχε; *verſu 32* καὶ φαρμάκου δέον, *quando opus eſt medica-*

mentos

mento; *pag.* 131 *lin.* 16 *προέωσαν*. *Verſu* 40 poſt λόγοι delendum punctum, & omnia uno tenore continuanda. *Pag.* 132 *lin.* 11 legitur σίαλον πικρότερον. *ſalivam ſolito magis amaram* eſſe illis, quibus phthiſis a materia deſtillante ſubrepit. In qua lectione nihil videmus, quod ſeu medicæ theoriæ, ſeu experientiæ, repugnet. Saliva enim hominis, ſi ſana eſt, eſt ἄποιος, nullum ſaporem habet; quem ſi accepit, ſalibus, aut oleis, infecta eſt, & a ſero quidem acri, calido, mordace, æque ſaliva fit amara, atque lachrymæ. *Chartierius* tamen πυκνότερον malebat, & hoc probat Clariſſ. *Mackius*. Forte habuerint illi ſuas rationes id præferendi, quæ nos latent. Si quid mutandum ſit, quod non putemus neceſſe eſſe, quidni potius πιμελέστερον, *ſubpinguem*, malimus? Phthiſicis profecto ſubdulcis, & nauſeoſa, & viſcidior, ſaliva eſt, cujus rei cauſa vel tirones non latet. *Verſu* 35 ὅ καὶ delenda, ut vitioſæ reliquiæ literarum ος in proxime præcedente κέρας. *Pag.* 133 *lin.* 7 poſt καὶ σαπῇ excidiſſe quædam videntur, quorum hic ferme ſenſus fuerit: θεραπεύονται δὲ ἤτοι ὡς οἱ ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γενόμενοι. καὶ τότε γὰρ &c. *Verſu* 31 καὶ, ὥσπερ εἴρηται, αὐτοῦ τὸ μὲν &c. *Verſ.* 34 αἱ δὲ σάρκες φθίνουσι τηκόμεναι μᾶλλον. *Verſu* 39 οὐκ ἂν ἐςὶ τῳ ἀκριβὲς. *Non eſt igitur alicui certum & exploratum.* *Verſu* 40 eſt maxime vexatus locus, nodus vindice dignus. Ait *Hippocrates*, de tempore phthiſicis fatali certum quid conſtitui non poſſe, diune trahant, an brevi finiant: οὐδὲ γὰρ οὗτος ὁ χρόνος ἀκριβὴς, ὃν ἔνιοι λέγουσιν, ὡς τὰ πολλὰ οὐδὲ αὐτὸ τοῦτο ἐκπύει. Sic vulgo circumfertur Græce, & Latine ſic: *Neque enim certum hoc tempus eſt, quod aliqui proferunt, cum plerumque hoc ipſum ſuppuret.* Mali corvi malum ovum, quod ajunt. Græca corrupta non poterant meliora Latina generare; aut pro ſapientia non reputabant interpretes, cum Græculis librariis non delirare velle. Codices *Mackiani*, quamvis locum non expediant omnino, duo tamen ſuppeditant momenta, quæ attentior, velut veſtigia, perſecutus, non difficulter ſcriptionem ab *Hippocrate* profectam agnoſcat. Et primum quidem minoris momenti eſt, τὰ πολλὰ in Codd. deſiderari; ſive adſit,

ſive deſit, parum intereſt; at illud majus eſt, quod Codex ἐκποιέει pro ἐκπύει exhibet. Egregie profecto. Unde ſequitur, pro αὐτὸ τοῦτο legendum eſſe ἐνιαυτόν. Eſt ergo locus ita conſtituendus: *Ne iſte quidem temporis ambitus ſatis certus eſt, quem aliqui phthiſicis præfiniunt, perhibentes, illum* (ambitum) *utplurimum ne annum quidem integrum conficere,* ὡς τὰ πολλὰ οὐδὲ ἐνιαυτὸν ἐκποιέει. *Verſu* 42 γνώσεται ἀνὰ πᾶσαν. *Pag.* 134 *lin.* 1 ait *Hippocrates*, ſi pus in cavitatem abdominis exundarit, difficilius id cognoſci, quam in thoracis cavitatem effuſum: ἢν μὲν ἔνδον ἀποσημήνῃ, δυσπετὲς γνῶναι· οὐδὲ γὰρ διασείσαντά ἐστι εἰδέναι, *neque enim tunc datur* id, ut in thorace, *cognoſcere ex ſtrepitu fluctuantis & conquaſſati puris, qui auditur, quando empyematicus ab uno latere in alterum volvitur.* Exſpectet jam Lector (& ita jubet omnino οὐδὲ, *neque*,) alterum indicium, ex quo pus in thorace quidem agnoſcitur, in abdomine autem nequit agnoſci, ſcilicet e gravitate, diaphragma premente, & ſpirationem impediente, agnoſcitur pus in thorace, quod in abdomine non procedit. Putemus ergo, poſt voces οὐδὲ γὰρ inſerendas eſſe has duas, βάρει & οὐδὲ, οὐδὲ γὰρ βάρει, οὐδὲ διασείσαντα &c. *Verſu* 2 ἀποξηραίνεται. *Verſu* 35 οὐδὲ οὕτω μᾶλλον ἀναφέρουσιν. *Pag.* 135 *lin.* 2 legitur vulgo γίνεται ἀλγήματα πολυχρόνια, καὶ καλέουσι ῥήγματα. In Var. Lect. notatur, Codicem Manuſcriptum poſt πολυχρόνια interſerere ἃ, *quæ*. Recte id quidem. Sed penitus emaculatum hoc eſt, πολυχρόνια, ἃ καταχαλέουσι, *quæ abuſive vocant rupturas*, nam re vera *rupturæ* non ſunt tales dolores, quos nos quoque *Reiſſen in Gliedern* appellamus, ſed ſunt tantum niſus ad divulſionem fibrarum; unde dolor ut fibris nimium & ad crepaturam fere intentis. *Pag.* 136 *lin.* 6 delevit Cl. Editor particulam γὰρ, ex autoritate Codicis, in iſtis, τοῖσι δὲ ταῦτα τὰ νοσήματα ἔχουσι — διαφέρει ἐς τὸ δυσπετεστέρως τε ἀπαλλάσσειν καὶ δυσπετεστέρως· ἀνὴρ τε γὰρ γυναικὸς &c. quod factum approbaremus nos quoque, ſi expedita ſic omnia fuiſſent. Sed ſequentia, ſi cum illis, quæ *pag.* 133 *lin.* 36 proſtant, conferantur, clamant, lacunam

nam hic eſſe, cujus indicium *γὰρ* erat, & ſic ſcribi oportere: — *δυσπετεστέρως σῶμά τε σώματος, καὶ ἡλικίη ἡλικίης, ἀνὴρ τε γὰρ ἀπαλλάσσει εὐπετεστέρως γυναικός. His morbis & ſimilibus qui affecti ſunt, magnum iis momentum habet ad citius tardiusve, facilius, aut difficilius, convaleſcendum, corporis diverſitas* (id eſt, *ſexus*) *& ætatis. Nam & vir muliere citius convaleſcit, & juvencula citius, quam anus. Verſu 29* pugnat *ἔκδηλα* cum præcedentibus. Dixerat nempe *Hippocrates:* qui a ruptis vaſculis pulmonalibus in tabem incidunt, juvenes magis periclitari, quam ſenes: illos quidem, quandoquidem graviores ærumnas exantlent, validius nitantur, & minus corpus curent, quam ſenes, minusque acribus vigiliis morbos arceant, animi leves, ideo vehementius exagitari a morbo, *πάσχουσι πλέω τε καὶ ἰσχυρά, καὶ παραυτίκα ἔκδηλα αὐτοῖσι,* & ab ipſo læſionis pulmonum momento morbum deprehendere per hæmoptyſin, aut vomitum cruentum. Senibus autem morbi & multo pauciores cauſas, & mitiores inſultus, eſſe, *πάσχει (ὁ γέρων) ἀσθενέα τε*: jam debebat ſequi, *& initia morbi clandeſtina, indiciis latentibus,* ſputo nempe, vomituque cruentis. Atqui ſequitur *καὶ παραυτίκα οἱ ἔκδηλα γίνεται,* quod pugnat cum mente *Hippocratis.* Ergo aut *καὶ οὐ παραυτίκα* ſcribendum, aut *ἄδηλα* pro *ἔκδηλα,* aut tandem *ἐκηλά, quieta, tacita.* Nihil hic juvant Codices. *Verſu 39* leg. *οὐ γινομένης, ἢ ὀλίγης κατὰ λόγον τοῦ πτύσματος, repurgatione facta aut nulla, aut pauca, pro ratione pauci ſputi. Verſu 40 πλεύμονος,* pro *παθήματος. Verſu 48 συναποθνήσκουσιν. Verſu 50 γίγνεσθαι, καὶ οὕτως ὡς τὰ πολλά. Pag. 173 lin. 14 ὁκόταν τοῦτο ἀπὸ τοιούτων γένηται. Verſu 17 τοῦτο δή. Verſu 36 καὶ ἰσχυραὶ καταλάβωσι. Pag. 138 lin. 4 ἐς τὸ πλευρὸν τὸ ἀριστερόν. Verſu 12 ἑλκύσας. Verſu 26 τούτῳ* (ut *lin. 35*). *Verſu 29 νενοσηκός. Verſu 38* locus eſt mancus & impeditus, in quo parum proſunt Codices. Videtur totus ſic conſtituendus eſſe: *ὁκόταν χολὴ κινηθῇ ἀνὰ τὸ σῶμα, καὶ ξυγκυρήσῃ, ὥστε τὰς φλέβας πρὸς τὸ αἷμα εἰρύσαι καὶ τῆς χολῆς (ἐρύουσι δὲ, τὸ πλεῖστον, αἷμα ἐκ τῶν σαρκῶν καὶ τῆς κοιλίης) διαθερμαίνεται τὸ*

πρόσθεν ἐνεὸν (ἅτε καὶ φύσει θερμότατον ἐὸν ἐν τῷ σώματι) τὸ αἷμα. Ὁκόταν γὰρ διαθερμανθῇ τὸ ἐκ τῶν σαρκῶν καὶ τῆς κοιλίης αἷμα, πρὸς τῷ ἐνεόντι θερμῷ, μᾶλλον ἔτι ὑπὸ τῆς χολῆς. *Quando bilis e ditione ſua in totum corpus movetur, & contingit, venas, quæ utplurimum e muſculis & ventriculo ſanguinem hauriunt, præter iſtum ſanguinem etiam bilis aliquid haurire; incaleſcit ſanguis, præſertim cum rerum, quæ corpori inſunt, omnium natura ſit calidiſſimus. Sanguis igitur, e muſculis & ventriculo contractus, ubi hac ratione a bile accenſus fuerit ultra naturalem ſuum calorem.* Vulgata Græca & Latina impenetrabile chaos exhibent. *Verſu ult.* καύματος pro πνεύματος legendum. *Pag. 139 verſu 7* οὐ δυνάμεναι ὀλίγας ἡμέρας διατελέειν. *Verſu 10* συγκεκλῦσθαι (non συγκεκαῦσθαι). Ibidem debuerat *Chartierius* a voce Φρενῖτις novum Caput ordiri. *Verſu 11* ἴσχει reponendum pro ἔχει. Idem enim ambo non valent, quod ſic videri poſſet. Ὧδε ἔχει, *ſic ſe habet*, notat; ὧδε ἴσχει *ita occupat*, vel *invadit*. *Verſu 14* παρανοεῖ τε ὁ ἄνθρωπος. *Verſu 22* ἰσχυρὴν ἐοῦσαν μάλιστα τότε, quæ poſtrema duo verba deinceps poſt καθαίρειν, ut ibi perperam poſita, delenda ſunt. *Verſu 23* ἐπὶ μὲν πλευρίτιδος — ἐπὶ δὲ περιπνευμονίης. *Verſu 25* expungenda καὶ θερμασίην ἄγει ἐφ᾽ ἑαυτήν. *Verſu 36* καὶ τὰ ἔτι ὑγρότερα. Conf. *pag. 138 lin. 44*, niſi quis malit τὰ ἐπ᾽ ἐγγυτάτω, (ut ſeq. *lin. 42*); *verſu 38* ἀπόλλυνται, & tandem *verſu 43* ἰσχύσι.

Hæ ſunt conjecturæ & emendationes ad *Librum de Morbis primum*, quas mediocriter erudito cuivis lectori, nedum profeſſo *Hippocratis* editori, induſtria, hoc eſt, diligens ad Græcæ linguæ indolem, ad *Hippocratis* loquendi morem, ad ejus præſentem deſignationem, ad alibi ab eo tradita, præſentibus ſimilia, ad rerum, de quibus agitur, rationem, & ad artis medicæ præcepta, attentio potuerat debueratque ſuggerere. Sed horum quidem in Var. Lect. *Mackianis* vel umbram non videas. Puteſne itaque, a novo Editore Latinam interpretationem ubique ita reformatam, ut nihil deſiderari poſſit, cum Græca tot numero locis modisque laborent? Id fieri

non

non poſſe, patet ex modo dictis, &, factum non fuiſſe, jam noſtrum eſt demonſtrare. Et poteramus quidem huic operæ exempla relictæ a Noſtro pravæ Latinæ interpretationis adducendi parcere, quandoquidem, quæ fieri non poſſunt, certum eſt, ea facta non fuiſſe, & præterea jam in ſuperioribus attulimus hujus generis exempla quædam. At in illis quidem poterant interpretes Græcorum corruptelam cauſari. Juvat ergo unum alterumque adhuc apponere, in quod aliud agentes incidimus, e quo conſtet, Cl. Editorem etiam ibi, ubi Græca ſana erant, Latina non caſtigaſſe. Quo pertinet illud *pag. 130 lin. 15*: ὁκόσα δὲ τῶν νοσημάτων ἢ τρωμάτων μὴ ἐς θάνατον φέρει, ἀλλὰ καίρια ἐςὶ. Vertitur: *Quicunque vero morbi, aut vulnera, non ad mortem ferunt, ſed ſunt periculoſa.* Vox καίρια id, hic certe, non notat, ſed potius morbos, qui per aliquod *tempus* trahunt, & interim ſui oppugnandi & profligandi faciunt καιρὸν, *tempus & opportunitatem.* Quaſi dicas *temporarii.* Neque recte *pag. 133* init. (aut, ex computo Latinæ interpretationis, *pag. 185 lin. 45*,): *Fiunt autem & ſuperiore ventre purulenti ex pleuritide, cum vehemens fuerit, neque diebus judicatoriis σαπῇ, computruerit,* nempe materies pleuritica. Recurrit ſæpius hæc phraſis, ubi ſermo eſt de exitu pleuritidis, aut peripneumoniæ, &, quoties recurrit, ubique vertitur σαπῆναι per *computreſcere.* Quis ita reddiderit, *Cornarius*, an *Foëſius*, non dixerimus; neutrius enim interpretationem ad manus habemus. Quiſquis tamen fuerit, non apte reddidit, & debuerat ab Editore noſtro reformari, atque ejus in locum *cocta fuerit* ſubſtitui. Σήπειν eſt emollire, incidere, mobile & fluidum facere, maturare, concoquere, & demum, qui horum omnium ultimus gradus eſt, putrefacere. Agmen claudat locus ideo dignior vindiciis & vera expoſitione, quod in eo exponendo vel ipſe *Galenus*, Græcus homo, non tam inſcitia, quam incogitantia, falſus fuit, alioſque ſecum in errorem pertraxit. Exſtat ille *pag. 139 verſu 12*, ὁκόταν χολὴ κινηθεῖσα εἰς τὰς φλέβας καὶ τὸ αἷμα διακινήσῃ καὶ διάρρησε τὸ αἷμα ἐκ τῆς εἰωθυίας συςάσιός τε καὶ κινήσιος. Ea verba ſic Latine reddita conſpiciuntur: *Cum bilis commota venas & ſanguinem ſubierit, ex conſueta*

compa-

compage & motione ſanguinem dimovet, & ſero diluit. Nolumus per ſingula ire, &, abnormis hujus interpretationis quanta ſint incommoda, & quam cum ſtructura verborum, cum theoria medica, cum ipſis Grammaticæ Græcæ elementis, pugnet, demonſtrare. Indicabimus tantum erroris originem. Crediderunt interpretes, ab *ἔῤῥος ſerum* potuiſſe formari, & olim in uſu fuiſſe formatum verbum *διεῤῥεῖν*, quod ſignificarit *ſero diluere.* Quod ſi fuerit, credibile quoque fiat, olim fuiſſe verbum e. c. *κηπέω*, quod ſignificarit *aliquem in hortum ducere.* Unde tamen tandem nata fuit iſthæc opinio? Ex *Galeno*, ſi credimus Editori. Paucis enim poſt locum modo allegatum habetur alter, in quo *διερήσιος* legitur, ad quam vocem Cl. *Mackius* ſic notat: *Galenus in Exegeſi videtur διεῤῥώσιος legiſſe, intelligens ſanguinis in ſeri mutationem.* Alter iſte *Hippocratis* locus ſic habet: Homo phreniticus penes ſe non eſt, *ὑπό τε τῦ πλήθεος τῦ πυρετῦ, καὶ τῦ αἵματος τῆς διερήσιος καὶ κινήσιος γενομένης ἐ τῆς ἐιωθύιης, propter febris magnitudinem,* (ita Latina vulgata) *& ſanguinis ſeroſi inſuetam generationem & agitationem.* Dubio vacat, hæc ab *Hippocratis* mente & ipſa ſana ratione aliena eſſe. Quis enim unquam vel fando audivit, a bile ſanguinem ſeroſum fieri, & ſeroſum aquoſum ſanguinem vehementem ardorem concipere, & phrenitidem excitare? *Διερεῖν* eſt idem, quod *διορμᾶν*, & *ἀνορμᾶν* ſuſcitare & incitare unum adverſum alterum. Notum *ὄρω, ὀρέω, ὄρνυμι.* Nota *ὐρανὸς* ab altitudine, item *ὄρος*, item *ὔριος ἄνεμος* ab impetu & incitatione. Vertendus itaque fuerat locus prior *Hippocratis* in hunc modum: *Quando itaque mota bilis in venas & ſanguinem intraverit, emovet & diſcitat ſanguinem e conſueta ſua craſi, & ipſum excalefacit.* Eſt autem *diſcitare* quietam & deſidem antea materiam admotis ſtimulis erigere, & efficere, ut ejus particulæ, modo cohærentes, jam diſſiliant in motum inteſtinum, & in mutuos conflictus ruant, ut in Chymicis effervеſcentiis alcali acidum *διόρνυσι*, diſcitat, effervеſcere facit. Alter locus *Hippocratis* pari modo convertendus: *Homo phreneticus penes ſe non eſt ob vehementiam febris, & ob ſanguinis recentem inſuetam diſcitationem & commotionem,*

Officio

Officio noſtro functi jam ſumus. Quod res erat, de præſente Opere cenſuimus, cenſuræque noſtræ fidem fecimus. Jam nihil ſupereſt, niſi ut tibi, Medicinæ pater & fons, non quidem tymbum ſtruamus, aut flores annuos & vina ſpargamus, ſed optemus, modo vota quid & deſideria efficiant, lectores in poſterum magis aſſiduos & frequentes, & paulo poſt editorem te dignum, hoc eſt, talem, qui ſe non minus in Critica, in Medicina, quam oſtendat verſatum.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΚΥΡΟΥ ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ ΒΙΒΛΙΑ ΕΠΤΑ.
XENOPHONTIS DE CYRI EXPEDITIONE LIBRI VII. Græca recognovit, cum Codicibus MStis, & omnibus fere libris editis, contulit, plurimis in locis emendavit, Verſionem Latinam reformavit, Obſervationibus ſuis, Tabula geographica, & Indice geographico, auxit & illuſtravit, Notas H. STEPHANI, LEUNCLAVII, Æ. PORTI, & MURETI, recenſitas & caſtigatas, & Variantium Lectionum delectum, adjunxit, THOMAS HUTCHINSON. Editio ſecunda.

Oxonii, e Typographeo Clarendoniano, impenſis Jac. Fletcher, bibliopolæ, 1745. 8 maj.

Alph. 3 plag. 7, cum Tabula geographica, in ære expreſſa.

Altera hæc eſt editio, ſed forma minore adornata, ejusdem libri, cujus majorem, formæ quadruplicatæ, editionem in his *Novis Actis Menſe Auguſto A. 1736* jam laudavimus. Fatetur quidem Editor in Præfatione, minorem hanc majori cedere, ſive curam typothetarum & correctorum ſpectes, ſive ornatum exteriorem, ſive ſuperioris editionis acceſſiones quasdam, hic omiſſas, ad quas tamen haud raro notæ remittunt; ut eſt Prologus de autore hujus hiſtoriæ, & de toto, quod Græci confecerunt, itinere, item indices ponderum atque menſurarum, nec non rerum memorabilium; compenſabit tamen hos defectus libri minor & tractabilior moles, faciliorque propter modicum pretium parabilitas. Hæc fere eſſent omnia, quæ notanda haberemus, ſi nobis ſatis eſſet ad ſuperius citato loco dicta relegare, ubi de hujus editionis indole, de cura, quæ in textu edendo, Latinaque verſione adornanda,

nanda, fuit adhibita, item de notis *Hutchinſoni*, & ceteris, expoſitum fuit. Cum tamen in illis prætermiſſa quædam animadvertamus, & *Xenophon* præterea ſcriptor ſit, quem utcunque diligenter tractes, vix tamen ejus dignitati ſatisfacias, qui ſeculorum omnium merito ſuo admiratio fuit atque deliciæ; noluimus occaſionem, illa omiſſa repetendi, & bene de Muſa Attica merendi, prætermittere.

Primo itaque loco afferemus ſpecimina quædam emendationum, quas *Hutchinſonus*, abſque Codicum ſuaſu, præter vulgatarum morem, ex conjectura, aut ſua, aut aliorum, *Mureti* præcipue, cui *Xenophon* multum debet, item *Stephani* & *Leunclavii*, in textum invexit. Talis eſt ille locus *pag. 18 lin. 3*: Κῦρος ἀνέβη ἐπὶ τὰ ὄρη καὶ εἷλε τὰς σκηνάς. *Mureto* εἷλε debetur, pro eo, quod vulgo legebatur, εἶδε. Neque negari poteſt, illud hoc multo præſtantius eſſe. Dubitamus tamen, nos quidem, an non potius εἶχε profectum a *Xenophonte* fuerit; quandoquidem ἑλεῖν in tentoria, ſubita aggreſſione occupata, fere non quadret, verbum, quod de urbibus ferro & vi Martis expugnatis ferme tantum adhibetur. *Pag. 31 ult.* elegante ſua conjectura repoſuit Anglus noſter Σάρον loco vulgati Φάρον, Codice Etonienſi viam monſtrante, in quo Ψάρον exſtat. Etiam illud rectum & certum eſt ζώνην, pro vulgato ζωὴν, editum *pag. 38 ult.* in iſtis: αἱ δὲ κῶμαι Παρυσάτιδος ἦσαν εἰς ζώνην δεδομέναι. Sed, in illo loco præcipitem Noſtrum fuiſſe, & a vero aberraſſe, putamus, qui *pag. 55 ult.* habetur, σὺν τοῖς παροῦσι τῶν Περσῶν. Ita Noſter edidit ex ingenio ſuo. Vulgo legebatur pro ultima voce πλειστῶν. Ejus loco fuiſſe in MSto Etonienſi πιστιῶν, ait Noſter in nota; quam *nihili vocem* appellat. Recte id quidem; & nihilo minus tamen clariſſima perhibet expreſſiſſimaque veræ lectionis veſtigia. Quis enim paulo attentior non deprehendat πιστῶν in voce nihili? Quam veram lectionem eſſe, confirmat locus *Xenophontis pag. 72*, huic ſimillimus, ubi τῶν ἀμφὶ Κῦρον πιστῶν legitur. *Pag. 101 lin. 3* edidit ἔνθεν ὥρμηντο, ex conjectura, & pariter *pag. 106 lin. 1* ἐπὶ ξυστοῦ, quod pulchrum eſt, pro vulgato ἐπὶ ξύλου. *Pag. 110* exhibet quidem Προκλῆς ex omnium

omnium conſenſu; ſuadet tamen in nota Πατροκλῆς. *Pag. 118 not. 1* *συμβυλευομένοις*, pro *συμβυλευόμενος* vulgari, recte conjicit, & debuerat in textum recipere. *Pag. 131 lin. 3* recte dat *ἐπὶ σχεδίαις* pro vulgato *ἐπὶ σχεδίας*. *Pag. 156 pen.* *ἀπιςοίητε* pro vulgato *ἀποςαίητε*. *Pag. 216 lin. 3* retinuit quidem veterem lectionem *ὕποπτος*, in nota vero laudat lectionem ſui Codicis, *ὑπόκεμπτος*, quæ procul dubio debuerat præferri. Sed & idem alibi paſſus fuit, quod paulo poſt aliquot exemplis demonſtratum dabimus, ut nempe lectionem meliorem, quam Codex ipſi ſuus, non is optimus quidem, neque tamen peſſimus, ſuggerebat, vulgatæ deteriori poſthaberet. *Pag. 226 ult.* locum capitalem, & procul dubio difficillimum totius hujus libri, exhibet ſecundum formulam, ab *Amaſæo*, *Stephano*, & *Mureto*, præſcriptam. Scilicet in omnibus vulgatis libris, etiam in MSto Etonienſi, exſtat *ἥλιος δὲ νεφέλην προκαλύψας ἠφάνισε*. Noſter autem edidit *ἥλιον δὲ νεφέλη προκαλύψασα ἠφάνισε*. Noſtro quidem judicio tutius fuerat, locum ancipitem, ſi quis alius, & multis expoſitum diſceptationibus, non attrectare, præſertim cum nova lectio dubiis omnibus non ſatisfaciat, & videri poſſit notas *Xenophonteæ* manus obſcurare. Fingamus enim, veram eſſe hanc novam lectionem; hiat tamen ſenſus, & ſaltem *τὰ τείχη* deeſt in iſtis: *μέχρις οἱ ἄνθρωποι (τὰ τείχη) ἐξέλιπον*, *donec oppidani* (præ terrore mœnia) *deſererent*, quod quo clarius pateat, totum locum ex Noſtri Latina verſione adſcribemus. Loquitur *Xenophon* de urbe Mediæ ad Tigridem, quæ, ſi fidem libri noſtrates merentur, Λάρισσα quondam dicta fuit, nobis tamen dubium non eſt, veram ſcriptionem & vetus urbis nomen fuiſſe Τάγριτ7α, vel Τάκριτ7α تكريت. *Hanc*, ait, *Perſarum rex — nullo modo capere poterat*, *ſolem vero nubes protegendo tenebris* eam *obſcuravit*, *donec homines* animis *defeciſſent*; *atque ita capta fuit*. Peregrina ſcabrities! in qua merito ſolidam compagem ratiociniorum, & *Xenophonteam* narrationis ſimplicitatem & integritatem, deſideramus, quæ tantam ſeculorum omnium admirationem & amorem & plauſus meruit. Quis in Philoſopho & imperatore colorem

rem

rem anilium fabellarum non miretur, qui nusquam in eo alibi conſpicitur? Solis per oppoſitam nubem obſcuratio, quæ quotidie, & quotidie ſæpius, contingit, & nunquam non inde ab initio rerum contigit, & multum diverſa eſt ab eclipſi (quam ſi denotaſſet *Xenophon*, dixiſſet procul dubio σελήνη, non νεφέλη,); eamne credas tantum valuiſſe, ut integra magna civitas, numeroſis incolis referta, quam potentiſſimus rex diuturna obſidione frangere non valuit, ſubito terrore ſimul animo defecerit, & in tantum inciderit lethargum omnis, ut interea rex muros centum pedes altos ſuperare poſſet? Rabbinorum Gemaram hæc commenta decent, non *Xenophontem.* Quid ergo? Putamus, hominem ſapientem & militem neque hic perſonam ſuam depoſuiſſe, ſed aliter ſcripſiſſe. Proferemus conjecturam, ſed ſuſpenſa timidaque manu, tantiſper æſtimandam intelligentibus, donec aliunde certior lux affulgeat. Conjicimus itaque, in ἥλιος latere nomen Perſicum; quod quale fuerit, cum aſſequi non valeamus, interea ſupponemus ἡγεμὼν δὲ τὸν ποταμὸν ἐς τὰ ἕλη παρατρέψας ἠφάνισε. *Rex nullo modo poterat Tacritam capere. Ducum ejus aliquis autem, fluvium* (Tigridem) *in lacuſtria derivando, ſubtrahebat eum urbi* (faciebat enim dilabi), *donec ex eo* (ſiti, aquæ penuria,) *oppidani perirent* (deſinerent eſſe). *Et ſic capta fuit urbs.* Conf. *Herodot. I, 191.*

Sed nimii fuimus in uno loco. Procedamus ergo. *Pag. 250 lin. 5* expreſſit καὶ ἐςὶν ὃ τὸ ςενὸν, e *Stephani* conjectura. In aliis libris legitur καὶ ἐςὶν ὅτω ςενὸν. Ultima voce deleta, vera hæc lectio eſt. *Euphratis fontes*, ait, *dicebantur haud procul a Tigride abeſſe. Et ita ſe profecto res habet.* Unde ſit illud ὅτω *pag. 339 lin. 7*, in illis: ἔτε γὰρ ἀγορὰ ἐςὶν ἱκανὴ, ἔτε ὅτω ὠνησόμεθα, πάρεςιν &c. non novimus. In *Leunclaviana*, qua ſola utimur, illud ὅτω non eſt. Num in ceteris exſtet, nos quidem latet. Si ſit, locum non attrectabimus; ſi non ſit, & Anglus ὅτω ex ingenio inſerſerit, ſenſum quidem recte vidit, at *Xenophontis* tamen aſſecutus manum non fuit. Nos ad *Leunclavianam* noſtram aliquando notavimus ἔτε ὧν ὠνησόμεθα, *neque, niſi paucis noſtrum, adeſt id numorum, quo neceſſaria compararentur.*

Pro-

Promittebamus paulo ante pauca quædam exempla lectionum, quas noſter Anglus è Codice ſuo debuerat in textum recipere. Plura reperiri, nulli dubitamus, nos autem, ad hoc argumentum non ſatis attenti, cum librum volutaremus, non enotavimus, niſi hæc pauca fere. *Pag. 122 lin. 3* edidit cum ceteris πρὸ τȣ͂ ποταμȣ͂, at rectius eſt in Codice πρὸς τ. π. *Pag. 320 lin. 1* rectius præſtat Codex Eton. MSt. ᾦχεν pro ᾤχοντο. *Pag. 413 lin. 5* debuerat ex autoritate Codicis πρῶτον ejici.

Finis non foret, ſi, quæ ex eodem Codice in textu correcta fuerunt, longo ſermone percenſere vellemus; aut notas, de quibus jam in ſuperioribus dicta fuit ſententia, excutere. Id extra controverſiam poſitum eſt, præclara multa Editorem attuliſſe. Verum, ut ſumus homines, neque uni licet omnia deprehendere, reliquit in illo quidem poſt venturis emendandorum ſat dives ſpicilegium; in his autem ſparſit non rectiſſime diſputata; ne trivialia, quibus notæ ſcatent, commemoremus. Ad poſterius genus pertinet id, quod *pag. 101 not. 3* ellipſin putat in illis locum habere: ἡ δὲ Μιλησία ληφθεῖσα ὑπὸ τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἐκφεύγει γυμνὴ πρὸς τῶν Ἑλλήνων. Putans nempe, ultima idem valere, atque πρὸς τὸν ςαθμὸν τῶν ἑλλήνων, locum ſic reddit Latine: *At Mileſia ab iis, qui circa regem erant capta, nuda effugit ad Græcos.* Nihil tamen deeſt, ſed verti debuerat: *effugit* (barbaros) *beneficio Græcorum. Pag. 118. not. 2* diſputat de voce ὑποςρέψας, quam *reverſus* vertit. Atqui debuerat *invertens*; quod narrationis ſeries clare docet: *Phalinus reſpondebat, ſecus quam alter exſpectabat, diſſimulans, ſe ejus mentem intelligere, & directe contrarium dicebat. Pag. 128 not. 3* incruſtat propudioſam illam librorum omnium lectionem ὄνον in iſtis: ὅτι προαγορεύȣσιν οἱ ἄρχοντες ὃς ἂν τὸν ἀφιέντα τὸν ὄνον ἐς τὰ ὅπλα καταμηνύσῃ, ὅτι λήψεται μισθὸν τάλαντον ἀργυρίȣ. Hiſtoria hæc eſt. Inciderat noctu in Græcorum caſtra tumultus, vel terror, quem appellant, Panicus. Eum ſedaturi duces, promulgabant præconis voce, talentum argenteum illi ſe præmium ſpondere, qui indicaverit τὸν ἀφιέντα τὸν ὄνον, *eum,* (ſic vertit Anglus,) *qui aſinum in caſtra emiſerat.* Fide-

liter quidem reddit corrupta verba, ſed absque ſenſu. Etiamſi ſervaſſet pravam lectionem in Græcis, at ſaltem in verſione debuerat *Leunclavii* aptam conjecturam φόβον, *terrorem, metum*, exhibere. Tolerabilius certe φόβον erat, quam illud inſanum & ridiculum de aſino commentum. Nihil certius eſt, quam legi debere, τὸν ἀφιέντα τὸν κλόνον &c. *qui æſtus* (aut *concuſſionis*) *autorem indicaverit.* Κλόνος idem eſt, quod σάλος, *convulſio, jactatio, æſtus, tumultus, fluctuatio, trepidatio, concuſſio.* Ita quoque debuerat *pag. 132 ult.* potius *Muretus* & *Stephanus* audiri, quam *Leunclavius*, quorum hic ἔπαυσεν, iſti ἔπαισεν, ſuadebant. Poſterius enim non *Aldinæ* tantum & MSti Eton. ἔπεσεν, ſed etiam ſenſus, & præcedentia βακτηρίαν ἔχων, demonſtrant & exigunt. Quorſum enim baculum geſſiſſe memoretur *Clearchus*, niſi eo uſus fuerit? Sed apponendus eſt totus locus, qui depravatus ad hunc usque diem jacet. Scilicet narrat *Xenophon*, Græcos, iter facientes, in foſſas aqua plenas incidiſſe, quæ non potuerint absque pontibus ſuperari. Pontes itaque ſtructos fuiſſe e palmis, quæ ibi locorum aut ſua ſponte jam prolapſæ jacebant, aut a ſecuribus Græcorum ſternebantur. *Hoc in opere*, ait *Xenophon, erat videre, quam egregius dux eſſet Clearchus. Obambulans enim cum haſta in ſiniſtra, & cum baculo in dextra manu,* εἴ τις αὐτῷ δοκοίη τῶν πρὸς τοῦτο τεταγμένων βλακεύειν, ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαυσεν ἄν, καὶ ἅμα αὐτὸς προσελάμβανεν εἰς τὸν πηλὸν ἐμβαίνων. *Si quis ei videretur* (eſt hæc Angli verſio) *eorum, quibus hoc negotium datum erat* (nempe pontes foſſis inſternendi), *ſegniter ſe gerere*, mox *idoneum eligens*, illum alterum *amovit, & ipſe ſimul in cœnum deſcendens*, cum aliis *manum operi admovebat, adeo ut omnibus pudori eſſet, ſi non* & ipſi *ſtrenuam navarent operam.* Fraudi fuit docto Viro, & tenebras, quaſi loliginem, per totum illum tractum diffudit, quod ἐκλεγόμενος, *eligens*, ad *Clearchum* redire viſum fuit. Atqui, ſi teneatur, ἐκλεγόμενος ad proxime præcedens τις pertinere, protinus apparet & vitii latebra, nempe τὸν, & medela. Scilicet legendum pro eo eſſe τόπον. Ait itaque *Xenophon*, εἴτις αὐτῷ do-

δοκοίη — βλακεύειν, ἐκλεγόμενος τόπον ἐπιτήδειον, ἔπαιεν αὐτὸν: *ſi quis illi videbatur in ſuo ſibi demandato pontes ſternendi opere mollius agere, quam virum & militem decebat, ita ut locum commodum ſibi deligeret, ubi poſſet in ſicco ſtare; eum caſtigabat Clearchus baculo, & apprebenſum manu cogebat ſecum in medium cœnum inſilire, & ſocias manus operi admovere.* Opponuntur ἐκλεγόμενος τόπον ἐπιτήδειον, & ἐς πηλὸν ἐμβαίνειν, *de ſtatione commoda & ſicca ſibi proſpiciens*, & *in cœnum irrumpens.*

Apparet ex hoc ſpecimine, ſcriptorem elegantiſſimum & ſapientiſſimum, utcunque diligenter a doctis viris tractatum & expolitum, nondum tamen ſic perpolitum eſſe, ut nusquam ineptiat. Sævam profecto ſubierunt ſortem Græci præcipue ſcriptores, pro quorum ſapientiſſime cogitatis librariorum ſtupor nobis meras nugas, & inhumanitatem, obtruſit. Agedum, eluamus & nos pro virili noſtra, quas obſervavimus & poterimus, maculas ab hoc puriſſimo ſcriptore. Utamur occaſione, cum paucæ chartæ jactura. Non deſperamus, Græcæ linguæ & *Xenophontis* ſtudioſis gratas & utiles fore noſtras obſervationes. Sunt autem, præter loca ſuperius agitata & tentata, hæc, in quibus indicandis ſequemur paginas editionis, quam coram habemus, & hactenus ſermone tractavimus. *Pag.* itaque *5 lin. ult.* ὃς ἐτύγχ; *pag. 20 lin. 3* τῇ εἰς τὸ π; *pag. 35 lin. 5* ὡς μὲν τοῖς πλείσοις; *pag. 57 lin. 5* πολεμήτας, καταλλαγεὶς δὲ. ἔτος &c. *Pag. 60 lin. 1* ἐδὲν ἀδικέμενος; *pag. 61 ult.* τὸ κατὰ τῦτον, τὲς εἶναι ἐθέλοντας φίλες; *pag. 62 lin. 3* ἀνιςάντες; *pag. ult.* ἐπεδείκνυε, ὃ καὶ ἔργῳ; *pag. 95 penult.* κατασκευάζοντά τι ἦς; *pag. 99 penult.* φίλε; *pag. 103 lin. 8* προσιόντος δεξόμενοι; *pag. 104 lin 2* ποταμὸν καὶ τὲς; *pag. 105 lin 4* ἐπὶ πλείονος; *pag. 114 lin. 7* ἱερὰ ἐξηργμένα; *pag. 134 lin. 1* αὐλαὶ δὲ; *pag. 143 lin. 7* ἡττωμένων δὲ ἡμῶν ἐδένα; *pag. 191 lin. 2* φανεροὶ ἦτε; *pag. 205 ult.* λαμβάνειν delendum (αὐτὸ redit ad ἀργύριον); *pag. 206 lin. 1* κρατῶμεν, λαμβάνειν μέτρῳ; *pag. 209 lin. 7* ἡμῖν ςρατηγῇ; *pag. 211 lin. 4* ὑμῖν; *pag. 218 lin. 1* κατεκέκλειντο; *pag. 222 lin. 2* τῷ μὲν ἔχοντι αὐτῶν; *pag. 229 lin. 6* καὶ αἱ ἄλλαι; *pag. 233 ult.* καὶ κατέβαινον, deleto puncto

poſt

poſt ἀναβαῖεν; *pag* 246 *lin.* 5 delenda ſunt verba, quæ e ſcholiis irrepſerunt, ἢ πρὸς Βαβυλῶνα; *pag.* 251 *lin.* 5 οὐδεὶς, pro ὄδεὶς, reponendum; *pag.* 271 *lin.* 7 ἐλευθέριοι; *pag.* 321 *lin.* 2 ἑαυτῷ & ἀπάγοι; *pag.* 333, 3, ἦλθον, τὸ πλέον βόες; *pag.* 340 *lin.* 7 κἂν βοηθῆται; *pag.* 375 *lin.* 5 deleatur τεθραμμένους; eſt Scholion vocis σιτευτοὺς; & *ult.* ἀνθεμοῦς; *pag.* 376 *ult.* ἅπερ ἂν ἡμεῖς μετ' ἄλλων ὄντες; *pag.* 388 *lin.* 8 ἢ τὰ κέρατα τοῦ ὄρους καθ' ἑκάτερα τῆς ὁδοῦ ἐστὶν ὑψηλά; *pag.* 91 *lin.* 1 ἱκανὰ ἀριθμῷ ὡς ἕνα; *pag.* 393 *lin.* 8 πλεῖστα τάδε ὑμῖν; *pag.* 397 *lin.* 9 ὑπισχνουμένους ὑμῖν κατ' ἄνδρα; *pag.* 417 *lin.* 4 ſic reſtituendus luxatus locus: οἷς σώζεσθαι μὲν οὐκ ἤρκει δι' ὑμᾶς, αὐτοὶ δὲ λιπόντες τὰς τάξεις προθέοντες ἁρπάζειν ἤθελον. καὶ ὑμῶν πλεονεκτεῖν ἐν τάξει ἰόντων καὶ μαχομένων ὅπου δέοι; *pag.* 420 *lin.* 9 εὑρήσεσθε; *pag.* 421 *lin.* 6 ἐπεκούφισα; *pag.* 454 *lin.* 2 ἀλλὰ οἱ μὲν Κύρου ἀρετὴν ἀκούοντες. οἱ δὲ καὶ ἄνδρας λέγοντες προσανηλωκότας χρήματα, οἱ δὲ καὶ τούτων &c. *alii crepantes alios, qui, ſi potuiſſent nanciſci occaſionem ſub tam illuſtri imperatore, Cyro, militiæ tyrocinia ponendi, multo ære illam redemiſſent* (non tantum non flagitaſſent pecuniam, ſed dediſſent ipſi potius,); *pag.* 479 *lin.* 7 poſt ἥξει eſt lacuna; *pag.* 482 *lin.* 11 ὥσπερ ᾔδεις. *ut noſti*; *pag.* 532 *lin.* 3 καταβήσονται ἑκόντες; *pag.* 564 δύνωνται ἀνύσεσθαι.

OBSERVATIONS ON THE CONVERSATION AND Apoſtelſhip of St. Paul &c.

hoc eſt,

OBSERVATIONES AD CONVERSATIOnem & Apoſtolicum officium S. Pauli, in Epiſtola ad GILBERTUM WESTIUM, Equitem.

Londini, apud R. Dodsley & M. Cooper, 1747, 8. Plag. 8.

Mole quidem exiguus eſt, quem hic indicavimus, libellus, at rebus ipſis, & argumento, gravis ille non immerito cenſetur. A. 1747 *Gilb. Weſtius*, Eques Anglus, *Obſervationes ad Hiſtoriam & evidentiam reſurrectionis Jeſu Chriſti* publicæ expoſuit luci. Hic vero, ſicut antehac Dei-

Digitized by Google

Deiſtarum, quorum factio in Magna Britannia conglobata reperitur, favit opinionibus, ita eo ipſo publice declaravit libro, ſe ſententiam ſuam mutaſſe, & Chriſtianæ religionis hodie cauſam agere. Iſtas Obſervationes perlegerat *Georgius Littletonus*, Eques itidem Britannicus, Summique Senatus illuſtre membrum. Cumque & hic ipſe parum ante hoc tempus religioni amicus eſſet; eum ex hac lectione fructum abſtulit, ut de ea rectius ſentiret. Idem poſtea commodam arripuit occaſionem, cum illuſtri *Weſtio* de variis capitibus, quibus Chriſtiana diſciplina abſolvitur, maximeque de converſione S. *Pauli*, colloquendi. Tum vero conſilium, literis illum ſermonem mandandi, cepit. Unde hæc ipſa enata eſt Epiſtola, quæ cum cura perlegi meretur. Elucet in ea magnum acumen, & eximia judicandi facultas, qua valet *Littletonus*, Vir egregius. Nos quidem ea hic fungemur opera, ut primum ordinem, quo exarata eſt Epiſtola, deinde omnem concludendi virtutem, qua res ipſa proponitur, declaremus. Meta, quam Ill. Autor mente deſignaverat, hæc erat: in eo multus erat, ut ex accuratiori converſionis & officii Apoſtolici *Paulini* contemplatione divinitatem Chriſtianæ muniret religionis. Huic uni conſiderationi tantam attribuit vim, ut, hac breviori via eos inprimis ad frugem revocari poſſe, putet, qui longiorem demonſtrationum ſeriem acute perſpicere minime valeant. Hoc igitur fine omnes deſcribit Novi Fœderis locos, in quibus de vita S. *Pauli* exponitur. *Acta Lucas* conſcripſit, comes *Pauli* ac ſocius. *Cap. XXVI* Pag. 2. habetur oratio, quam ipſe *Paulus* coram Rege *Agrippa*, & coram Procuratore Romano, *Feſto*, de ſe ipſo recitavit. Idem *Cap. XXII, 10 - 16*, ad Judæos loquens inducitur. Add. *Cap. IX*, & loci Epiſtolarum lectiſſimi, in quibus meritiſſimus ille Servatoris orator de ſe ipſe ſcipſo, *Gal. I, 11 - 16, Phil. III, 4 - 8, 1 Tim. I, 12, 13, 2 Corinth. I, 1, Col. I, 1, 1 Tim. I, 1, Galat. I, 1, & 1 Corinth. XV, 8.* His locis Ill. *Littletonus* præfultis, hac utitur argumentatione: is, qui tam 9. ſingulares res de ſe ipſe teſtatur, & de quo eædem res tam probata ſolidaque ratione relatæ leguntur, non poteſt non

 aut

aut *planus* fuiſſe, qui ſciens falſa dixerit, animo fallendi; aut *Enthuſiaſta*, quem vis igneæ imaginationis ipſum circumvenerit; aut *ab aliis ipſe deceptus;* quo quidem ſumto, omnia, quæ præ ſe tulit, vi hujus circumventionis tribuenda forent: aut, quæ de cauſa converſionis ſuæ tradit, quæque ſecuta ſunt eam, re ipſa geſta ſunt omnia; & Chriſtiana idcirco doctrina divina revelatio erit.

Negat primum Ill. *Littletonus*, S. *Paulum planum* fuiſſe,
cum nulla earum rerum in ipſum cadat ſuſpicio, quæ homines,
ut fallant alios, plerumque movere & impellere ſolent.
Qui fraudibus ſervit, is aut ſpe quadam ducitur, terrena
commoda, autoritatem, ac poteſtatem, per illas conſequendi,
Pag. 10. aut ad concitationes animi ſui ſedandas iisdem utitur. Nihil
30. horum in *Paulo* reperias Apoſtolo. Quid? quod ne ſancta
quidem fraus ipſum induxit ad Chriſti dogma hominibus
33. enuntiandum. Nulla proferri poterit cauſa, rationi probata,
37. quæ virum impulerit divinum, ut Chriſti ſacra reciperet, ſi, ex
animo his ipſum haud faviſſe, fingas. Ex quo ſequitur, ut
vere, non ficte, veritatem cœleſtis diſciplinæ agnoverit, ac
34. præ ſe tulerit. Fac autem, fraudis ſtudioſum fuiſſe *Paulum;*
at via tamen, quam ingreſſus eſt, ejusmodi non fuit, ut fraus iſta feliciter ei ſuccedere potuiſſet. Non novam ille doctrinam excogitaverat, ſed Chriſti adoptaverat diſciplinam, quam ipſe quidem excogitare haud poterat. A quonam vero hanc didicerat? Non a Chriſto; cum hoc etenim ante, quam mortem oppetierat, minime verſatus erat. Nec vero diſcipulis ejus familiariter fuit uſus. Verum, cum ipſe poſtea in Apoſtolicum cooptaretur collegium, perfectior Chriſtianæ religionis cognitio in hanc ejus cadebat perſonam. Immo & divina virtus miracula edendi in eo ineſſe debebat. Sic vero ceteri Apoſtoli in ejus præſtigiarum communionem veniſſe credendi ſunt. Ita profecto hi etiam fuerunt impoſtores. Quis autem credat, hos ſua arcana hoſti ſuo capitali patefacturos fuiſſe? Ergo nihil ab Apoſtolis accepit *Paulus*, niſi quod publica ipſi fama enuntiaverat. Ex quo perſpicuum eſt, vera eum dixiſſe, cum, Damaſcum veniens, *Judæis* diceret, ſe lumen

men vidiſſe de cœlo, & Chriſtum Jeſum audiviſſe. *Judæi*, qui illic erant, rem geſtam haud dubiè cum cura exploraverant, nihilque aliud experiri poterant. Itaque *Paulus Evan-* Pag. 43.
gelium ſuum non ab hominibus didicerat, ſed per revelationem Jeſu Chriſti, Gal. I, 12. Adſunt huic cauſæ ſingulares illæ partes, quas ut *gentium Apoſtolus* obiit. Obſtabant ei rectores civitatum, & ſacerdotes gentium, qui ex fraudibus toti compoſiti erant. Doctrina *Pauli* anteceptis eorum opinionibus, & animi commotionibus, repugnabat, qui plura ſuſpiciebant numina. Adverſarios denique ſe ipſi præbebant Philoſophi *Græcorum* pariter, & *Romanorum*, in tot familias ſciſſi ac diviſi, qui ſuam ſoli ſapientiam ſufficere, & omnes perfectionis numeros habere, arbitrabantur. Nusquam igitur *Paulus* patronos & amicos invenit, quorum auxilio adjutus ſit. Contra vero nemo fuit, quin conatibus ejus maſcule ſeſe oppoſuerit. Quare majori, quam humana, potentia & ſapientia adjuto, res ei feliciter proſpereque ceſſit. Atque hoc illud eſt, quod, ipſo autore, ſcimus ex *1 Corinth. II, 4, 1 Theſſ. I, 5,* ubi *divina δυνάμει*, quæ comitabatur Evangelium, omnem auſpica- 56.
tum officii ſui ſucceſſum attribuit. Verum falſa fictaque 57.
Pauli fuiſſe miracula videri poſſint. Qui hoc ſumit, is fingit aliquid erroris opinione. Nam, ſi qui fraude capiendi ſunt, eorum aut præparandi ac ſubornandi ſunt animi, aut neceſſe eſt, ut planus idoneos habeat ſocios, qui aſtutiam ejus juvent ac fulciant. Utrumque hoc ſubſidium *Paulo* defuit Apoſtolo. Ex his omnibus concludendum, S. *Paulum* nihil minus fuiſſe, quam impoſtorem.

Negat deinde Ill. *Littletonus*, hunc Domini noſtri legatum 69.
Enthuſiaſtam fuiſſe, qui ſe ipſe fefellerit. Ducunt *Enthuſiaſmum* ex *quinque* fontibus: 1) ex ignea animi indole; 2) ex atra bile, ſeu melancholia; 3) ex ignorantia; 4) ex credulitate; & denique 5) ex vanitate, ac nimio ſui amore. Habuit quidem *Paulus* vim igneam animi; verum hæc non ſola parit Enthuſiaſmum. Fervens hujus hominis natura cum ſingulari etiam temperatione conjuncta erat. Nec vero atra bilis, nec ignorantia, nec credulitas, in ipſo fuit; quemadmodum tota

ejus hiſtoria docet. Nec denique *Paulus* ſibi, rebusque ſuis,
præter modum favit. Conf. *Eph. III, 8, 1 Corinth. XIII, 1, 2,*
3, 4, XV, 9, 1 Tim. I, 15, 16, 2 Corinth. XI, 5, XII, 12, &c. Cave,
credas, nimiam imaginationis vim *Paulum* in errorem induxiſ-
ſe. Nam Chriſtus ſpectandum ſe præbuit homini, qui odio
ejus flagrabat. Plures quoque aderant luminis cœleſtis ſpe-
Pag. 83. ctatores. Viſum haud erat fictum, ſed omnino verum, &
cauſa ejus nulla potuit alia, quam miraculum, fuiſſe. Argu-
mento nobis ſunt tot miracula, quæ, poſtquam Chriſto no-
men dederat, inter gentes ipſemet re ipſa edidit, quæque nec
92. phantaſiæ, nec fraudationi, tribui poſſunt. Quid? quod non
ipſe ſolum miracula edidit, ſed eandem etiam vim cum diver-
ſis, quas condidit, eccleſiis re quidem vera communicavit. In
his eccleſia fuit *Corinthiaca.* Vid *1 Cor. XII, XIV, XV.* Ne-
mo erit intelligentior, qui, horum donorum miraculoſorum
cauſam phantaſiæ ludificationem fuiſſe, ſciſcat. Negat po-
ſtremo Ill. *Littletonus, Paulum* ab aliis deceptum eſſe, eaque
omnia, quæ de ſe dicit, ab ejusmodi fraude derivari poſſe.
97. Non potuit per naturam fieri, ut Apoſtoli decreverint *Paulum*
ſuo collegio adjungere, & fallacia quidem adhibita, eoque in-
primis tempore, quo adverſus ſe ipſos, & earum magiſtrum
ſuum, ſæviebat. Ponamus autem, eos tam ineptum capere
potuiſſe conſilium; at illud tamen ea ratione, qua converſio
Pauli facta eſt, exequi minime poterant. Poterantne illi me-
ridie lumen accendere, quod ipſo ſole clarius erat? Poterant-
ne illi ex iſto lumine verba formare, quæ *Saulus* audiebat,
ceteri autem ſocii ejus minime audiebant? Poterantne illi
Saulo per tres ipſos dies poſt viſum iſtud oculorum lumine or-
bare? Poterantne efficere, ut ne deciderent ab oculis ejus
tanquam ſquamæ, eidemque unius verbi virtute viſum redde-
re? Nulla fraus tantas res poteſt perficere. Multo autem
minus technis aliorum miracula poſt ſalutarem *Pauli* emen-
dationem facta edi potuerunt, utpote quæ non patiebatur edi,
ſed ipſe edebat, quæque divinæ ſuæ legationis argumentum
teſtabatur. Quæ cum ita ſint; hoc pro conceſſo, nec amplius
controverſo, ſumendum erit, ab aliis haud circumventum eſſe
Pau-

Digitized by Google

Paulum, resque geſtas, quas de ſe ipſe in medium protulit, nec alieno, nec proprio, fallendi ſtudio tribui poſſe. Ex quo effici cogique poteſt, cauſam converſionis ſuæ, quam ipſe narravit, quæque ipſam ſecuta ſunt, re ipſa facta eſſe, *eamque ob cauſam Chriſtianam religionem pro divina patefactione jure ac merito haberi.* Ratio hujus conſecutionis in reliqua harum *obſervationum* parte redditur, eruditeque vincitur, *miracula* & *myſteria* non poſſe a vera religione ſemota eſſe. Cum veritas patefactæ doctrinæ tot rationibus, iisdemque omni exceptione majoribus, munita eſſe reperiatur; ii profecto inconcinni erunt homines, qui propter difficultates nonnullas, quas ſolvere nequeunt, fidem illi præbere dubitant. Deus Opt. Max. cognitionem noſtram *indigentiæ* noſtræ, non vero *ſuperbiæ*; accommodavit. Si quis ideo gaudet, quod nos Deus tot res ſcire voluerit, idcirco autem indignatur, quod non plura, immo omnia, ſciamus; is ſimilis eſt inficeto cuidam homini, qui propterea *ire* renueret, quod *volare* nequeat.

Pag. 98 ſeq.

106.

Eſt hæc Epiſtola theologica erecto & eleganti ac facili dicendi genere compoſita. Obſervationes non ſunt de medio ſumtæ, ſed rariores. Argumentandi ratio eſt accurata & ſolida. Res, quæ illuſtrandi cauſa proferuntur, ex hiſtoria ſacra & profana, eaque cum veteri, tum nova, petitæ, lectorem alliciunt. Ut igitur nullum ſit dubium, quin hæc erudita Commentatio, non a ſanctioris ordinis homine, verum ab illuſtri ſummi in Magna Britannia Senatus Aſſeſſore, profecta, plurimum iis commodi, qui Chriſtianæ religioni parum adhuc amici fuerunt, allatura eſſe videatur. Atque hoc eſt hujusmodi, ut ex animo cupiamus, & optemus.

CHRISTIANI CRUSII. PROF. PUBL. ORD ANTIquit & Hiſt liter. Commentarius de Originibus pecuniæ, a pecore ante nummum ſignatum. Accedit ejusdem Oratio, habita in conventu Academico, cum auſpicaretur munus Profeſſoris.

Petropoli, 1748, 8 maj.
Plag. 11.

Si omnes ii, qui ad antiquitates explicandas animum appellunt, ejusmodi ſemper ſibi eligerent argumentum, de quo nondum ab aliis plene expoſitum eſſet; non dubitamus, quin maximum exinde in bonas literas redundaturum emolumentum eſſet. Noſtra autem ætate vel antiquitatis ſtudium plane negligitur, vel cramben decies coctam apponere ſolent ſcripturientes. Pauciſſimi ſuam ſententiam enarrant, ſed potius pro ſua venditant, quam aliorum ex fontibus hauſerunt. Antiquitates Romanas, e Theſauro *Gronoviano*, vel nonnullis levioris momenti libris, deſumtas, nomine ſuo ornant. Græcorum ritus non adeo freqnenter ſigillatim inveſtigantur. Antiquorum Germanorum, præter unum itemque alterum, cerimonias nemo contemplatur. Laudem ergo meretur Clariſſ. Autor, quod, hanc Commentationem in lucem publicam emittens, argumentum tale ſibi ſumſerit, quod nondum ex inſtituto tractatum a quoquam meminimus.

Inſcriptus eſt hic libellus Senatui Lipſienſi. Diſcimus ex hac Inſcriptione, Lipſiæ Autori noſtro hoſpitium olim contigiſſe, ubi prima rebus ſuis præſidia compararit. Laudat ex merito Bibliothecam Senatus, publicis uſibus patentem, inæſtimabilem veterum lautitiarum gazam, nummorum theſauros ditiſſimos. Hanc ipſe dat cauſam, cur hæc ſtudia colat. Publico ſe officio functum eſſe per octo annos ſcribit. Gratus igitur animus, ſtudiumque, ſibi acquirendi æſtimatores rerum, eum permoverunt, ut hunc librum offerret Senatoribus, quos celebrat. Nominat inprimis *Maſcovium* & *Menckenium*, Senatorio ordini adſcriptos, & ſibi a multis inde annis cognitos. His ipſis *Actis Thuanos, Sigonios, Gorios, Menckenii* ſe ſuaſu laudaſſe, indicat, & illa prima ſcribendi tirocinia in publica luce poſuiſſe. Hos elegit interpretes ſuæ voluntatis. Primo loco legitur Oratio, in titulo indicata, habita Petropoli A. 1746 die 13 Cal. Jan. *de multiplici uſu ſtudiorum humanitatis.* Argumentum non e longinquo petitum eſt, ſed ipſum munus dicendi dedit occaſionem.

Digitized by Google

nem. Exordium petit a voto, cujus nunc compotem factum Pag. 3, 4.
ſe eſſe gaudet. Se ipſum extenuat, laudat ſocios. Unde 5 - 7.
conjunctionis neceſſitatem fluere indicat, cum eorum ſtudia
non ita diſſona eſſe videat, ut jungi nullo modo poſſint. In
Gallicis inprimis Academiis Regiis, ad quarum Petropolitana exemplar a maximo conditore, *Petro* Imperatore, & informata, & deſcripta, & legibus, inſtitutis, præſidiis, devincta eſt,
ita diſcretas, ait, diſciplinas ſcientiarum & humanitatis, ut 8.
utriusque generis ſingulares inſtitutæ ſodalitates, diviſis profeſſionum vicibus, propriam provinciam adminiſtrent. Vinculum ſtudiorum, oſtendit, præſtare alias artes aliis, exemplis 9.
id illuſtrans, omnes vero artes antiquitatis notitia, & humanitatis ſtudiorum exercitatione, juvari. Eundo per exempla, 10.
hiſtoriam, jus, tam quod natura omnes gentes docuit, quam 11.
quod ex moribus & inſtitutis eorum profectum eſt, & criticam artem, nominat, utilitatemque hujus ſtudii oſtendit. Spe- 12 - 14.
culis cauſticis, ab *Archimede* ut putant, inventis, id compro- 15.
bat. Qua occaſione data, vindicat Criticos, & *Vellejum*, con- 17 ſeq.
tra ſcriptorem recentiorem. Ortum progreſſumque uniuscu- 18.
jusque diſciplinæ, ſcriptores, eorum ætates atque libros, noſſe,
explicatis ordinibus temporum omnia incrementa atque inventa uno conſpectu videre, id ipſum utilitatem afferre unicuique diſciplinæ, arbitratur. Non pauca cenſet veteribus fuiſſe 19.
cognita, quæ nunc graviorum artium ſtudioſi in uſu habent.
Newtono tribuitur ſoli inventa natura lucis colorumque, de
qua jam *Claudianus* cecinerit de *Conſ. Matt. Theod. verſ.105*,
cui alia teſtimonia ex *Platone*, *Laertio*, *Plutarcho*, & *Gellio*,
ſubjunguntur in nota. Dein in laudes *Newtoni* excurrit, 20 - 24.
& *Leibnitii*, ſummorum Mathematicorum. Horum exem- 25.
plis id ſe obtinere, ſibi perſuadet, Matheſin & antiquitatis ſtudium ut jungantur. Ita in animum induxit, illam pervidendi res quasque vim non aliunde melius peti, quam ſi Geome- 26.
trarum illam veritatis explorandæ facultatem ad recte informandum judicium, atque ſentiendi recte curam, adhibeamus.
Opus eſſe, ait, rempublicam ut noſſe, eique opera & ſtudio 27.
prodeſſe, poſſis, rerum humanarum peritia & exemplis, quod 28.
ipſi

Pag. 29. ipſi Indi, Tartari, aliæ gentes, cognoſcant. Revocatis ſtudiis magnam Europæ partem felicitatem ſuam de-
38. bere, recte aſſeritur, cujus hiſtoria a longioribus initiis
40. ducitur. Non omittuntur *Caroli Magni* conamina, eo ſpectantia, ut literas ab interitu vindicaret, qui inter alia Pariſienſem Academiam condidit, quem imitati ſint
41. *Ludovicus*, Galliæ, & *Petrus*, Ruſſiæ inſtauratores. Itali
43-46. quidam celeberrimi debitis exornantur laudibus, cum Græcis, qui in Italiam conceſſerunt. Bene prævidit *Cruſius*, jam ſatis nota, quæ fuſius attulit, eſſe. Quare etiam veniam ſibi dari poſtulat, & cauſam, ne ſine ratione id feciſſe videatur, affert. Excuſatos nos credimus, ſi
55-64. de Oratione ipſa ne verbum quidem addamus amplius. Orationi autem additum eſt Sicilimentum, uti vocatur, obſervationis literariæ. Dixerat *Cruſius* in Oratione ſua de erroribus, ex contemtu vetuſtatis ortis, de fabricato, ex Bardaico calceo *Juvenalis*, judice aliquo Bardorum. Alios hinc addit, ut ejus, qui tabulas *Iuguinas* in ſabulas *Eugubinas* mutavit, ejus, qui in notis ad *Sturmianas* Epiſtolas, ad *Oſorium*, turpiter ſe dedit, ejus, qui Catalogum plagiariorum in Symbolis literariis manu emiſit, *Ackeri* errorem in *Scaligero* de *Homero*. Gravius, & acrius, quam par eſt, inſurgere in hos, noſtro quidem judicio, videtur. Poſſemus interim & alios aliorum errores addere, ſi longiores eſſe inſtituti ratio permitteret, v. c. quod *Benjamin Tudelenſis* Arabicus ſcriptor creditur a nonnemine, ſed tacemus.

Pedem promovemus ad Commentationem, plagulis decem conſtantem. Abſolvitur hæc *Capitibus VII*, quæ brevibus tantum, ut pateat, quid complectantur, percurremus; dein vero ſpecimina eorum, quæ tanguntur, aut exponuntur,
1-19. afferre animus eſt. *Caput I* de *ſimplicitate recentis generis humani, commercia & pecuniam ignorantis*, agit. Exiſtentia hujus ſtatus monumentorum conſenſu conſtat; pecunia enim tantum commoditatem commerciorum præſtare dicitur. Adducitur

ducitur *Ariſtotelis* teſtimonium *Lib. I de Rep. Cap. 6.* Exempla gentium ex veteri & recenti memoria, quæ nummo caruere, docent, nummos legibus conſtitutos. De paucitate hominum conſenſus Philoſophorum, Poetarum, & Hiſtoricorum, teſtatur. Pauca, & ab ipſa natura ſuppeditata, cum adhuc ſufficerent, commerciis non erat opus. Uni familiæ ipſæ occupatæ terræ per ſe atque proprias divitias præbent. Non enim auro & argento cœtus, ſub tuguriis congregatus, egebat, id quod Autorum loca, adducta a *Cruſio*, docent. Oſtendit præterea etiam paucitatem & rudiorem primorum hominum vitam ex eo, quod veteres Philoſophi exordia civilis ſocietatis a domeſtica unius familiæ conjunctione repetiere. *Ariſtotelem*, ait, ſocietatis originem a *Charondæ* ὁμοσιπύοις, ſive *Epimenidis* ὁμοκάπνους, derivare, & *Heſiodi* teſtimonium perperam tamen attuliſſe, quod valde miratur in eo, qui mundi & generis humani æternitatem ſtatuit. Unde alii ad eluviones terrarum confugere, ut Stoici παλιγγενεσίαν περιοδικὴν τῶν ὅλων ſtatuerent. Hæc facit, ut paululum excurrat Autor in hunc campum, & alios, præter Stoicos, afferat hujus ſententiæ patronos, Pythagoræos. Poſtquam ſatis fuſe de ſententia *Pythagoræ*, quam protulit de creatione mundi, egerat, id tandem evincit, revolutiones mundi eum crediſſe. *Ariſtotelis* æternitatem mundi & converſiones ſeculorum conſiderat. At memor Autor, ſe a propoſito divertiſſe, ad rem redit, & *Macrobii* verba de ruditate hominum adſcribit, itemque *Varronis* locum emendatum, *Diodori* etiam *Siculi*, & *Luciani*, nonnulla. Hanc denique primum ſimplicitatem *hominum a Diis recentium* agnoviſſe *Seneca* dicitur, & *Dicæarchus* apud *Porphyrium*. Commendat Autor ex *Platone Protagoræ* fabulam. In hiſtoriis non alia primordia norunt, quam *Saturni* fabulam.

Capite II de permutatione, primo ad commercium gradu, agitur. Pag. 20-54.
Homines aucti in diverſos cœtus diſcedere ſunt coacti, ex quo aviditas aliena appetendi exorta eſt. Terræ quædam aliis abundant, aliis deſtituuntur, unde permutandi commoditas. Hic ritus manſit diu inter gentes, & adhuc perdurat, *Plinius* in *Hiſtoriarum Lib. XXXIII Cap. I* hoc docet, contra

tra quem quædam monentur, & *Servius* ad *Virgilii Georgica III v. 307.* *Homericum* exemplum ab utroque horum non recte adhiberi credit. Pergit ad ſingulas gentes, Germanos, Satarchas, quos copioſe deſcribit, & reſpicere credit ad hos ea, quæ apud *Scymnum Chium* in *Fragmentis verſu 113* leguntur. Phraſin *Melæ*, qui permutationem *vicem rerum* appellat, conſiderat. Adducit porro Albanos, Luſitanos inferiores, incolas Gymneſiarum. E rebus Punicis ſtabilit ſententiam. De incolis Britanniæ objacentis inſulæ ſimilia affert *Cruſius*, item de Seribus, cujus vocis etymologiam eruit, cumque *Strahlenbergius*, ea *mercatorem* notari, credat, hanc potius appellationem Bocharorum eſſe ſtatuit. Fuit tandem talis natio ab *Apol-*
Pag. 54-69. *lonio Tyaneo* viſa, teſte *Philoſtrato*. *Cap. III* de *invento rerum pretio perpetuo, eoque pecore tum expendi ſolito, & orta hinc pecunia*, diſſeritur. Status intermedius Autori noſtro dicitur, qui non ſine pecunia fuit, talem tamen pecuniam, qualem nos hodie iſto vocabulo deſignamus, non habuit, vel ævum pecunia non ſignata utens. Avaritia hominum ingruente, permutatio non ſufficiebat rem augendi ſtudio. Excogitandum igitur fuiſſe Autor cenſet id, quod præſtantia inſita, duratione, atque ex valore notitia, commendatum inter omnes, rerum pretia in ſe continere poſſet, idque pecus fuiſſe ſtatuit pro temporis ſimplicitate; homines enim paſtoritiæ vitæ deditos, teſtimoniis comprobat. Idoneum fuiſſe pecus ob uſum multiplicem, aſſerit. Quo jure pecunia pecus appellari poſſit, ut oſtendat, rem definit, & in natales ejus inquirit; qua occaſione, pretium quid ſit, definit, & id, quo metimur quantitatem, pecuniam eſſe ſtatuit, quam deſcribit. Conſenſus *Ariſtotelis* cum tota diſputatione affertur. Rejicit communem opinionem, quæ credit, pecuniam inde dictam, quia primum imagine pecoris ſit ſignata; inter Latinos enim nullos tales nummos ſuperfuiſſe, nec, ſi qui hodie eos jactant, antiquos eos agnoſci poſſe, ipſos etiam antiquos inconſtanter ea de re locutos eſſe. *Caput IV* eſt
69-86. de *pecore, nummi uſum præſtante, ſeu pecunia vera ex divitiis antiquorum, dotibus, emtionibus.* Luculentiſſima de unoquoque horum teſtimonia antiquorum producit. Poetæ divitias

peco-

Digitized by Google

pecoris copia ſignificabant ex vetuſtiſſimo more. Ex fabuloſa hiſtoria *Geryonis* boves huc referuntur, mala *Heſperidum*, quæ oves plurimi veterum interpretati fuerint, aureumque vellus. Divitiarum, & divitum, nomina, inde ducta, producit. Hinc μῆλα ipſæ opes dictæ fuere. Indicium eſt pecoris æſtimationis, quod Poetæ puellas ἀλφεσιβοίας vocent, boum inventrices, dum antiquis temporibus dotem maritus uxori obtulerit. Emtiones pecore factitatæ fuere. *Cap. V* agitur de *præmiis, pecore datis, in bello, ludis, Poetarum certaminibus.* Color in pecore magni fiebat, quod hac occaſione evincitur. Inter militaria præmia boves dari ſolitos, oſtenditur, e. c. exploratori. In ludorum præmiis boves commemorantur,& aliæ pecudes Poetis inprimis datæ Carminis epici præmium taurum fuiſſe, Autor cenſet. Aliis etiam hæc contigere præmia, optime de republica meritis, in Deliis ſacris *Apollinis*, pueris, in Sicilia in ſcillis vincentibus. Mutata poſtea hæc præmia, & pro pecore pecunia Autori noſtro conſtituta videtur, quod ex *Plutarcho*, & *Diogene* in *Vita Solonis*, conjectat. *Caput VI* de *pecore loco pecuniæ in dicenda multa, & crimine peculatus ob pecora publica averſa*, inſcriptum eſt. Viguit hic mos pecore multam pendendi & Romæ, & alibi. Spartam innui in loco quodam *Varronis* adducto, conjicit Cl. Autor. De Athenis clariſſima adducuntur teſtimonia. Reprehenduntur Juriſperiti recentes, qui, de multis Romanorum temporis antiquioris agentes, in unicam legem Tarpejam conjiciunt, quæ pluribus legibus conveniunt. Quinque diſcernit Cl. Autor leges,de æſtimatione multarum latas, *Valeriam*, nomen trahentem a *Valerio Poplicola*, *Iciliam*, *Conſidiam Genuciam*, *Tarpejam*, & denique *Papiriam Juliam*, de quibus omnibus, pro ſuo more, docte & accurate diſſeruit *Cruſius*, in fine Capitis aſſerta ſua in tabula exhibens. *Caput VII* eſt de *pecore, per diverſas ſpecies ad commercium apto, & pellibus ad minora pretia penſanda adhibitis.* Pecus diverſa pretia metiri debuit, armenta dabant, boves, vaccas, vitulas. Pecudes, quæ proprie ita dicebantur, dabant arietes, fœmellas oves, agnas. Alia diſcrimina erant ab ætate, habitu, ex paſtura, fœtura, forma, & natalibus regionibus

Pag. 87-102. | 103-144. | 144-151.

Digitized by Google

nibus, atque temporibus. Pelles pro nummis fuere; hæc præ-
mii loco datæ fuere in Lupercalibus. Publica autoritate
ſignum iis impreſſum fuit, ut probæ, neque vitioſæ, darentur.
Romæ id factum. Conjectura affertur, pellibus primum & ta-
lis, hoc eſt, maſſis æneis, forma talorum præditis, uſos fuiſſe
veteres vice nummorum. Adjectus eſt index duplex, alter Au-
torum, quorum loca uſurpantur, explicantur, emendantur, alter
quarundam rerum memorabilium.

Pag. 10. De æternitate mundi, ab *Ariſtotele* defenſa, id ſtatuit, in
hac re aut ſectatorum opiniones magiſtro tributas eſſe, aut,
quod generationis animalium nullum finem ſtatuit, id quo-
que ex ratiocinationibus Pythagoricorum ei aſſutum eſſe, ut,
quod finem non habeat, nec initium habuerit, aut interpre-
tes, dum ejus ſcita argutiis concluſiunculisque interpolarint, at-
que contaminarint, ita conturbaſſe ea atque pervertiſſe. Liceat
nobis tam diu huic ſententiæ calculum noſtrum denegare, do-
nec certiora, quam quæ conjectura tantum nitantur, afferantur
argumenta, præſertim cum Cl. *Bruckerus* in *Hiſt. Philoſ. Tom. I*
P. II Cap. VII §. 14 not. 33 pag. 817 æternitatem mundi
33. *Ariſtotelicam* evictam dediſſe nobis quidem videatur. Ety-
mologiam Germanicæ vocis *Geld* approbat, a *Wachtero*
noſtro propoſitam, qui docuit, vocem antiquam *Geldt* vi-
cem ſignificare & hinc *gelten* vicem obtinere, & no-
ſtrum *Geld* pecuniam dictam eſſe, quæ omnium rerum vi-
36, 37. cem præſtat. De nundinis diſſerit, quam vocem proprie tan-
tum notare, recte dicit, primum nonum quemque diem, quo
in urbem ruſtici convenire ſolebant, poſtea vero quodlibet
70. mercatibus ſtatutum tempus. Hecatomben ex Etymologico
22, 86, 102. M. fuſius conſiderat. Cauſam indicat, cur *Homerus* mentione
116. numi abſtineat prorſus; *Plutarcho* quantum in rebus Romanis
tribui poſſit, inquirit; Tragœdiæ characterem conſtituit, ut alia
97. taceamus. Lucem etiam attulit Autor Clariſſimus plurimis
locis Scriptorum antiquorum, quorum loca explicuit, emenda-
vitque. Non ſolum enim lucem accipiunt hac ipſa Commen-
129. tatione veterum loquendi formulæ, ſed & integra loca.
138, 139. Dictiones illuſtrat Græcas, & Latinas. Monet, *adigere*

pre

pro *exigere* uſurpari; docet, quomodo pecora *averti* dican-
tur. *Benevolentiam priſcarum legum* in *Plinio* explicat. *Com-* Pag. 134. 135.
mercia interpretis linguæ exponit. *Curtas* opes conſiderat. 46, 49, 99.
Emere pro *cupere* adhiberi, monſtrat. *Exſpectare commer-* 47.
cia quid *Plinio* ſit, indicat, & cur *feris perſimiles* eidem dican- 43, 44,
tur *Seres*, quid *incuria* ſit, & quomodo pecora ea *corrumpi* di-
cantur, *pedem rei præſtare*, quid in *Varrone*. *Vicem huma-* 135.
nam ex *Horatio* explicat. Inter Græcas voces & phraſes ex- 138, 27.
plicatas commemoramus ἀμοιβὴν τῶν φορτίων, quod Latini
vicem rerum vocant, ἀςρὶς, ἕδνα, ἐπιβολὴ, τάττειν, τιμὴ. 25, 147 ſeq.
τίμημα, βοῖον in compoſitis. Quod ad loca integra attinet, 78, 9, 113.
a *Cruſio* emendata, & quorum ſeriem index rerum exhibet, 40, 27, 106
noſtrum non eſt, ut ſingula ſigillatim expendamus. Lauda- ſeq.
mus modeſtiam, qua proferuntur emendationes. Interim ta-
men non poſſumus non optare, ut Codices conſulti eſſent; ſi-
ne his enim emendationem ad ſummum veriſimillimam ſal-
tem reddi, ſemper judicavimus, & id tantum indicari, quod
ſcriptor ſcribere potuiſſet, non id, quod neceſſario de-
buiſſet. Laudamus interim conamina, quæ in emendando
verſantur. Applaudimus inſtituto huic, & quod verſiones
accuratiores Græcorum ſcriptorum concinnaverit, quid? quod
Homeri loca nonnulla verſibus Latinis reddiderit. Diligens
evolutio ſcriptorum, ubique conſpicua, perplacuit nobis. Non
tamen exſpectaſſemus a profeſſore literarum humaniorum
barbara quædam, non recte flexa, male diviſa, & poetica, vo-
cabula, paſſim admixta, qualia ſunt, in Dedicatione, *memora-
tus* ſubſtantive uſurpatum, in Oratione, *tenuitas mea*, *claritu-
do*, *inflammabilis*, *placiditas*, *improſperius*, *religioſus*, *Muſul-
mannicus*, *guſtatus*, *reformare*, in Commentatione *paucum*,
inuſus, *penſatio*, & ſi quæ alia. Male dividitur in Oratione
vox omnis ita *om-nis pag. 4*, & in Commentatione *pag. 55* 55.
ejus ita *ej-us*. Non probamus phraſin *Orationes animo* 7.
informatas habere, *tranſcribere* pro adſcribere. Non intelli- 8.
gimus, quo modo *Lucanus Cap III* extremo citari potuerit, &
Latina tantum *Plutarchi* verba appoſita miramur. Interim 102.
contemtum, quem minatus eſt, non veremur. Quemadmo-

 dum

dum autem Clariſſ. Viro hunc librum, quem præſultorem vocat aliis Commentationibus, ad res numarias paratis illuſtrandas, gratulamur; ita nulli dubitamus, quin lectio hujus libri ſtudioſis antiquitatum inſigni ceſſura ſit emolumento, &, promiſſa ſua ut impleat proxime *Cruſius*, publice eum maximo opere rogatum volumus.

Pag. 44. 89. 66. 107, 120, 140. 142, 146, 150.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE d'un genre de Polypes d'eau douce, &c.

hoc eſt,

COMMENTARII, QUI SPECTANT HISTORIAM generis cujusdam polyporum aquæ dulcis, qui brachia inſtar cornuum obtinent, expoſiti per A. TREMBLEY, e Societate Regia.

Lugduni Bat. apud Joannem & Hermannum Verbeek, 1744, 4. Alph. 1, Plag. 18, Tab. 13, æri inciſæ.

In minimis quoque corporibus naturalibus nova ſemper & admiratione digna detegit curioſus naturæ indagator. Itaque Cl. Autor in indagandis his polypis haud vulgarem præſtitit laborem, cum omnia accurate & eleganter expoſuerit, quæ ad eorum vitam & actiones ſpectant. Polypos ſuos a marinis majoribus diſcernit, non tantum quod aquis dulcibus adſcribat, qui locus nullam differentiam eſſentialem oſtendit, ſed quod brachia inſtar cornuum diſpoſita in illis invenerit. Per triennium & ultra in horum animalculorum diſquiſitione occupatus fuit, & in delineandis iconibus elegantiſſimis, ſine quibus obſervationes intelligi haud poſſent, ſocium habuit *Lyonetum*, qui omnes icones delineavit, & octo poſteriorum tabularum icones ſculpſit. Obſervationes autem ſuas in quatuor Commentarios digeſſit, & in primo Polypos deſcribit, eorundem formam & motus, nec non, quicquid de ſtructura detegere potuit, oſtendit. Monet quidem, hanc inſectorum ſpeciem alios Autores jam cognoviſſe; neminem tamen ſingulares eorundem mutationes obſervaſſe. Caſu vero fortuito

ad

illa perluſtranda deductus fuit. Cum enim in vitro varia inſecta aquatica cum plantis aquaticis attente conſpiceret; inter alia corpuſcula ei occurrebant viridia tenuia, quæ uno extremo cauli plantæ adhærebant, ex altero vero cornua minora emittebant. Hæc plantis minoribus, aliis inſidentibus, ſimiles erant, ſed, cum in illis motum obſervaret, & inprimis conſpiceret illa in latus lucidum vitri lubentiſſime tranſire, animalium indolem cognovit, ſed ſubdubitans, an forſan plantæ ſint, diſſecabat unum ex his corpuſculis, quo videret, an inſtar plantarum ex radicibus diſciſſis multiplicarentur, & certe pars corpuſculi poſterior ſine cornubus ſpatio novem circiter dierum cornua emiſit; qua de cauſa ſimilitudinem cum plantis invenire videbatur. Cum autem motum attentius conſideraret, evidenter cognovit, hæc corpuſcula in agitato vitro ſe contrahere, qui motus certe non ab agitatione aquarum, ſed a vi quadam interna, deduci poterat. Poſtquam etiam cognovit, corpuſculum unum ex altero excreſcere, magis dubius factus fuit, cum plantarum indoles ſit, novos ſurculos emittere. Cel. *Reaumur*, cum quo obſervata ſua communicavit, animalia, & ob ſimilitudinem cum polypis marinis polypos, dixit. Quæ res magis etiam confirmata fuit, cum Autor noſter novam polyporum ſpeciem conſpiceret, qui vermes devorarunt & digeſſerunt, ita ut ad animalia referre nullus dubitaret. Hæc animalcula omnibus corporibus, ſub aqua hærentibus, & fundo aquarum, adhærent, immo in ipſa aquarum ſuperficie ſuſpenſa tenentur. Difficile vero, cum tenerrima ſint corpuſcula, deteguntur, & non niſi in vitrum ſuſcepta, vel in pellucida ſtagnorum aqua conſpiciuntur. Tres vero potiſſimum ſpecies recenſentur; prior cornubus, ſive brachiis brevioribus inſtructa eſt, altera longioribus, tertia vero in corpore ad extremitatem poſteriorem inſigniter extenuata eſt. Deſcriptiones accuratiores Autoris ſine iconibus vix intelliguntur. Cornua, ſive brachia, ſex ad undecim, vel ultra, in diverſis individuis cujuslibet ſpeciei variant, & non ſimul, ſed ſucceſſive, excreſcunt. Corpora maxime contractilia ſunt, inprimis ſi agitantur; attamen motus eorundem magis

magis cum limacibus, quam cum vermibus, convenire videtur. Varia poſtmodum de motu brachiorum & corporis addit. Non natare, certo cognovit, ſed applicando ſe aliis corporibus greſſum quaſi exercere, modum vero quo in ſuperficie aquæ ſuſpenſi hærent, ſtudioſe deſcribit. Corpus granulis minoribus obſitum eſt; color maxime variat. Comparatione horum polyporum cum polypis marinis inſtituta, ventrem, vel potius canalem alimentorum, a capite ad finem corporis extenſum, ſimplicem caudem eſſe oſtendit, cujus tunica ipſa polypi ſubſtantia eſt. Hæc vero ex granulis, mediante mucilagine cohærentibus, compoſita videtur, de qua & brachiorum ſtructura plura profert. In Commentario ſecundo de nutritione polyporum, de modo arripiendi, deglutiendi prædam, de cauſa coloris polyporum, & de aliis circa ſtructuram detectis, tandem de tempore & ſubſidiis aptis ad inveniendos polypos agit. In conſideratione polyporum longis brachiis inſtructorum, unum vidit, qui millepedem in ore continebat, & ita per repetita experimenta cognovit, hæc animalia inſecta brachiis ſuis arripere, ad oſtium ventris ducere, & ita deglutire & digerere. Ipſe vero polypus vermiculum non brachiis in ventrem immittit, ſed potius labiis motis adducit, oſtiumque pro magnitudine inſecti devorandi expandit, cum nullis dentibus inſtructus ſit, quibus prædam comminuere poſſit. His pertractatis, de vario victu polyporum agit, & modum brachiis prædam arripiendi cum polypis marinis comparat, & varias obſervationes producit, quibus oſtendit, polypos alimenta cum quodam ſelectu & attentione, non vero caſu, arripere. Ex his phænomenis quidem oculos hæc animalia habere ſuſpicatur, ſed nec per microſcopia ullam partem oculo ſimilem cognovit. Si bini polypi unum vermiculum quærunt, uterque ſæpius ſuam portionem ſumit, ſæpius tamen unus alteri prædam ſuam eripit, ita ut alterum quodammodo in ventrem ſecum attrahat, ſed ſine læſione, hæc enim animalia alia individua ſuæ ſpeciei devorant, &, cum alia inſecta in ventrem deducta mox pereant, polypi per tres, vel plures, dies in ventre alterius vivere poſſunt. De appetitu variis

tem

temporibus diverſo poſtea differit Autor, & excrementa, ſive reliquias, inſectorum digeſtorum per os ejici, monet. Nutritium vero ſuccum, quem venter polypi ſugit, ille quoque diſtribuit in brachia, quæ quaſi canales continuati corporis ſunt. Hæc derivatio ex colore vario ſucci cognoſcitur, qui ex vermibus ſuctione elicitur, & per polypi corpus deducitur. Hinc quoque patet, cur polypi pellucidi colores varios ſuſcipiant; colores tamen ex florum petalis non receperunt, cum victum vegetabilem reſpuant. Nutrimentum vero ſuam in granulis, per ſuperficiem diſſeminatis, quæ forte glandularum officio funguntur, præparare videntur. Tempus vitæ nondum definitur, cum polypos nutriat, qui biennium jam ſuperarunt, & hoc ipſo tempore pro differentia nutritionis majores & minores facti ſunt. Interdum pulices minimi polyporum corpus obſident, ipſi vero polypi a piſcibus & inſectis rapacibus aquaticis non digeruntur, ſed, licet deglutiantur, brevi tamen ſine evidenti corporis læſione reſpuuntur. Ubique ferme in foſſis Belgii, & in aliis Europæ provinciis, inveniuntur. Hyeme vel non adſunt, vel in fundo deliteſcunt, vernali vero tempore crebriores inveniuntur. Commentarius tertius de generatione polyporum diſſerit. Obſervavit eandem menſe Martio & Aprili, ubi ex corpore polypi excreſcentiam oriri vidit, qua aucta, junioris polypi corpuſculum formatum fuit, quod non ſolum omnes mutationes matris in contractione ſenſit, ſed tandem quoque ex anteriore parte brachia emiſit, quo facto, a corpore matris ſeceſſit. Formatio junioris polypi interdum ſpatio viginti quatuor horarum, interdum quindecim dierum, abſoluta fuit, pro varietate caloris & nutritionis. Ipſe vero parvulus polypus, cum matris ventre conjunctus, vermiculos arripere valet; ita tamen cavum ventris cum matris cavo conjunctum eſt, ut inſecta ex illo in hoc penetrent, ex quo certiſſime concluditur, polypum juniorem eſſe veram ſubſtantiæ matris continuationem, ita ut hæc polypi geneſis cum arborum ramis exſertis comparari queat. Magis vero mirandum eſt, quod minor polypus non tantum ſe ipſum, ſed & matrem &

Digitized by Google

alios minores matri affixos, nutriat. Antequam minor polypus a matre ſeparatur, oſtium communicans anguſtius fit, & tandem prorſus obliteratur, quo facto, junior polypus a matre ſecedit. Multiplicationem inſignem polyporum poſtea per experientias repetitas oſtendit, &. juniorem polypum, matri adhuc affixum, jam alios juniores emittere, monet. Quantum quidem exprimentis aſſequi potuit, cognovit, omnes polypos eſſe matres, nec ullam ſexus differentiam, nec ovipara animalia eſſe, deprehendit. Annectit varias obſervationes de polypis in corpore vel brachiis, curioſius formatis, comparationem inter vegetabilia & hos polypos inſtituit, & de aliis animalibus, cum his convenientibus, agit. Commentarius quartus varia experimenta, cum polypis inſtituta, recenſet, & ſucceſſum deſcribit. Poſt ſectionem transverſalem inſtitutam pars anterior, quæ os & brachia habebat, ſæpe eodem die vermes devoravit, reliquasque polypi actiones perfecit, altera vero pars æſtate ſæpius in viginti quatuor horis brachia emiſit, cum hyeme die decimo quinto demum perficerentur. Polypi, in tres partes ſciſſi, eodem modo partem mediam mutarunt, ut de anteriori & poſteriori in polypo transverſim diſſecto diximus, &, cum parvulum hoc animal in plures partes diſcindi nequeat, ſucceſſive tamen in ſuccreſcentibus novas effecit diviſiones, ita ut tandem unus polypus in quinquaginta partes diſſectus fuerit. Caput matris & juniorum ſeparavit, ſed partes relictæ omnes ita ſuccreverunt, ac ſi capita non truncata fuiſſent. Longitudinalis diſſectio quoque ex voto ſucceſſit, & corpora, quæ ſemicanales videbantur, brevi in integros canales mutata fuerunt. Diſſecuit quoque polypum longitudinaliter in quatuor partes, & idem ita ſucceſſit, ut in his ipſis ſectionem transverſalem iterum inſtituere poſſet. Simili modo partem anteriorem diſſecuit; cauda integra relicta, & duo capita orta fuerunt, per diſſectionem ſimilem repetitam magis aucta, ita ut hydræ fabuloſæ veram iconem ſiſteret; caudas quoque, ſive partes poſteriores, longitudinaliter diſſectas, multiplicatas fuiſſe, ſimili experientia didicit. Polypi quoque, diverſimode in minutas parte diſſecti,

iterum

iterum ſucceſſive formati fuerunt, ita ut ex ſingula ſæpius parte novus ortus fuerit polypus. Tentavit quoque Autor, an polypus inverti poſſit, ita ut ventris interior ſuperficies exterior, & exterior interior, evaderet, & res ex voto ſucceſſit. Licet enim plurimi ſe in priorem ſtatum retorquerent, tamen plurimi etiam, adhibita enchireſi, ita retenti fuerunt, & eadem exhibuerunt phænomena, quæ de polypis jam adduximus. Addit varia de mutatione polyporum, ex parte reductorum, vel alio modo mutatorum, qui monſtroſa corpora exhibuerunt. Introduxit poſtea unum polypum in corpus alterius, ſed interior, licet ligatus, invenit varias vias per latera exeundi; tandem experimentum tamen poſt inverſionem interioris ſucceſſit, ut animal, inde ortum, duas ſeries brachiorum circa unum oſtium diſpoſitas haberet. Disquiſivit poſtea, an partes polypi diſſecti rurſus uniri poſſint; quod quidem interdum præſtitit, non ſemper tamen ſucceſſit negotium, cum tædioſum eſſet, partes unitas penicillo in ſitu retinere. In polypis marinis nullo certo experimento cognitum eſt, nova animalia ex partibus oriri, licet Autores dixerint, quod poſt diſſectionem vivant. Nos vero hic addimus, Cel. *Cappellerum* in Epiſtola de Entrochis & Belemnitis, quæ Sciagraphiæ lithologicæ Cel. *Kleinii* præmiſſa eſt ex capite Meduſæ petrefacto, aliquam convenientiam polyporum marinorum cum his obſcure indicaſſe. Circa quæſtionem tandem, an polypi aquæ dulcis, modo deſcripti, ad plantas, an ad animalia, referri debeant, maxime ambigue verſatur, cum & proprietates animalium & plantarum in illis inveniat, & in genere moneat, nos in varietate corporum animalium & vegetabilium non facile limites figere poſſe. Hoc tantum addimus, quod, ſi facultas locomotiva plantis prorſus deneganda ſit, & animalibus tantum conveniat, hæc corpora ad animalia omnino referenda ſint. Clariſſ. vero Autor in his Commentariis egregiam in obſervationibus colligendis, & experimentis attente inſtituendis, diligentiam oſtendit, & maxime demonſtravit, quomodo meditatione ad nova diſquirenda ducamur, nec tamen imaginationi nimium indulgeamus.

VARIA, PHILOSOPHIÆ MUTATIONEM SPEctantia, prelo data ab ANDREA GORDON, *O. S. B. Philoſophiæ Profeſſore.*

Erfordiæ, ſumtibus J. H. Nonnii, 1749, 4.

Plag. 11.

Quantum intra unum retro ſeculum in melius mutata fuerit Philoſophia, quantumque ſolidi incrementi ſumſerit, peregrinus tantum in literis elegantioribus ignorat. Ab initio quidem hæc reformatio, ut fieri ſolet, ubivis contradictionem paſſa, nunc tamen in ſcholis, præcipue Proteſtantium, quietam ſedem obtinet. In Gallia quoque & Italia eandem reformationem placere multis, multa Philoſophorum non vulgarium monumenta teſtantur; Germanis autem Romano-Catholicis non modo non arriſiſſe eam, ſed iis, qua de cauſa, non dicemus, ſummopere huc usque exoſam fuiſſe, experti ſumus. Primus Catholicorum in Germania, qui Scholaſticæ Philoſophiæ futilitatem e ſchola ſua palam exeſſe juſſit, aliisque Eccleſiæ ſuæ eruditis ſaniora Philoſophiæ principia amplectenda ſuaſit, & facem prætulit, *Gordonus* eſt, Benedictinus Ratisbonenſis, & Philoſophiæ Profeſſor Publicus Erfordienſis, horum *Variorum* Editor, &, Apologia excepta, Autor. Quo tempore & ordine reformationem hanc molitus fuerit *Gordonus*, Lector colliget ex Epiſtola ejus, ad amicum Wirceburgenſem data, cujus partem præcipue notatu dignam hic apponemus: *Cum Philoſophiæ docendæ mihi impoſita eſſet provincia, mox inanem Philoſophiam veterem, ſive Scholaſticam, deſerere, &, quantum in me erat, abrogare, ejusque in locum Philoſophiam novam & utilem ſubſtituere, decreveram. Catholicorum in Germania ad hunc ſcopum præiverat nemo, ſed omnes gravi Philoſophiæ Scholaſticæ veterno detinebantur immerſi. Aderant quidem opera quædam mathematica, ſed indigeſta ſunt hæc volumina, demonſtrationibus ſæpe neceſſariis & experimentis novioribus plerumque deſtituta, proindeque tironibus in collegio inſtituendis inepta. Phyſica vero experimentalis præter nomen parum omnino notum fuerat, nullus igitur collegio meo aptus erat Autor domeſticus. Autoris extranei in hunc uſum difficillima comparandi copia, Autorem vero Proteſtantem prælegere & explicare, ut noſti, nefas*

fas fuiſſet. Inveteratæ itaque ad calamum dictandi conſuetudini per duos annos invitus obtemperavi. Hoc tempore, omiſſis pleriſque Philoſophiæ Scholaſticæ quæſtionibus, vanis & inutilibus, multa ex eadem retinebam, paucis Philoſophiæ novæ placitis hinc & inde quaſi furtim inſperſis, ut ſenſim tandem ad ſcopum propoſitum pervenirem, ac ne omnimoda mutatio & ſaltus ab uno extremo ad aliud illos offenderet, quos lucrari cupiebam. Hoc modo de anno in annum ſcopo propoſito magis magisque appropinquare conabar. Verum, cautelis omnibus non obſtantibus, obſervabatur facile meus Philoſophiam mutandi animus partim ex ſcriptis exigui ſane momenti, interea editis, partim ex ſermonibus privatis. Hinc, ſi quid novi, aut inſoliti, ſive publice, ſive privatim, proponebam contradicentibus ad unum omnibus, nemo mihi ferebat opem. Juvenilis ætas, quamvis annum 25 jam compleviſſem, pleriſque fuit lapis offenſionis, & momenta rerum, a me propoſita, viri gravis autoritate deſtituta, expoſuit ludibrio: ipſi etiam amici mei, ſaltem plerique, ut a ſcopo nunquam attingendo abſtinerem, labori, ut exiſtimabant, inani parcerem, ſuadebant, ſingulari tamen ſuperiorum meorum prudentiæ debeo, quod propoſitum laudarint, ſed, fræna ſuaviter injiciendo, fervorem forte nimium prudenti ſane conſilio coercuerint. Hæc cum ita ſe haberent, de Philoſophia integra conſcribenda & edenda cogitanti anno 1740, prima mihi cura fuit invenire, qui ſumtus editioni faceret. Bibliopolæ vero hujus urbis & vicini quidam, utpote Proteſtantes, oblatam operam recuſabant metu ſtili & doctrinæ Scholaſticæ; ad bibliopolas igitur remotiores confugiendum erat. Tandem Ratisbonenſis, rei indignitate motus, librum edendum ſuſcepit ea lege, ut magnus non eſſet. Conditioni annuens, ut difficultatibus præfatis me pauliſper extricarem, librum dictum conſcripſi, ubi hæreſeos periculum nullum, novitatis crimen eluditur, cum ex Autoribus probatis & notis pleraque deprompta ſint, utilia multa atque jucunda proponuntur, & ad Phyſicam experimentalem novamque Philoſophiam proxime acceditur. Circa medium anni 1743 manuſcriptum prelo paratum bibliopolæ tradidi, &, cenſoribus in Philoſophia nova & Matheſi nonnihil peregrinis, differebatur impreſſio de die in diem, neſcio qua de cauſa. Tandem vero pars una uni, pars altera alteri, typographo

ſere demandata ſuit. Horum alter, Pedepontanus, hoſtium furore vexatus, mox prelo utebatur, mox ab eodem aufugit, donec, rebus fere omnibus orbatus, prelo per anni dimidium & ultra abſtinere coactus eſt; priſtino dein reſtitutus officio, charta hinc inde comparata, & literis mutuatis, impreſſionem, tanto tempore interruptam, denuo aggreſſus eſt. Indeque chartæ & typi diverſitas ſæpe maxima, & errores typographici frequentes: in tanto enim rerum diſcrimine nihil aliud exſpectari poterat, niſi opus valde imperfectum. Talis erat, Amice, rerum mearum facies; tale Philoſophiæ meæ fatum. Secunda horum *Variorum* pars eſt Oratio *Gordoni*, auditoribus dicta A. 1745, *Philoſophiam novam veteri præferendam ſuadens*, quod hæc ob ſolam *Ariſtotelis* autoritatem ſæpius dubiam res plerumque futiles ventilet, illa vero, rationi tantum & experientiæ innixa, ſcientias tradat jucundas & utiles.

Idem argumentum proſequitur *Gordonus* in Oratione altera, A. 1747 dicta & edita, qua *Philoſophiam novam utilitatis ergo amplectendam, & Scholaſticam Philoſophiam futilitatis cauſa eliminendam, ſuadet*, adductis plurium futilium quæſtionum, Peripateticis familiarium, exemplis, & brevi ſcientiarum mathematicarum, quas Philoſophiæ novæ merito accenſet, encomio. Dictorum veritas magno animi candore, & libertate Philoſophum decente, propoſita patet, ac placet omnibus, quorum mens inveteratis præjudiciis obcæcata non eſt. Huic veritati, utut patenti, & neceſſariæ ſtudiorum reformationi, ſe totis viribus oppoſuerunt ſoli Jeſuitæ in perpetuum hujus Societatis opprobrium. Primus, qui manum deteſtando contradictionis operi admovit, & calamum virulentum in *Gordonum* ſtrinxit, P. *Petrus Eiſentraut*, Soc. Jeſu, Wirceburgi anno elapſo Philoſophiæ Profeſſorem egit. Hic, ut omnia prorſus *Gordoni* merita eo certius exſtingueret, phænomena hujus ſeculi electrica a priſtinis minime differre, aſſerens, perpetuum ſuæ ignorantiæ monumentum poſteritati reliquit; præterea Philoſophiam, a *Gordono* concinnatam, plagii arguit. Huic *Gordonus* obviam ivit *Epiſtola, ad amicum, Wirceburgi degentem, ſcripta, qua loca quædam Diſſertationum, Wirceburgi nuper editarum, ad trutinam revocantur*, ubi *Eiſentrautii* errores clare ac ſolide confutantur.

Secun-

Secundus *Gordoni* adverſarius, P. *Joſephus Pfriemb*, Societ. Jeſu, Philoſophiæ Profeſſor Moguntiæ, cujus calamum merito *Gordonus* magis impudentem vocat, præfatas *Gordoni* Orationes, Apologia plane impudenti in illum ſcripta, confutare nititur, quam *Gordonus Variis* ſuis verbo tenus inſeruit (putamus, ne tantum obſtinaciæ Jeſuiticæ teſtimonium periret,). Hujus Apologiæ ſingula capita ſtilo plane modeſto ſolide ac erudite confutat, ejusque argumenta omnia eſſe futilia convincit *Gordonus*, *Epiſtola altera, ad amicum, Wirceburgi degentem, ſcripta, qua Philoſophia nova ab iniquis Apologiæ præmiſſæ cavillationibus vindicatur.* Interea temporis, dum hæc Epiſtola ſub prelo ſudabat, prodiit tertius adverſarius omnium impudentiſſimus, P. *Lucas Opſermann*, Societ. Jeſu, qui, argumentorum, a confratribus ſuis poſitorum, inanitatem & ineptiam advertens, de Philoſophia Scholaſtica actum exiſtimavit, niſi ipſe tandem ad ultimum miſerandorum Philoſophorum aſylum confugeret, & per millena ſophiſmata *Gordonum*, ejusque Philoſophiam, de hæreſi ſuſpectam redderet, & per conficta & congeſta convicia *Gordoni* nomen nigerrimo notaret calculo. In id igitur omnes ingenii decrepiti vires intendit ſcripto plane impudenti, Erfordiæ clam edito, quod *Philoſophiam Scholaſticorum defenſam* vocat. Scripti hujus, religioſo homine indigniſſimi, utpote contumeliis & maledictis referti, tenor, nobis etiam tacentibus, patet ex Programmate, ab Academia Erfordienſi (cujus pars potiſſima, præcipue tota Facultas Theologica, Catholicis ſacris addicta, eſt.) ad valvas publicas affixo, quodque nos recenſuimus ad calcem *Menſis Martii* hujus *Anni*. Argumenta, hoc ſcripto contenta, talia ſunt, qualia Philoſophiæ Scholaſticæ tironibus exercitii cauſa ſtilo barbaro proponi ſolent, niſi quod Autoris hujus calamus atra ubique bile, qua ſenex hic multum laborare videtur, tinctus appareat. Horum argumentorum vim omnem (quam non niſi valde exiguam, vel plane nullam, eſſe, legenti, elegantiorum literarum vel parum perito, patebit,) Appendice ad alteram ſuam Epiſtolam *Gordonus* paucis in genere dictis enervat, ſuamque doctrinam, ex Autoribus Catholicis, dudum approbatis, depromtam, ab omni erroris ſuſpicione ſatis ſuperque

Digitized by Google

que liberat, tum vero nonnulla, ad perſonam & mores illius hominis ſpectantia, quorum eruditi extranei vix ullam habere poſſunt notitiam, candide evolvit, ubi *Opſermanni* mala fides ubique manifeſtatur. Scommata vero, convicia, & maledicta innumera, in ſe congeſta, magno contemnitanimo, & generoſo premit ſilentio, ut ex fine hujus Appendicis patet, quam hiſce concludit: *Sed quæres, Amice, quid ad maledicta innumera, jam facta, & fortaſſis adbuc facienda, reponam? Quod Ephori Lacedæmoniorum Clazomeniorum legatis, fuligine ſedes ſuas fœdantibus, edixere* (Ælian. *Hiſt. Var. Lib. II Cap.* 15), ἐξέστω κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν, *Jeſuitis adverſariis liceat indecenter ſe gerere.*

Doctiſſimi *Gordoni* ſcopum hunc eſſe videmus, ut in ſcholis Catholicorum nugæ Scholaſticæ mittantur, earumque locum occupent ſcientiæ mathematicæ, Phyſica experimentalis, aliaque ſtudia elegantiora. Cui hæc mutatio non arridet, hunc vel certe ignorantem, vel humani generis hoſtem, exiſtimamus. Ceterum *Gordono* plures adverſarios & conviciatores prioribus ſimiles optamus. Hi enim *Gordoni* ſcopo minime nocebunt, ſed, inveterata ſua præjudicia veritate deſtituta eſſe, magis magisque monſtrabunt: quandoquidem deficientis veritatis certum eſt indicium, cauſam ſuam conviciis & maledictis tueri velle. His tamen reſpondere *Gordonus* non opus habebit, cum jam non amplius ſit ſolus. Illum enim preſſo pede ſecuti ſunt Illuſtriſſimus *Carolus de Pieſport*, Eccleſiæ principalis Fuldenſis decus, & in illa Academia Profeſſor Publicus, qui jam A. 1744 Philoſophiam ibidem reformare, & Phyſicam Experimentalem docere, cœpit, quæ reformatio Celſiſſimo Principi Fuldenſi tantopere placuit, ut, illo annuente, hæc ſtudiorum mutata facies feliciter adhuc, ad malevolorum invidiam, continuetur; P. *Udalricus Weis*, ob editum de emendatione humani intellectus librum celebris, P. *Gregorius Rodfiſcber*, Eccleſiæ principalis Emeramenſis Ratisbonæ profeſſus, ob Theſes ſuas mathematico-phyſicas, A. 1746 editas, clarus, & alii, qui ſtudia elegantiora, contemtis malevolorum querelis & conviciis, propagare non deſinent. Unde Germania magnum literarum emolumentum ſperare poterit, viri autem religioſi, ſtudiis colendis & perficiendis aptiſſimi, meritam ſui nominis exiſtimationem & famam ſibi comparabunt.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXLIX.

SCULTURE E PITTURE SAGRE, ESTRATTE da i Cimeteri di Roma, &c.

hoc eſt,

SCULPTURÆ ET PICTURÆ SACRÆ, E Cœmeteriis Romanis erutæ, olim jam ab Autoribus Romæ ſubterraneæ evulgatæ, nunc autem denuo cum explicationibus editæ.

Tomus II.

Romæ, ex officina Antonii Roſſi, 1746, fol. maj. Alph. 2 plag. 2, cum fig. æn. 130.

Cum de univerſo hujus Operis inſtituto in hiſce *Novis Actis A. 1746 Menſe Aug. pag. 433*, ubi *priorem* ejus *Tomum* deſcripſimus, ſatis abundeque fuerit dictum, nobis jam, *alterum* ejus *Volumen* enarraturis, eſſe hoc brevioribus licebit. Quamplurimis hujus *Tomi* paginis figuræ, æri inciſæ, quæ monumenta quædam antiqua, ex ſubterraneis, quæ Romæ ſunt, cœmeteriis partim eruta, partim aliunde allata, & in templis, aut muſeis, hodie obvia, exhibent, ornamenti cauſa ſunt additæ, earumque explicationem Clariſſ. Autor, Præfationis loco, ſub ipſius libri initium lectoribus ſuppeditavit. Ut igitur, cujus pretii obſervationes, hac occaſione allatæ, ſint,

Digitized by Google

cognoſcatur, de nonnullis earum jam paucis diſſeremus. Cum figuram candelabri aurei, in templo Hieroſolymitano quondam ſolennis, in loco Romæ ſubterraneæ conſpicuam, ederet Clariſſ. Autor, de cœmeterio, quod Judæis, Romæ olim
Pag. 8. degentibus, proprium fuiſſe fertur, diſputat. Judæorum quondam inſignem numerum Romæ fuiſſe conſtitutum, eosque peculiare cœmeterium, in *via Portuenſi* ſitum, habuiſſe, magno eruditionis apparatu *Aringhius Rom. Subterr. Lib. II Cap. 23 pag. 326* docuit. Rudera ejus ſub colle, qui *roſatus* dicitur, & ubi figura dicti candelabri viſitur, hodie quærenda eſſe, *Boſius* ideo contendit, quod nulla religionis Chriſtianæ ſymbola, Veteris tamen Teſtamenti figuræ, ibi frequententur. Cumque plurimi Judæi, Romam incolentes, Helleniſtæ fuerint, mirum non eſſe debere, neque ſententiæ ſuæ officere, quod inſcriptiones omnes Græco ſermone conſcriptæ ſint, idem contendit *Boſius*. Clariſſ. Autor interim, illam ipſam *Boſii* ſententiam dubio non carere, exiſtimat. Miratur nempe, nullam inſcriptionem Hebræam ibi offendi, ſignum vero candelabri aurei in Chriſtianorum quoque monumentis comparere, ipſi perſuaſum eſt. Quamvis autem varia hanc in rem monumenta, a viris quibusdam doctis deſcripta, afferat, ipſe tamen, non ſatis conſtitui poſſe, an eadem Chriſtiana, an
10. Judaica ſint, confitetur, inſuperque inſcriptio, ϹΥΝΑΓΩΓ, quæ Synagogam Hebræorum indicat, ac Judæis propria eſt, quamque *Aringhius* loco ſupra citato in eodem cœmeterio obſervavit, nec non alia, ab *Aringhio* producta, argumenta, faciunt, ut nos *Boſii* magis, quam Autoris, ſententiæ faveamus. Inſtrumentum aliquod, quo ad cruciandos Martyres utebantur pagani, e fundamentis templi Vaticani erutum, pro *ungula*, ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſæpiſſime memorata, habet.
11. Ejus mentionem in Corpore Juris civilis occurrere, docet. Idem eſſe hoc inſtrumentum, ac *fidicula*, contendit, cujus vocis etymologiam a *findere*, aut *fodere*, *Baronium* ſecutus, lepide derivat. Fidiculas autem e chordis, ſeu funiculis, fuiſſe compoſitas, contra *Lipſium* negat. Nos interim optaremus, ut *Antonium Gallonium*, qui, in libro *de Cruciatibus S. S. Mar-*

tyrum

tyrum pag. 57 idem jam obſervavit, vel honoris cauſa excitaſſet Clariſſ. Autor. Miramur etiam, non ab ipſo conſtitutum, an *fidiculæ* ab *equuleo* differant, id quod *Gothofredus Jungermannus* in Animadverſionibus ad *Hieronymi Magri* librum *de Equuleo Cap. VIII* comprobare annifus eſt. Cum figuram cathedræ epiſcopalis, quæ in choro templi S. *Mariæ* transtiberinæ conſpicitur, æri incidendam curaſſet Clariſſ. Autor; hac occaſione de cathedra S *Jacobi*, Hieroſolymis, tempore *Conſtantini M.* prout *Euſebius* refert, adhuc exſtante, diſputat, Olim, ubi pauperrimæ erant Chriſtianorum Eccleſiæ, ex ligno, ſucceſſu temporis autem ex marmore, confici ſueviſſe tales cathedras, narrat. Varias veterum paganorum thermas marmoreas in uſum ejusmodi ſedium fuiſſe converſas, judicat. Antiquiſſimis jam temporibus, & in cryptis ſubterraneis, ubi precum cauſa conveniebant Chriſtiani, ſedes illas epiſcopales frequentari ſueviſſe, talesque in cœmeteriis Romanis adhuc deprehendi, commemorat. Urna quædam antiqua, cujus figuram Clariſſ. Autor exhibet, ritum ſponſaliorum, apud Romanos ſolennem, inſculptum præ ſe fert. Varias variorum, ſigillatimque *Begeri*, circa hujus monumenti explicationem, Autor affert ſententias. Nonnulla itidem, ad ritum ſponſaliorum ſpectantia, adſtruit. De nuptiis per confarreationem, varia, ab aliis tamen jam dudum obſervata, cum lectoribus communicat. Menſe Majo, nec non calendis, nonis, & idibus, uniuscujusque menſis, nuptias minus proſpere contrahi, Romanis fuiſſe perſuaſum, obſervat. *Caſtoris* & *Pollucis* effigies, monumento nuptiali additas, ſymbola fœcunditatis fuiſſe, monet. Quamvis vero *Caſtorem* equis, & *Pollucem* pugnis, nobilem Poetæ finxerint; ambo tamen in hac urna equos ducentes viſuntur. Unicuique enim eorum artem equitandi a veteribus ſubinde tribui, imo geminos iſtos nonnunquam *Caſtores* ſimpliciter vocari, Clariſſ. Autor docet. Diutius in hoc cœmeteriorum propylæo commorari, cupiditas ipſarum ſpecuum ſubterranearum, Clariſſ. Autore facem præferente, obiter luſtrandarum, prohibet. Monumenta ſepulcralia, in memoriam Chriſtianorum exſtructa, & figuris e

Pag. 13. 17. 19.

Scriptura S. maximam partem petitis, decora, hic nobis ſe offerunt. *Pilatus*, ſe cædis Chriſti cauſam non fuiſſe, teſtatus, manusque ideo lavans, in ſarcophago antiquo exhibetur. Hebræi, ſe ſanguine innocentis manus non contaminaſſe, per talem lotionem quondam indicare conſueverant, cum contra Romanis & Græcis, poſt cædem aliquam perpetratam, manus abluere moris eſſet. Cum ergo in varias ſententias viri docti, inſigni numero citati, abeant, &, num ritum Romanum, an vero Judaicum, reſpexerit *Pilatus*, diſceptent, Cl. Autor ultimæ opinioni calculum ſuum adjicit, Præſidem illum, more, Judæis, apud quos quippe tunc commorabatur, ſolenni, innocentiam ſuam hoc pacto teſtatum eſſe, conten-
Pag. 4. dens. Cum in arca quadam, ubi ſacrificium *Cainis* & *Abelis* delineatum eſt, Deus ſub viri gravis forma effictus deprehendatur; Clariſſ. Autor illud opus pro recentiori merito habet, &, antiquos Deum ſub hominis ſpecie nunquam pinxiſſe, ne Anthropomorphitarum erroribus viam ſternerent, obſervat.
9. Acceptationem ſacrificiorum a Deo quondam per ignis dejectionem fuiſſe declaratam, antiquorum jam fuit, prout Autor monet, ſententia. Protoplaſtorum lapſus in ſepulcris Chriſtianorum, ex mente Clariſſ. Autoris, ideo frequenter cernitur, ut veritas illius narrationis contra cavillationes paganorum eo firmius imprimeretur fidelium animis. *Celſum* enim, contra quem *Origenes* ſcripſit, omnem illam narrationem riſiſſe, & tanquam figmentum Chriſtianorum, hiſtoriam mortis Chriſti hoc pacto indicari credentium, traduxiſ-
15. ſe, idem nos docet. *Cubicula*, ſeu *capellas*, in cœmeteriis Romanis deprehendens Clariſſ. Autor, eas quidem certiſſimum ultimæ antiquitatis horum cœmeteriorum præbere argumen-
19. tum, ſibi perſuaſit. Talia enim cubicula *loculis*, id eſt, ſepulcris, in lateribus parietum conſtitutis, multo antiquiora eſſe, ex eo judicat, quod cubiculorum picturæ per conſtructionem loculorum fuerint corruptæ. Loculos autem, perſecutioninibus adhuc contra Chriſtianos ſævientibus, exſtructos eſſe, ſtatuit, cum poſtea non opus fuerit Chriſtianis, cadavera mortuorum in iſtis ſpecubus ſubterraneis ſepelire, & affabre pictas

pictas capellas hoc pacto corrumpere. Hac autem occaſione, *Jo. Dalleo*, qui, primis poſt C. N. Seculis nullum fuiſſe in Chriſtianorum oratoriis imaginum uſum, contendit, acrem ſcribit dicam, eumque vel horum monumentorum inſpectione confutari poſſe, clamitat. Sed bona verba quæſumus, Clariſſime Autor, cui *Dallæus* fruſtra profecto vapulat. Non ſolum enim exploratum non eſt, an picturæ, hiſce capellis inditæ, antiquæ ſint, an vero a recentiore & ſuperſtitioſo artifice fuerint additæ; jam ſupra enim exemplum recentioris picturæ in hiſce cœmeteriis vidimus; verum & probari nequit, picturas illas, quantumvis antiquas, uſibus religioſis inſerviiſſe, cum potius in honorem & memoriam Chriſtianorum defunctorum unice videantur confectæ. Cum larvis vero pugnat Clariſſ. Autor, quando, *Dallæum* confutaturus, &, imagines quarto jam Seculo in uſu fuiſſe, probaturus, ad literas *Paulini* provocat. Diſcere enim debebat, neque *Dallæum*, neque alios, a *Friderico Spanhemio* in *Hiſtoria imaginum reſtituta* laudatos, unquam hac de re dubitaſſe, uſum imaginum hiſtoricum, inclinante Seculo quarto, inter Chriſtianos fuiſſe introductum, conceſſiſſe, & ad ipſum *Paulinum* provocaſſe. Inter ſacras autem haſce picturas, *Orpheum*, ſaxo inſidentem, citharamque pulſantem, nobis ſiſtit Clariſſ. Autor. Feminalibus, ſeu braccis, quas *Philoſtratus*, *Orphei* habitum deſcribens, ἀναξυρίδας vocat, indutum hic conſpici *Orpheum*, obſervat, ideoque *Gothofredum Olearium* confutat, qui in *Animadverſionibus ad Philoſtratum Lib. I Cap. 25*, *Orpheum* nunquam cum talibus ἀναξυρίσι pictum fuiſſe, perperam tradidit. *Orphei* autem effigiem inter monumenta Chriſtiana occurrere, ideo exiſtimat, quod, ex verſibus *Orphicis* pariter, ac *Sibyllinis* Carminibus, inſigne præſidium religionis Chriſtianæ deſumi poſſe, crederent veteris Eccleſiæ doctores; quamvis, hæc ipſa Carmina, a quodam Chriſtiano pia fraude dubio procul conficta, adulterina eſſe, Clariſſ. Autor ex vero judicet. Chriſtum, *Lazarum* reſuſcitantem, in ſepulcro quodam conſpicuum, idem nobis ſiſtit, idque ſepulcrum minus affabre, & more Gothico, conſtructum eſſe, adeoque ad- Pag. 30.

Pag. 71. modum recens opus dici debere, non diffitetur, unde facile apparet, non omnia monumenta, in hiſce cœmeteriis obvia, antiquitatis mereri laudem. Servator, ſub habitu boni paſtoris in alio quodam ſepulcro depictus, fœminas duas, ipſum adorantes, ad latus habet. Etiamſi autem illi, qui preces fundunt, frequentiſſime ſtantes in monumentis antiquioribus deprehendantur; exinde tamen non ſequi, morem, genua in actu precum flectendi, recentiorem eſſe, Clariſſ. Autor urget, quin potius, excepta die dominica, & tempore Paſchatos, usque ad feſtum Pentecoſtes, in genua provolutos oraſſe Chri-
74. ſtianos, ex loco *Tertulliani* comprobat. *Nabuchodonoſarem*, Babyloniæ Regem, imaginem auream, ſexaginta cubitorum altitudine conſpicuam, & ab omnibus adorandam, fieri curaſſe, ex vaticinii *Danielis Cap. III* diſcimus, quæ hiſtoria in ſepulcro quodam depicta hic cernitur. Non vero ſtatuam, ſed *buſtum* duntaxat, ſeu columnam, in hoc monumento conſpici, coram qua triumviri, imaginem adorare recuſantes, in fornacem ignitum ideo conjiciendi, compareant, Clariſſ. Au-
78. tor monet. Ineptum certe pictorem opus hoc confeciſſe, ejusque delineationem narrationi *Danielis* contrariam eſſe, unusquisque dixerit. Clariſſ. Autor tamen, nimiam erga hæc monumenta reverentiam prodens, exiſtimat, imaginem, cujus apud Prophetam ſit mentio, de ſola columna, ſeu baſi, capiendam eſſe, cui ipſa ſtatua, forſan ſatis parva, fuerit impoſita. Veteres enim idolorum cultores divinitatem per meras columnas deſignaſſe, ut oſtenderent, Deum hominum figura non poſſe exprimi, ex *Clemente Alexandrino* monſtrat. Neque credi facile poſſe, ſtatuam auream tantæ molis a Rege Babylonico eſſe factam, urget, cum præſertim latitudo ſex cubitorum altitudini ſtatuæ ipſi non videatur reſpondere. Quicquid horum ſit, univerſam illam molem ex puro auro fuiſſe conflatam, textus *Danielis* citatus, ſtatim ſub initium, diſertis verbis innuit, univerſaque Clariſſ. Autoris ſententia illico corruit, ſi locum illum cum præcedentis *Capitis verſu 31* & ſequentibus quispiam comparaverit, unde nimirum intelligitur, *Nabuchodonoſarem*, ſpeciem imaginis iſtius incon-

ditæ,

Digitized by Google

ditæ, & ingentis molis, quæ ipſi in ſomniis apparuerat, effingi, & hominum oculis proponi, curaſſe. Ignorantia certe pictoris, quem Autor fruſtra defendit, vel ex eo apparet, quod monarcham Babylonicum, habitu Romano inſignem, haſtam puram manibus tenentem, & lictorem cum faſcibus ad latus habentem, exhibuerit, loco triumvirorum autem, quos, imaginis adorationem horruiſſe ſcimus, duos duntaxat pinxerit. Inſuper nobis incompertum eſt, quare illos ipſos veri Numinis cultores, quos *viros* nominat Scriptura ſacra, quosque muneribus publicis præfectos eſſe, narrat, *infantes Babylonicos (fanciulli di Babilonia)* Clariſſ. Autor vocitet. Cum in latere capellæ cujusdam, cœmeterii, in via Latina poſiti, parietem picturis exornatum deprehendiſſet Autor; Canonem Concilii Eliberitani, A. 305, ut videtur, celebrati, ubi *id, quod adoratur, in parietibus pingi prohibetur*, affert. Varias variorum, inque his *Dallæi*, interpretationes iſtius Canonis apponit, qui, uſum imaginum hoc Canone non omnino fuiſſe prohibitum, ſtatuit; ſed, Deum duntaxat, quippe qui colitur & adoratur, depingi in Eccleſiis, nefas duxiſſe ſanctos Patres, inculcat. Quamvis autem ea Canonis explicatio ſatis appoſita ſit; Autor tamen, de induſtria cœcutiens, & veritatem abhorrens, illam valde exagitat, in cœmeteriis Romanis Deum, & Chriſtum, pictos, & marmori inciſos, ſæpius conſpici, tradens, eumque adeo morem Eccleſiæ primitivæ ſolennem jam fuiſſe, aſſeverans. Sibimet ipſe autem hac in re non conſtat, qui ſupra, prout vidimus, Chriſtianos veteres nunquam Deum forma humana conſpicuum effinxiſſe, omniaque opera, quæ talem figuram præ ſe ferunt, recentia dici debere, contenderat. Neutiquam vero nobis arridet *Philippi Bonarottii*, quantumvis ab Autore laudata, Canonis hujus explicatio, qui, figuras parietibus duntaxat inſeri, nefas duxiſſe Chriſtianos, ſtatuit, ſed, eas potius metu perſecutionum ita comparatas fuiſſe, contendit, ut facile in alium locum potuerint transferri. Certe ſententia ejus falſo nititur fundamento, quando Chriſtianis veteribus nimiam erga imagines reverentiam tribuit, & per id, quod colitur & adoratur, ipſas intellexit

Pag. 106.

tellexit

tellexit picturas, quam tamen fœdam ſuperſtitionem jam tum Eccleſiam inquinaſſe, nemo, qui ſupra vulgus ſapit, in hodierna literarum luce credet. Imo, ut libere cogitata noſtra circa hunc Canonem explicemus, omnem imaginum in ſacris fidelium iſtius loci congregationibus uſum hic prohibitum eſſe, credimus, cum fortaſſis S. S. Patres mala, ex earum uſu oritura, prævidérent. Hanc interpretationem verba Canonis generalia, & proxime præcedentia: *Placuit, picturas in Eccleſiis eſſe non debere*, ſuadent, cum inprimis Hiſpani rigidiſſimi fuerint diſciplinæ eccleſiaſticæ cuſtodes, prout inter alios Illuſtris *Bœhmerus*, JCtus Halenſis, in Diſſertatione *de Juribus diverſis, ex diverſitate climatum natis*, §. 2 obſervavit. De templi, in honorem S. S. *Marcellini* & *Petri*, tumulo eorum ſuperſtructi, ruderibus aliquam Clariſſ. Autor ſuppeditat notitiam. A *Conſtantino Magno* illud templum fuiſſe ædificatum, contendit, hac occaſione obſervans,

Pag. 112. Chriſtianos admodum libenter templa ſua Martyrum ſepulcris impoſuiſſe. Hoc ipſum illis *Gallienum* Imperatorem jamjam facere permiſiſſe, & ideo Eccleſias nonnunquam *titulos* a ſcriptoribus antiquis, v. c. *Prudentio*, vocari, nos docet. Plenius multo & accuratius de hac compellatione templorum egiſſet dubio procul Clariſſ. Autor, ſi Illuſtris *Bœhmeri* præſtantiſſimam Diſſertationem, quæ inſcribitur: *Specimen Jurisprudentiæ antejuſtinianeæ, ex Auguſtino, Hipponenſi Epiſcopo*, ejusque §. 33, conſerre, & in rem ſuam vertere, ipſi datum fuiſſet. Cumque inſuper in libro, qui antiquitates ſub terra quærendas continet, rudera hujus templi Autor deſcripſerit, utique extra oleas vagari dicendus eſt. In hoc ipſo interim templo ſepulcrum, in quo *Helena*, *Conſtantini Magni* mater, recondita eſſe creditur, fuiſſe repertum, narrat. Sarcophago porphyretico corpus iſtius Principis fuiſſe incluſum, ex *Anaſtaſio Bibliothecario* conſtat. Figuram vero aliquam, quæ hodie vix dignoſcitur, & quam nonnulli pro hiſtoria quadam pagana habuerunt, eidem inſculptam eſſe, Clariſſ. Autor monet. Sæpius enim Chriſtianos ſarcophagis, & mauſoleis, quæ pagani confecerant ad ſepelienda mortuorum corpora,

pora,

Digitized by Google

pora, uſos eſſe, variis exemplis docet. Inſcriptionem denique ſepulcralem, quam Canonici Lateranenſes, in quorum quippe Eccleſiam ſarcophagus iſte ab *Anaſtaſio IV* Pontifice translatus eſt, in honorem *Helenæ* confecerunt, integram apponit. Capellam, in cœmeterio S. S. *Marcellini* & *Petri* conſtitutam, deſcribens, in iſtis capellis tempore perſecutionum Miſſas celebrari conſueviſſe, obſervat, cum illud publice, & coram populo, fieri prohiberent Proconſules. Imo, poſt pacem Eccleſiis redditam, uſum ejusmodi capellarum adhuc viguiſſe, ex Concilii Gangrenſis Canonibus erudite docet. Nos quidem facile largimur, Miſſas in antiquis illis capellis fuiſſe celebratas, & in eo potiſſimum Clariſſ. Autori ſuffragamur, quando, cerimonias, hodie in miſſarum celebratione uſitatas, tunc nondum adhiberi ſueviſſe, inculcat. Verum inſuper adhuc addimus, longe aliud quid per *miſſam* intellexiſſe Chriſtianos veteres, quam quidem hodie intelligunt papicolæ. *Miſſam* enim *celebrare*, idem erat, ac *divino cultui publice vacare*. Nimirum Miſſa non tantum S. Euchariſtiæ adminiſtrationem, ſed & alias cultus divini partes, denotabat. Hinc *Jo. Caſſianus Lib. II de Inſtitutis Cœnobiorum Cap. 13* crebram *miſſæ nocturnæ* facit mentionem. In Canone 30 Concilii Agathenſis, A. C. 506 in Gallia Narbonenſi celebrati, apud *Harduinum Tom. II pag. 1001* mentio fit *matutinarum & veſpertinarum miſſarum*, per quas nihil aliud, quam preces matutinæ & veſpertinæ, poſſunt intelligi. Eodem ſenſu *Adamnanus*, qui Seculo ſeptimo floruit, in *Vita Columbani Lib. III Cap. 29* apud *Jac. Baſnagium* in *Theſ. monument. Eccleſ. Caniſiano Tom. I pag. 706* vocabulo *veſpertinalis miſſæ* uſus eſt. Neque attinet plura hanc in rem congerere teſtimonia, cum ipſemet *Jo. Mabillonius*, præcipuum Romanæ Eccleſiæ decus, in *Diſquiſitione de curſu Gallicano pag. 107* & *393* idem evidentiſſime demonſtrarit. Hinc etiam *miſſas privatas*, quarum apud *Cyprianum* jamjam occurrere mentionem, Clariſſ. Autor obſervat, pro cultu divino, in ædibus privatis celebrato, habemus, cum profecto miſſæ illæ privatæ, ſeu *ſolitariæ*, Pontificiis frequentes, quales dicuntur, ubi ſolus ſacerdos communicat, puriori

Pag. 146.

Digitized by Google

riori Eccleſiæ prorſus fuerint incognitæ, prout vel ipſemet *Jo. Bona rer. liturg. Lib. I Cap. 13 §. 11* diffiteri non auſus eſt, ut adeo earum originem, ab ignavis monachis, qui ſequiori ætate vixerunt, repetendam, ab uſu capellarum perperam derivet Autor. *Sacrificium* vero, quod S. *Ambroſius*, Romæ conſtitutus, *in domo obtuliſſe* dicitur, tantum abeſt, ut pro ſacrificio propitiatorio, quale Concilium Tridentinum confinxit, habeamus, ut potius, S. Cœnam familiæ cuidam exhibuiſſe ſanctum Patrem, exiſtimemus. In ſacris enim euchariſticis vox *ſacrificii*, ſeu θυσίας, Seculo IV frequenter uſurpatur, tam *metonymice*, propter commemorationem veri ſacrificii, quam *metaphorice*, ob preces, gratiarum actiones, & oblationes ſpirituales, nec non *catachreſtice*, propter oblata a populo in uſum euchariſticum ſymbola panis & vini, quæ hinc προσφοραὶ, δῶρα, ἅγια δῶρα, dicta ſunt, uti præclare obſervat *Fridericus Spanhemius* in *Hiſt. Eccleſ. Sec. IV Tom. I Operum pag. 847*. Et ad hujus quidem generis ſacrificia ſpiritualia Miſſam quodammodo referri poſſe, etiam apud nos in *Apologia Aug. Conf. pag. 253* inculcatur. Cum in cœmeterio S. S. *Marcellini* & *Petri* triclinium, in quo convivium celebratur, Clariſſ. Autor depictum deprehendiſſet, in quo convivæ ſedentes conſpiciuntur, antiquos ſæpius ſedentes epulatos eſſe, ex variis veterum locis comprobat, eamque rationem inprimis in conviviis, honori mortuorum inſervientibus, quale in
Pag. 171. hac pictura exhiberi creditur, uſu veniſſe, nos docet. Figuræ duarum fœminarum, in eodem triclinio ad peculiarem menſam ſedentium, duas ſervas, cibum & potum convivis
168. miniſtrantes, indicare, Clariſſ. Autori videntur. Fœminas enim ſæpius convivis miniſtrare apud antiquos ſueviſſe, & ſedendo cibum potumque, convivis exhibendum, patinis poculisque indidiſſe, ex variis monumentis comprobare annititur.
169, 170. Unaquæque earum ſervarum inſcriptionem præ ſe fert. Et in priori quidem leguntur verba: IRENEDA, CALDA, in altera vero AGAPE MISCE MI. Inſcriptiones has mutilas eſſe, ex noſtra ſententia vere ſtatuit *Aringhius*. Clariſſ. Autor vero, eundem confutaturus, nihil in illis deſiderari, exiſtimat. Quamvis autem,

Digitized by Google

autem, fœminas illas *prægustatrices* fuiſſe, earumque alteram *Irenen*, alteram *Agapen*, dictam eſſe, conjiciat, plurimaque de mixtione vini, & uſu aquæ calidæ, in epulis, ex antiquitatibus convivalibus afferat; nondum tamen intelligimus, qualem ſenſum hæ Inſcriptiones fundant, ſi, nihil earum integritati deeſſe, ſtatuamus, earumque genuinam explicationem fruſtra quæſivimus. Plura poſſent facili negotio a nobis afferri, quæ, multa potius, quam bona, Autorem congeſſiſſe, & ſolum nobis adhuc ſuffeciſſe *Aringhium*, liquido oſtenderent; verum, cum jam diu ſatis in hiſce ſpeluncis hæſerimus, in lucem nunc revertendi utique tempus eſt.

POMPONII MELÆ DE SITU ORBIS LIBRI III, cum Notis integris HERMOLAI BARBARI, PETRI JOANNIS OLIVARII, FREDENANDI NONII PINTIANI, PETRI CIACCONII, ANDREÆ SCHOTTI, ISAACI VOSSII, & JACOBI GRONOVII. Accedunt PETRI JOANNIS NUNNESII Epiſtola de patria Pomponii Melæ, & Annotata in Proœmium atque duo priora Capita Libri primi; & JACOBI PERIZONII Annotatio ad Libri I Capita ſeptendecim. Curante ABRAHAMO GRONOVIO. Editio altera.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmanns & filium, 1748, 8 maj.

Alph. 4 plag. 9.

Novam hanc Geographi veteris editionem ſive ſtudium promovendæ rei literariæ ſuaſerit *Luchtmanno*, id quod perhibet Cl. *Gronovius*, illum *amicum ſuum* laudans & *præclarum Virum*, ſive, quod de bibliopola facilius credas, ſuæ rei ſtudium & luculenti lucri ſpes affulgens, quale ex priore, cupide diſtracta, & prorſus exhauſta, perceperat, imperaverit; debent profecto eruditiſſimo *Gronovio* & *Melæ*, & ejus, literarumque, ſtudioſi, gratias de poſterioribus hiſce curis, non uno nomine prioribus præferendis, quod ambas inter

ſe conferenti facile patet, & ut aliis quoque conſtet, jam nunc efficiemus, indicando ſigillatim, quæ de priore editione, quam, curatam A. 1722, hæc *Acta Menſe Majo Anni 1723* recenſuerunt, detracta, & cetera, quæ nunc primum huic addita fuerunt. Et primo quidem loco commemoranda venit Præfatio, tota nova, e qua, quæ ad hiſtoriam hujus libri pertinent, mutuabimur; tum, ſi quis commodioris tractationis gratiam ſectetur, nova libri diſtributio in *duo Volumina*, quorum poſterius ab *Iſaaci Voſſii* Commentariis orditur. Id deinceps novum eſt, Præfationes & Dedicationes *Barbari*, ceterorumque interpretum, quæ priori *Melæ Gronoviano* præmiſſæ fuerant. ad finem *Voluminis* item *ſecundi* rejectas, & aſſervata denique fuiſſe omnia prioris editionis, præter ea, quæ finem ejus olim occupabant, a *Mela* certe aliena. Sunt autem hæc *Julii Honorii*, Oratoris, excerpta, Coſmographia, & Anonymus Ravennas. Quorum in vicem, & in operis egregium ornamentum, ſucceſſerunt nunc primum additi conatus, ſed imperfecti, *Jacobi Perizonii*, viri eruditiſſimi, & *Abrahami* noſtri ad Geographum notæ, nunquam antea typis proditæ. Nam *Perizoniana* illa, quamvis adhucdum in nulla *Pomponii* legerentur editione, jam tamen in *Obſervationibus miſcellaneis criticis* Amſtelodamenſium prodierant; unde huc tranſlatæ fuerunt. Denique, quæ præcipua & maxime conſpicua dos eſt hujus editionis, per eam multo nunc, quam antea, legitur *Mela* emendatior, quod in ipſo ſtatim ingreſſu deprehendet Lector. Nam *Lib. I Præfat.* initio, cum olim proſtaret, *opus — adſpici cognoſcique digniſſimum & quod ſine ope ingenii orantis, ac ipſa ſui contemplatione, pretium operæ attendentium abſolvat*, nunc legitur multo elegantius, ne cetera repetamus, *& quod, ſi non ope ingenii orantis, at ipſa ſui contemplatione.* Scilicet non ſatis porro habens Vir Cl. ut olim habuerat, aliena in unum volumen congerere, dignum ſe ſuisque majoribus exiſtimavit, id efficere, ut ſuo quoque beneficio in poſterum ornatior haberetur Geographus, *Gronoviorum* pæne dixeris cliens & domeſticus hoſpes, præſertim cum opes eam in rem præclaræ ad manum eſſent, quas aut privata Biblio-

theca

theca ſuppeditabat, magno ſtudio & delectu a patre quondam atque avo coacta, & MStis Codicibus, aut MStorum collationibus, mirum in modum dives, aut Academiæ Leidenſis publica, cujus laudabilem curam & adminiſtrationem Cl. Vir cummaxime gerit poſt *Petrum Burmannum*, qui vir, pro ea, qua pollebat, egregia in literatos humanitate, & augendæ alienæ famæ, reique literariæ, ſtudio, videtur curaſſe, ne a Leidenſium publicis opibus, cuſtodiæ ſuæ creditis, per operam non ſuam emolumenti quid ad priorem *Melam* accederet. Aſſervat autem publica Leidenſium Bibliotheca ſeptem manu exaratos Codices *Melæ*, quorum Leidenſem præcipue appellat Cl. *Gronovius* in notis ſuis eum, qui jam dudum ante ibi habebatur, quam redemti magno ære Codices *Voſſiani* ex Anglia illuc importarentur. Ceteros quinque *Voſſianos* iisdem numeris excitavit, quibus eos *Perizonius* inſigniverat. Septimus Leidenſium eſt e legato *Perizoniano*. Codicem de ſuis unum, octavum, illis addidit Vir Cl. *Gronovius*, membranaceum, perelegantem, ut inſpicienti patet, quem noſtri *Abrahami* patri, *Jacobo*, dono quondam dederat *Petrus Deinotus*. Inſuper adjutus fuit Vir Cl. variantibus lectionibus trium Codicum MStorum, Mediolanenſis, *Chiſiani*, atque *Gudiani*, de quibus *Jacobus* jam diſſeruit in poſterioris editionis ſuæ Præfatione. Hos inter undecim Codices præſtantia vincunt *Voſſianus* primus, qui a *Voſſio* & *Perizonio* tanquam omnium MStorum optimus merito laudatur, atque Mediolanenſis. Uſus etiam fuit Vir Clariſſ. Excerptis manuſcriptis geminis, quorum quæ ſit ratio, paulo poſt pluribus exponemus, plurimis item antiquis Geographi editionibus, & præcipue Mediolanenſi, omnium prima, quæ A. 1470 prodiit, e qua tamen quin fructus, quos potuerat, & adjumenta, pro voto ſuo perciperet, obſtitit male feriata *Hannibalis Crucei* ſedulitas, qui eo quidem ex exemplari eraſis primis lectionibus *Hermolai Barbari* emendationes ſubſtituerat. *Aldinam* quoque conſuluit, A. 1518 Venetiis editam, & *Juntinam* Florent. A. 1519, & Pariſienſem A. 1572 *Eliæ Vineti*, denique Iſcanam, ſeu Exonienſem, quam, ad Codicum MStorum Angliæ & Hiberniæ omnium

fidem ſumma cum diligentia recognitam, cum tabulis geographicis A. 1711 publicavit Vir doctiſſimus, *Joannes Reynoldus*, ſcholæ publicæ apud Iſcanos moderator. Meminimus, hæc omnia præſidia jam laudata & adhibita fuiſſe Cl. Viro ad editionem *Melæ*, paucis abhinc annis forma minore curatam. *Petri Ciacconii* notas ad *Melam* habet quidem etiam ſuperior editio, a Cl. *Havercampo* impertitas, at non æque plenas & integras & emendatas, atque hæc, quod comparaturus intelliget. Scriba nempe, qui omnia, quæ *Capite decimo ſexto Libri primi* poſteriora ſunt, exaraverat, imperitia ſua Latini, & Græci maxime, ſermonis, rerumque geographicarum, adeo turbaverat, ut Cl. *Gronovius*, cum jam ſuis oculis cernere poſſet, neque amplius deberet alienis fidere, jam invidia τῦ δῦνα liberatus, ipſe transſcribere neceſſe haberet, & in juſtum ordinem redigere, qua pote, & Autorum loca ex illis editionibus integrare, quibus *Ciacconius* uſus fuiſſe videbatur. Has notas excipiunt annotata in *Proœmium* & *duo* priora *Capita primi Libri*, eodem volumine, quo notæ *Ciacconii*, comprehenſa. Exſtat autem illud in Bibliotheca Leidenſis Academiæ publica, indeque ante hos undecim annos inſerta fuerant *Tomo primo Voluminis ſeptimi miſcellanearum Obſervationum*, quas ſupra laudavimus, *Amſtelodamenſium*, cum notis clariſſimorum Virorum, *Perizonii* & *Dukeri*, quæ & hic repetuntur.

Finiunt hæc *primum Volumen* hujus editionis. *Alterum* ordiuntur *Iſaaci Voſſii* notæ, & perficiunt apoſpaſmation *Perizonianum*, notæque *Abrahami* noſtri, cum notulis, quas operi ſuo intexuit, *Franciſci Oudendorpii*, Viri clariſſimi. Quæ poſtrema cum omnino recentia ſint, de ceteris aliunde jam conſtet, & ſcire cupido conſtare queat, id agemus tantummodo, ut eorum, quæ hi Duumviri, poſtremo loco laudati, nova dederunt, ſpecimen & velut prægustum exhibeamus. Quod antequam fiat, præmittenda adhuc de clauſula recentiſſimæ *Gronovianæ* Præfationis admonitio. Ait nempe Vir Cl. mirari ſe, qui fiat, ut elegantiſſimi hujus Compendii geographici mentionem inter vetuſtos præter *Servium* nemo fecerit; cum tamen monachi mediorum temporum, ſi quem ullum alium,

Melam

Melam frequentiſſime exſcribendo exercuerint, & alii eorum æquales Geographi eorum Autores, nondum typis editi, eum ſuis compilationibus intexuerint, quod ait ſibi e duobus conſtitiſſe, quorum lucubrationes geographicæ, in membrana exaratæ, in publica Bibliotheca, Leidenſi nimirum, inter Codices MStos *Voſſianos* exſtant. Horum unus Seculo nono, alter quinto & decimo, vixiſſe perhibetur a Cl. Viro, & utriusque Codicis ætas ad ipſam Autorum ætatem accedere. Prioris Autorem non quidem nominari, ſatis tamen apparere, eum fuiſſe Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopum illo ferme tempore, quo Normanni, Sequanam invecti, Rothomagum ceperunt & diripuerunt. Et poſtquam initium totum exhibuiſſet Vir Cl. Dedicationem puta ad D. Venerabiliſſimum Regemque glorioſiſſimum *D.K.G.* id eſt, *Carolum Calvum*, addit, ejus operis *Libro ſecundo* magnam continentis Europæ partem iisdem pæne verbis deſcribi, quibus uſi fuerant ab Epiſcopo laudati Autores; ideoque ſe, ut opera ſua dignam rem, quæ Gallus a *Pomponio Mela* deſumſerat, cum editis comparare inſtituiſſe; quo facto, omnium cum optimis Codd. MStis amicum conſenſum deprehenderit. *Prima* hæc appellavit Excerpta, ut, quæ poſteriori atque recentiori Codici debentur, *ſecunda*. Et hæc ſunt illa Excerpta, quorum paulo ante mentionem faciebamus. Continet autem, ex indicio Cl. *Gronovii*, poſterior Codex, nitidiſſime exaratus, tabulas inſularum maris mediterranei, variis coloribus affabre delineatas, cum addita earundem deſcriptione, atque ambitus per paſſuum numeros deſignatione, & mappas geographicas Syriæ, Britanniæ, Hiberniæ, Taprobanes, Italiæ & Illyrici, Hiſpaniæ, Galliæ, aliarumque regionum. Etiam hujus initium in ſpecimen exhibitum fuit ſub finem Præfationis, & admonitum, in eo Codice *Melæ* particulam, quæ de Britannia exponit, repertam, & cum editis comparatam fuiſſe.

Tantum eſt, quod ex nova Præfatione afferendum duximus. Nunc partes noſtras ſuſcipiamus, & ſpecimen animadverſionum *Abrahami Gronovii* ad *Melam* adjiciamus. Decurrunt illæ a *pag. 975* usque ad *pag. 1036*, per quatuor integras pæne plagulas, eoque tendunt, ut vel indicent dijudicentve Codicum

utrius-

utriusque generis diſcrepantias, vel recens invectis lectionibus a conſenſu aliorum Autorum fidem faciant, aut, quæ loca *Melæ*, & quibus, peculiari cura tractata fuerint, ſignificent. Ita *pag. 975* exemplorum numero non contemnendo probatur, elegantem & uſu frequentem priſcis dictionem fuiſſe, *ſi non, — at*, vel *at tamen*, ad illum locum, quem ſupra ſub exordium ſtatim hujus narrationis laudabamus. Quod ipſum *Oudendorpius* quoque conſenſu ſuo & aliis exemplis confirmat. Eadem quoque *pag.* obvia conjectura *ornantis*, pro *orantis*, quæ fere nequit in lectoris, quisquis tandem ille ſit, animum non incidere, tam a *Barthii* autoritate, quam *Jacobi Gronovii* Diſſertatione, olim inedita, & in privatis ſcholis tradita, roboratur. *Pag. 978* contendit *Oudendorpius*, *porrecta* non *ad occaſum*, ſed *in occaſum*, recte dici & ſcribi, & *pag. 981 huc usque permittere*, non *promittere; pag. 982 alluere*, vel *adluere*, *ripam* de fluvio, non *abluere*, multaque eo ex capite veterum loca emendat, quod aſſerit, magnique litem momenti, niſi aliis, ipſi certe, futuram committit cum *Burmanno*, qui ſecus ſtatuerat, ultro certo certius hoſtem, ſi viveret. *Pag. 984* veretur idem, ut Latinum ſit *in mare attingere*, pro *ad mare;* ideoque conjicit, *Libri I Cap.* 4 ſub finem legendum eſſe *quæ intus mare attingunt*. Non contemnenda eſt ejusdem ad *lin. 7* conjectura, duce *Voſſiano* Codice ſcribentis: *ob vadorum frequentiam brevis*, quod *Gronovius* Græca phraſi βραχεῖα θάλασσα illuſtrat & confirmat. *Pag. 989* conjicit *Abrahamus*, *quadra ſede*, pro iſtis, *ſua ſede Cap. 9 Lib. I*, eo quod in Codd. *jugera quæ ſede* reperiatur. Pater ejus *æqua ſede* conjecerat. *Pag. 990* contendit *Oudendorpius*, *ſervatæ Perſeo Andromachæ* rectius, quam *ſervatæ a Perſeo*, dici. *Pag. 993 Gronovius*, elegantius *bella mercedibus agere*, quam *mercede*. *Ibid.* & *pag. 994* conjiciunt ambo, *Schœnus lambit* (pro *ambit*) *Hylam*, *Cap. 16* & 17, *urbem Hippum annis Mæandri exitu* (non *exitum*) — *nobilem*, &, ne quis dubitaret, eam dictionem *nobiles aliqua re*, probæ Latinitatis eſſe, noluit *Oudendorpius* exempla deſiderari, moniti memor, quod a magiſtro acceperat, minuta & in vulgus nota firmanda eſſe autoritatibus, quo nempe certior

tior ſit & promtior fides, majora & dubia magis abſque au-toritate tradentibus. *Pag. 995 Cap. 17 lin. 29* pro voce *muri* (*in illis confinio annexa muri*) conjicit *Gronovius Mimantis*, ideo quod omnes MSti libri *maris* habeant, & ad *Cap. 18 lin. 49 in illis: ab his fit arctius mare, nec jam alluit terras*, conjicit idem *abigit*, loco *abluit*. *Pag. 1006* producit idem emendationem Barentis ad *Marcianam Capellam Lib. VI pag. 210: ſexagenis ab utroque litore ſtadiis ab ipſa ſumma arce, quæ dicitur Acrocorinthos*, quo loco vulgo legitur *a Piſa ſummæ arce*. *Pag. 1010* ad *Cap. 5 Lib. II* obſervat *Oudendorpius, in portu eſſe* idem notare, atque *intra portum eſſe*; quaſi hoc tironum aliquis neſciret. Mittimus reliqua, id unum notantes adhuc, textum *Pomponii Melæ*, quem hæc editio exhibet, ab illo ſuperioris editionis vehementer diſcrepare; cujus rei, ob nimiam copiam, ſupervacaneum eſt, exempla afferre; & alterum hoc: in notis *Oudendorpianis* allegari ſæpius Codicem MStum *Pomponii Dorvillianum*, quem quare non uſurpaverit Cl. *Gronovius*, miramur; itemque tertium hoc & ultimum, in iisdem notis *Oudendorpianis* grande illud ſplendidumque, & genuino *Burmanni* pullo dignum, *Vide me*, paſſim eminere.

VATICINIA CHABACUCI ET NACHUMI, itemque nonnulla Jeſaiæ, Micheæ, & Ezechielis, oracula, obſervationibus hiſtorico-philologicis ex Hiſtoria Diodori Siculi circa res Sardanapali illuſtrata, Autore M. JO. GOTTLIEB KALINSKY, Verbi divini in Eccleſia Landeshuttenſi Miniſtro. Præmittitur Præfatio JOANNIS FRIDERICI BURGII.

Wratislaviæ, impenſis Jo. Jacobi Kornii, 1748, 4.
Alph. 3 plag. 19.

Miram diligentiam ſpirat hoc Opus, ſuo Autore prorſus digniſſimum. Præfatio vicem tractationis ſuſtinet peculiaris. Autor Pl. Rev. *Kalinsky* Opus ſuum in *Partes duas*, totidemque

Libros, diſtribuit. *Libro priori* hiſtoriam veterum ſcriptorum de *Sardanapalo* vindicavit, & defectionem Medorum ab Aſſyriis revocavit non ad *Aſſarhaddonis* initium, ſed ad regni finem; *poſteriore* oracula prophetica, eadem hiſtoria duce, explicavit. Appendicis loco adjecit Commentationem hiſtorico-philologicam de leſſu *Jeremiæ* in obitum *Joſiæ Jer. VIII, 18*, ad finem *Cap. IX* quærendo. Nunc de ſingulis ſigillatim carptimque ſunt pauca huc transferenda, ut Autor operæ pretium ferat ab Exegetis metalli melioris. Præfatio ad illuſtrandum locum *Petrinum 2 Epiſt. I, 18, 20*, ſpectat. Prophetia ἰδίας ἐπιλύσεως ὀ γίνεται, teſte *Petro*, hoc eſt, vaticinium, quod homo, ſua adinventa & efficta ſolutione adjutus, profert, eventu non comprobatur. Γίνεσθαι ita adhibetur *1 Cor. XV, 54*, *Apoc. XXI, 6*, *Matth. V, 18*. Ἐπίλυσις eſt expoſitio, ſolutio rei involutæ, *Marc. IV, 34*, LXX *Gen. XLI, 12*. Amolitur *Petrus* a Chriſtianis ſuſpicionem fabulæ ex compoſito excogitatæ, ac argumentum, veritatem religionis Chriſtianæ confirmans, ex factis & impletis prædictionum divinarum eventis petitum, ſubminiſtrat. *C. M. Pfaffius* ſignificat, Theologiam propheticam nondum ſatis excultam eſſe. Vindices vaticiniorum, quæ in Vet. Teſt. de generis humani redemtore exſtant, recenſuit *J. A. Fabricius* in *Syllabo ac Luce Evangelii*. *Lutherus* in *Danielem*, *Bochartus* in *Epiſtola ad Tapinum*, *Franciſcus Junius*, & *J. H. Michaelis* in *Notis ad Vet. Teſt. Joannes Tilloiſonus Serm. 5, 6, 7*, *Humphredus Prideaux* in *Connexione hiſtoriæ ſacræ* & *profanæ*, *Georgius Raphelius* in *Annotationibus ad S Scripturam ex Herodoto*, *Car. Chriſtianus Reſtelius*, aliique, multam egregiamque dudum evolvendis Vet. Teſt. vaticiniis operam impenderunt. *Nicolaus Gürtlerus*, primus & ſolus fere *Syſtema Theologiæ propheticæ* laudabili conatu molitus, plura præſtitiſſet, ni *Coccejaniſmo* pollicem preſſiſſet. Tentavit jam olim nonnihil Autor, cujus libri tres promiſſionum & prædictionum Dei inſerti apparent *Proſperi Aquitanici* Operibus. Argumentum, a prophetiis pro veritate religionis Chriſtianæ deſumtum, profanitate tur-

pi

pi convellere conatus eſt *Antonius Collins; Thomas Woolſtonus* alterum, a miraculis depromtum, ſuſtinuit labefactare. Utrique ab Anglis eruditis factum eſt ſatis. Superſunt multa, in vaticiniis lucide exponendis poſita, quæ deſiderantur. Hiſtoriam antiquiſſimam, Chronologiam, Geographiam, perſpexerit oportet, qui in hoc clivo ſudare conſtituit. Regulas tradidit plurimas, huic ſcopo inſervientes, *Campegius Vitringa* in *Typo doctrinæ propheticæ*. At in rem præſentem eſt veniendum. Oracula ipſa prophetica ſunt in luce collocanda. E ſpecialibus operis recte collocatis, ac in uſum traductis, regulæ tandem formari poſſunt generales, quæ vim apodicticam præbent. Hæc eſt Præfationis ſumma, pondere ſuo haud deſtitutæ. *Libri prioris Capita* ſunt *novem*. Lector ex eorum recenſione intelligit, quantum bonæ frugis in opere ipſo ſit reconditum. Præmittuntur *Cap. I* canones generales, quos Pl. Rev. Autor obſervavit rei conſentaneos, in applicatione Chronologiæ ad oraculorum propheticorum interpretationem occupatus. *Capite ſecundo* hiſtoria defectionis Medorum ab Aſſyriis cum expugnatione *Nini* & obitu *Sardanapali* ex *Diodoro Siculo* aliisque ſcriptoribus delineatur, & fides illius adverſus ſecus ſentientes propugnatur atque defenditur. Quæ hic ediſſeruntur, olent lucernam, ac res *Sardanapali* extra omnem dubitationem ponunt. *Capite tertio* hypotheſis *Cteſiana* & *Herodotea* de tempore defectionis Medorum ab Aſſyriis breviter expenditur, &, quid explicationi *Herodoti Conringiana* repugnet, indicatur. *Herodotus* tribuit regnorum annos Regibus Mediæ 150, *Dejoci* 53, *Phraorti* 22, *Cyaxari* 40, *Aſtyagi* 35. *Cteſias* Medis, a *Sardanapalo* & Aſſyrio dominatu liberis, aſſignat 10 Reges. *Arbaci* tribuit regni annos 28, *Manduaci* 50, *Soſarmo* 30, *Articæ* 50, *Arbiani* 22, *Arſæo* 40, *Artyni* 22, *Aſtybarnæ* 40. *Aſtybaris* ac *Apandæ*, qui ſucceſſiſſe traduntur, annos *Cteſias* haud definivit. *Euſebius* ex utroque Autore hybridam 8 Regum formavit dynaſtiam. Inde evenit, ut *Juſtinus* regno Medorum tribuerit annos 350, *Euſebius* 259, *Syncellus* 283, *Capellus* 260, *Funccius* 261, *Büntingius* 264, *Calviſius* 314, *Helvicus* 322, *Petra-*

Pag. 19. 35.

nus 326. Hinc Autores de anno *Sardanapali* emortuali admodum variant. Pugnat certe Chronologia *Cteſiana* cum geſtis Regum Aſſyriæ, *Phuli*, *Tiglatpileſſeri*, *Salmanaſſari*, *Sennacheribi*, & *Aſſarhaddonis*, quæ in literis ſacris commemorantur. Medi ipſi fuerunt *Salmanaſſaro* ac Aſſyriis ſubjecti, *2 Reg. XVI, 9, XVII, 6.* Videtur *Cteſias*, omnem Mediam uni Regi ſubjectam ſemper fuiſſe, arbitratus. Permiſcuit itaque, quæ fuerant ſejungenda. Eundem morem in enumerandis Aſſyriorum Regibus ſecutus eſt. Reges, qui hic alibique regnarunt ſimul, ipſe juſſit unum ſucceſſiſſe alteri, *Herodoto* repugnaturus, ac ex laude aliena obtrita ſibi lauream promittens. *Herodoto* innotuerunt ſatis Aſſyriaca, ſi-
Pag. 40. quidem de eis ex profeſſo ſcribere conato. Quare eum aſſectati fuere *Appianus*, *Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Joſephus* Judæus, *Conringius*, *Nicolaus Abramus*, *Joannes Vorſtius*, *C. Vitringa*, *Jo. Harduinus*, *Schrœrus*, *Offerhauſius*. Aſſyriis tribuit *Herodotus* regnum annorum 520 ante defectionem Medorum per ſuperiorem Aſiam, *I, 95*; his vero 128, *I, 130*, addens hæc: *excepto tempore, quo Scythæ regnaverunt*. Huic Scytharum regno *Conringius* attribuit 28 annos. *Conringianæ* explica-
43. tionis fundamenta Noſter explicat & refellit. *Capite quarto* ſententiam ſuam exponit, & calculo durationis regni Medorum, annis 128 per *Herodotum* definito, addendos eſſe Scythi-
50. ci regni per Aſiam annos 28, negat. Quo fine annum *Cyri* regnantis definit, ac in Olymp. 55 annum primum ponit, annis aliquot *Aſtyage* devicto poſteriorem. *Herodotus I, 106*, annis *Cyaxaris* inſeruit annos Scytharum, per Aſiam incur-
55. ſionibus intentorum, ſi Noſtri ſtamus judicio. Comprobat hic ſententiam ſuam conſenſione calculi *Herodotei* cum Chronologia ſacra. Initia regni *Aſſarhaddonis* incidunt in 17 *Menaſſis*. Addit alia argumenta. Poſt *Menaſſem* nullum exſtat
65. potentiæ Aſſyriorum veſtigium in ſacris literis. Subjicit Noſter ſynchroniſmum ex oraculis Prophetarum *Nachumi* & *Habacuci*, ac conſenſum *Joſephi Ant. Jud. X, 2*, qui *Hiskiæ* ex morbo reſtitutionem fere cum Medica regni Aſſyriaci everſione conjunxit. *Capite quinto* Autor dubia, quæ adver-

ſus

ſua ſententiam ſuam moveri poſſint, expendit. Indicat loca Pag. 65.
Herodoti, quibus inſunt menda, in numeris admiſſa, in calculis ſpecialibus faciliora, quam in computationum generalium determinatione. Mendum in annis *Dejocis* apud *Herodotum* 69.
detegitur, tribuentem illi annos regni 53 *Lib. I Cap. 101*, poſtquam diu judicis officio fuerit functus. Tribue ipſi 31 annos regni, ac relinque reliquorum Mediæ Regum annos inviolatos, tum inde prodit ſumma 128 annorum. Hinc Autor Chronologiam ſuam cum annis *Aſſaradini* ac Chronologia ſacra 72.
componit. *Capite ſexto* idem *Aſſarhaddonis* res geſtas ex 76.
ſcriptoribus ſacris exponit, &, Azoti expugnationem, *Jeſ. XX, 1 ſeq.* indicatam, ad idem tempus ſpectare, tradit. Urbs ipſa tunc juris ſui fuiſſe videtur. Nam *Hiskias* nihil ab *Aſſarhaddone* fuit paſſus. Notas chronologicas Autor e verbis contextus *Jeſaiæ* eruere laborat, nec *Salmanaſſari*, nec *Sancheribo*, ſed *Aſſaradino* ſoli, convenientes, atque ad ejus annos primos ſat quadrantes. Diluit tandem objectiones, ſibi obſtare viſas. Continuat *Capite ſeptimo* idem argumentum, ac reli- 89.
quas res ab *Aſſarhaddone* geſtas exponit. Vaticinii, *Jeſ. XX, 1 ſeq.* perſcripti, eventum oſtendit, hoc judice, *Nachumus III, 8 ſeq.* Per urbem No-Ammon, inter rivos ſitam, aquis circumdatam, mari, tanquam muro, cinctam, deſignari credit Thebas, Ægypti ſuperioris caput. Videtur nobis indicata Diospolis, intra Delta, intra alveos Nili, & haud procul mari, ſita. *Capite octavo* oſtendit, *Aſſarhaddonem* eſſe eundem ac 107.
Sardanapalum. Uterque certe fuit Aſſyriorum Rex poſtremus ante Medorum defectionem. Chronologia ſic ſuadet. *Jonam* ad *Aſſaradini* ætatem refert Noſter. Vatem vero illum centum fere annis fuiſſe priorem, ex *2 Reg. XIV, 25*, videtur dilucere. Adjicit Autor *Capite nono* haud contemnen- 119.
dam de ſucceſſoribus *Aſſarhaddonis*, regnique Aſſyriaci hiſtoriæ, poſt eundem usque ad excidium ejus per *Cyaxarem*, tractationem. *Saosduchinus* & *Chinyladanus*, præeunte *Beleſi*, regnum Babylonis conjunxerunt cum Aſſyriaco. Sub *Sa-* 132.
raco regnum Aſſyriorum per *Nabopolaſſari*, præfecti Babylonii, defectionem maxime fuit concuſſum. De expugnatione

 Ni-

Digitized by Google

Nineves quo minus cogitaretur, impediit Scytharum in Me-
Pag. 137. diam incurſio. At anno 2, vel 3, *Jehojakimi* regnum Aſſy-
riorum per *Cyaxarem* & *Nabopolaſſarem* fuit everſum, Nine-
ve haud excepta, quæ tamen poſthæc fuit inſtaurata. Hæc
140. ad *Librum priorem* dicta ſunto. *Poſteriori* Autor ea, quæ
priore fuerant expoſita, ad illuſtranda oracula transfert pro-
phetica. *Capite primo* ætatem Prophetæ *Habacuci* in ætate
Menaſſis figit, triplici uſus argumento. Nam vates, qui non
uno eodemque anno ſingula oracula edidit, ſummam populi
Judaici corruptionem, vindictam Dei jam imminentem, &
ſtatum populi ejusdem, qualis exſtitit regnante *Menaſſe*, de-
ſcribit. Ven. *Carpzovius* collocavit oracula *Habacuci* poſt
145. *Menaſſem* in captivitatem abreptum. Noſtro placuit deligere
tempus, illa captivitate prius Principes exercitus Aſſyria-
ci ceperunt *Menaſſem* בחוחים. Videtur ſubeſſe lo-
cus, a *ſpinis* dictus, Ἀκανθῶν, vel vicus *Cocabe* pro-
pe Caraim, quæ & Aſteroth dicta, in Baſanitide, quam
Epiphanius meminit *Lib. I adverſus Hær. pag. 126, 123*, nec
149. non *Euſebius H. E. I, 7*. *Capite ſecundo* diverſas interpre-
tum ſententias, quantum ad res *Habacuci Cap. II* deſcriptas
152. attinet, examinat. Per *Caſchdim* deſignari ſibi perſuaſerat
Scythas, eorumque Regem *Idanthyrſum*, *Hermannus von der*
Hardt. Oſtendit Noſter, Scythas nunquam dictos fuiſſe
161. Caſchdim, vel Chaldæos. Ad locum *Act. XIII, 40, 41*, ex
Habacuco depromtum, circumſpecte accedit, docens, corru-
ptionem populi Judaici, qualis ea ſub *Menaſſe* exſtitit, denuo
exſtitiſſe temporibus *Pauli*, conciliatricem excidii, quod *Pau-
lus* Judæis ob ipſorum conſimilia peccata denuo prædixerit.
163. *Capite tertio* demonſtrat, *Chabacucum* ad *Aſſarhaddonem*, ſeu
Sardanapalum, reſpexiſſe, indolem hujus cum notis, a Pro-
pheta indicatis, comparans, ſoliditate præmunitus. Vo-
cem קָדִימָה, *I, 9*, obviam, exponit per *Orientem ver-
ſus*, atque alteram מגמת per appetitum & *deſiderium*
185. *cum anxietate conjunctum*. *Capite quarto* it oſtenſum ex de-
ſcriptione pœnæ divinitus exercendæ, *Chabacucum* reſpexiſſe
199. ad *Aſſarhaddonem*, ſive *Sardanapalum*. Ut eruat poteſtatem
vocis

Digitized by Google

vocis כפיס, nil facit reliqui, eam reddens per *trabium junכturam*, ſiquidem Syri *connectendi actionem* per verbum כפס
deſignant. Tunc vero progreditur ad *Caput tertium Chabacuci*, quo oda precatoria על שגינות *decantanda* expromitur. Pag. 208.
Indicari inſtrumentum muſicum, dubitatione vacat. Vox שגיון legitur *Pſ. VII, 1.* An σιμμοτύρβη, an inſtrumentum aliud muſicum, ibi fuerit deſignatum, alibi dabitur diſquirendi locus. Non videtur Noſter quidquam definire. Illud vero מבליגיתי עֲלֵי יָגוֹן *Jer. VIII, 18, lamentationem ſuper dolore* reddit. *Albertus Schultens*, ad Arabicam verbi בלג poteſtatem reſpiciens, ſenſum *Jeremiæ* ſic extulit: *O tu, quæ me lacbrymis & ſqualore miſere perditum vultu jubes eſſe ſereno, luctumque ponere.* Hac ratione hic nullum illius leſſus fit indicium. Autori viſum fuit, carmen *Habacuci* & capitulatim reſolvere, & operoſe explicatum dare. *Tarnovii* ipſe conſenſu eſt inſtructus, licet illum ſpecialis expoſitionis diligentia magnopere vincat. Accedit ipſe ſententiæ eo- 213.
rum, qui verſionem LXXviralem non ex Codicis Hebraici inſpectione, ſed ex prælectione adſtantis viri, interdum parum accurata, parumque diſtincta, confectam eſſe volunt. Ventum peſtiferum exitio fuiſſe exercitui *Sennacheribi*, quod etiam miniſterio angelorum tribuitur, recte colligit ex *Jeſ.*
X, 16. Oda *Habacuci* in lucem data, ad *Capita Nachumi pri-* 216.
mum & *ſecundum* illuſtranda, & ex hiſtoria *Sardanapali* ex-
ponenda, progreditur. Ætatem *Nachumi* ponit in id tempus, 230.
quo Jehova iram ſuam adverſus hoſtes, & quidem Aſſyrios, benignitatem vero eccleſiæ ſuæ oſtendit exercitu *Sennacheribi* proſtrato. Dijudicat deinde aliorum de hoc momento ſen-
tentias. Occaſionem & ſcopum orationis Prophetæ indagat 233.
analyſi adjecta, quæ felicitatem facultatis criticæ ſpirat. Præmittit obſervationes generales. Tum vero diligentiam, exegeſi ipſi inſumtam, lectori approbat, ſubſidiis quibuscunque
in medium prolatis. Quo facto, *Nachumi Caput tertium*, & 269.
locum *Zephaniæ II, 13, 15*, luce perfundit. In illo de excidio Nineves, per *Cyaxarem*, Medorum Regem, illato, agi, idoneis oſtendit rationibus. Diſtinguit ab hac concione priorem, diffe-

Digitized by Google

Pag. 278. differentia temporis notata adjutus. Urbem *Ammon-No*,
quam exiſtimat fuiſſe Thebas Ægyptias, credit devaſtatam
fuiſſe ab *Aſſarhaddone*, atque hoc ipſum indicari *Nahum. III*,
8, 9. *Zephania* ætatem ætati *Joſiæ* extremæ jungit, quod
Propheta *I, 8*, filiorum regis formam novam ac appara-
288. tum veſtium reprehendit. *Joſias* admodum ſenex a priori
pietatis fervore remiſit omnino, teſte *Jeremia*. Vox צפון
proprie denotat *opertum*, *adytum*, *penetrale*. Deus dicitur
manum ſuam verſus צפון extenſurus, ut Aſſyriæ regnum in-
ternecioni daret. Niſi fallimur, deſignatur locus Nineves ſa-
cratiſſimus, cui ne quidem erat parcendum. Progreditur a
Zephania Autor ad oraculum *Jeſaiæ X, 24 ſeq.* illuſtrandum,
teſtantis, expeditionem exercitus Aſſyriaci inſtare, *Menaſſi*
295. moleſtam. Libellum illum Autor argumentis evincit editum
eſſe *Hiskia* regnante, *Sennacheribo* adverſus Judæos movente
298. ex Ægypto. Agi de *Aſſarhaddone* inibi etiam, idem com-
probat. Illud, quod *Jeſ. X, 26*, dicitur, *baculus ejus erit ſu-
per mare*, & idem Jehova *tollet eum juxta viam Ægypti*, ſpe-
ctat ad hiſtoriam *Moſis*, qui baculum juſſu Dei ſuper mare ſu-
ſtulit juxta viam, qua Ægyptus ſolet adiri. Id ipſum paſſim
in Vet. Teſt. indicatur, licet Interpretes plerumque cum *Jo-
ſepho Moſen* ad ſinum Arabicum deducant extra viam Ægypti.
321. In eo eſt porro Autor, ut, locum *Jeſ. XIV, 3 — 23*, ad eun-
dem *Sardanapalum* ſpectare, eat comprobatum. Hinc lucem
affert ejusdem *Jeſaiæ Capitibus XXX — XXXIII*, ac obitum
Sardanapali in pyra funeſtum deprehendit in *Cap. XXX, 31 —*
387. *33*. Inquirit poſthæc generatim in argumentum & ſcopum
oraculi *Jeſ. L, 1 — LII, 13*, ac *Caput L* omne breviter expo-
nit. Pericopam, *Jeſ. LI, 1 — 16*, perſcriptam, de rebus Novi
421. Teſt. ſecundum literalem ſenſum interpretatur. Idem argu-
mentum putat a *Cap. LI, 17*, usque ad *LII, 12*, continuari, licet
contendat, formulas loquendi e fato *Aſſarhaddonis* eſſe de-
454. cerptas. Locum *Mich. V, 4, 5*, æque ex rebus *Sardanapali*
illuſtrat. Locum vero *Mich. V, 2, 3*, de Meſſia explicandum
472. eſſe, adverſus *Collinum* docet, ac *V, 1*, vindicat. *Macro-
bii* teſtimonium contra eundem propugnat, addens, penes
Ebio-

Digitized by Google

Ebionæos haud exſtitiſſe Evangelium *Matthæi* authenticum. In *Ezech. XXXI* brevem regni Aſſyriaci hiſtoriam contineri, oſtendit. Succedit hiſce conjectura, leſſum *Jeremiæ Jer. VIII, 18*, & *IX* toto, exhiberi, perſuaſura Lectori.

CAROLI CHRISTIANI WOOG, A. M. ET Antiquit. Eccleſ. in Academia Lipſienſi Profeſſ. Publ. Extraord. de Presbyterorum & Diaconorum Achajæ Epiſtola de Martyrio B. Andreæ Apoſtoli adverſus Tillemontium Diſſertatio.

Lipſiæ, literis Crucigerianis, 1749, 8.
Plag. 7.

Quæcunque nobis ad hunc usque diem de morte religioſa S. *Andreæ* ex monumentis veteris eccleſiæ innotuerunt, ea omnia maximam partem cognita habemus ex quadam Presbyterorum Achajæ Epiſtola, cui hæc inſcriptio addita legitur: *Paſſio S. Andreæ Apoſtoli per Presbyteros & Diaconos Eccleſiarum Achajæ ſcripta.* Multa hac ſuper re inter doctos viros & varia fuit ſemper contentio, quæ Autori doctiſſimo occaſionem dedit, hanc in rem penitius majorique cura, quam huc usque factum fuit, inquirendi. Ante omnia monet, exemplum hujus Epiſtolæ Latina ex verſione tantum exſtare publice, & in *Mombritii*, *Lipomanni*, *Surii*, & *Sauſſæi*, operibus de actis & vitis Sanctorum reperiri; *Barreum* vero, quod quidem *Ittigius*, *Sagittarius*, *Fabricius*, & *Walchius*, volunt, non ex hac epiſtola, ſed ex *Abdia*, vitam *Andreæ* recenſere, inſpectio libri ipſius docet. Integra etiam conſpicitur illa Germanice apud *L. Rabum*. Editores omnes *Mombritium* ſequuntur, Latinam hujus Epiſtolæ verſionem primum edentem, ex quibus vero Codicibus ille eam deſcripſerit, & cujus ea ſeculi fructus ſit, non conſtat. Antiqua quidem ſatis, & Seculo P. C. N. octavo jam confecta videtur; interpolatam tamen eſſe hanc converſionem, non eſt dubium, idque Autor noſter, cui in Oxonienſi Muſarum ſede Græca hujus

Pag. 2. 4

Epiſtolæ forma in Codice quodam Bibliothecæ *Bodlejana* con-
Pag. 6. ſpecta & deſcripta olim fuit, confidenter aſſeverat. Collatio-
ne enim Græci hujus textus cum edita huc usque Latina ver-
ſione inſtituta, nullus Noſtro dubitandi locus remanſit,
quin eum pro genuina ubique Presbyterorum ſcriptione
agnoſceret, edendique eum aliquando, quod probandum
7. omnino eſt, conſilium inde iniit. De fide tamen hu-
jus Epiſtolæ, an genuina ſit, nec ne, triplex inter eruditos
8. alitur ſententia. Alii oppugnant, alii defendunt, ingenuam
ejus originem. Alii, media via incedentes, judicium ſuum hac ſu-
per re modeſte ſuſpendunt, vel interpolatam ſaltem eam con-
tendunt, quod *Bailletus, Germonius, Sainte-Beuve, & Dupi-
nius*, viri ſane eximii & celeberrimi, fecerunt. Ultimus qui-
dem Autor ab *Ittigio* & *Fabricio* iis annumeratur, qui ſpuriam
hanc Epiſtolam exiſtimant. Minus vero recte ita factum eſt.
Inter defenſores eccleſiæ Romanæ doctores plurimi referun-
10. tur, quos inter, præter editores, *Bellarminus, Baronius, Nata-
lis Alexander, Poſſevinus, Labbeus, Gaudellus*, eminent. *Ca-
veus* quidem de *Baronio* id negat, ſicut *Fabricius Emanuelem a
Schelſtraten* inter defenſores recenſet; uterque tamen fallitur.
11. Alii denique hanc Presbyterorum & Diaconorum Achajæ
Epiſtolam tanquam ſpuriam rejiciunt, ejusque antiquitatem &
13. ingenuos ortus negant. Faciunt id noſtræ & Reformatæ eccle-
15. ſiæ doctores fere omnes. Quibus tamen inter Pontificios *Til-
lemontius*, & inter Antitrinitarios *Sandius* ſunt accenſendi.
Cauſa, quare Reformatæ doctrinæ ſocii fidem huic Epiſtolæ
16. denegant, in promtu ſtatim eſt. Videntes enim, realem cor-
poris & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam clariſſi-
mis verbis, ut dogma Seculo primo receptum, in ea ſtabiliri,
ſibi conſulere melius non potuerunt, quam ſi eandem, tan-
quam ſcriptum recentiori ætate confictum, condemnarent.
Noſtræ tamen profeſſionis ac fidei viris laudi id ducitur, quod
ob quasdam dubitationes, & *Tillemontii* inprimis rationes ſpe-
cioſiſſimas, eam rejecerint, licet doctrinam ſuam contra Cal-
vinianorum, Pontificiorum, ac Socinianorum, errores inde
18. confirmare potuerint. Ardua vero hæc quæſtio de genuina
hujus

hujus Epiſtolæ origine ut diſſolvatur recte, Noſter omnem movet lapidem, &, niſi plane fallimur, ſatis feliciter affirmantem ſententiam corroborat. Generale primum affert argumentum, inde petitum, quia primis Chriſtianis in more fuerit poſitum, illuſtria Sanctorum Martyria epiſtolis encyclicis deſcribere, deſcripta cum aliis cœtibus communicare, communicata certis diebus, qui anniverſariæ eorum memoriæ erant conſecrati, publice in eccleſiis prælegere. Patet id non ſolum ex *Pontii*, Seculi III Autoris, teſtimonio, Pag. 19.
ſed ex ipſis etiam rerum exemplis, v. g. ex *Smyrnenſis eccleſiæ Epiſtola ad Philadelphienſes de martyrio S. Polycarpi*, aliisque hujusmodi Epiſtolis, ad noſtra usque tempora reſervatis. Moris hujus antiquitas a Judæis ad Chriſtianos tranſiiſſe videtur, 21.
quod veriſimile inde fit, quia in libris Maccabæorum, quibus fides hiſtorica non temere deneganda eſt, veſtigia hujus rei occurrant. *Deinde* notandum eſt, hanc Presbyterorum Epi- 23.
ſtolam, tum quod ad ſtilum, tum quod ad res, accuratiſſime convenire cum aliis hujus generis epiſtolis, quod ad oculum patet, dummodo levem, quod Autor facit, collationem inſtituere quis velit. *Tertio* nihil continet Epiſtola illa, ſpurium or- 24.
tum prodens. Nulla ex dicendi genere, nulla ex toto con- 26.
textu fraus, & ne ſpecies quidem fraudis, elucet. Nullæ ex poſterioribus temporibus occurrunt voces; nulla fit mentio cerimoniarum, rituum, diſciplinæ, politiæ eccleſiaſticæ, quæ poſtea in cœtum ſanctiorem fuerit introducta; nullæ res ge- 28.
ſtæ ibi commemorantur, quæ poſteriores ſunt & longe recentiores ævo Apoſtolico, quod aliis fit in ſcriptis, obſcuras origines incertasque his rerum argumentis prodentibus. *Quarto* loco pro autoritate hujus Epiſtolæ pugnat id, quod 35.
egregia in illa exhibeantur teſtimonia de S. S. Trinitate, Chriſti divinitate, ſatisfactione, morte ſpontanea, juſtificatione, reali corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentia, atque æternitate pœnarum infernalium, quæ omnia ex Græco textu & Latina converſione diligenter ab Autore recitantur. *Quinto* leve Noſter pro ſententia ſua ex eo petit argumen- 37.
tum, quod Seculi primi indicia ſiſtat nonnulla, v. g. quod nul-

Digitized by Google

la Epiſcopi, tanquam perſonæ a Presbyteris autoritate & di-
Pag. 39. gnitate disjunctæ, fiat mentio: itemque, quod S. *Andreas* in
eadem quotidiani ſacræ Cœnæ uſus mentionem faciat, quod
42. prioris ævi character eſſe creditur. *Sexto* addit Autor, vete-
ribus, quorum magnam affert copiam, notam fuiſſe illam,
49. quia ex illa ſæpius loca excitarunt. *Septimo* id quoque non
eſt omittendum, objectiones, contra fidem hujus libelli, & anti-
quitatem ejus, factas, ex falſa hypotheſi utplurimum proce-
dere, qua hæc Presbyterorum Achajæ Epiſtola cum Pſeudo-
Actis S. *Andreæ* confunditur, atque pro uno eodemque ſcri-
pto habetur. Cum enim Acta iſta a veteribus unanimi con-
ſenſu tanquam apocrypha, & ab hæreticis ſuppoſita, jure me-
ritoque rejiciantur; hoc ſibi etiam noſtri de noſtra Epiſtola
51. perſuadent. Sed falſo. Libelli enim utrique maxime inter
ſe ſunt diverſi. Audiatur tamen nunc etiam altera pars.
Reſpondendum hic eſt ad dubitationes adverſariorum, pri-
mam objectionem ex ſilentio ſex priorum Seculorum urgen-
52. tium. Sed reſpondet Clariſſimus Autor, falſum eſſe, nulla
Seculo ſeptimo anteriora poſſe produci teſtimonia, cum con-
53. traria ſententia ex autoritate *Damaſi, Claudiani Mamerti, Ve-
nantii Fortunati,* aliorumque, facile refelli queat. Quodſi
etiam *Tillemontio,* quem Autoris diligentia præ reliquis velli-
cat, dari poſſit, verum hoc eſſe aſſertum, non tamen recte ex
ſilentio colligitur Autorum, ſuppoſititiam hanc eſſe Epiſtolam.
55. Nec mirandum eſt, *Euſebium* hujus Epiſtolæ nullam plane in-
jicere mentionem, cum conſtet, librum ipſius de antiquis
56. Martyribus, ubi hac de re dicendi erat locus, jam dudum per-
57. iiſſe. Denique copioſe etiam ab aliis demonſtratur, plerorum-
que Martyrum acta non ſolum diuturnitate temporis, ſed
etiam tyrannorum malitia, excidiſſe atque ſuppreſſa fuiſſe,
quod jam ante magnam *Diocletiani* perſecutionem gentili-
58. bus exprobravit *Arnobius* Afer. Inſtant adverſarii, conten-
59. dentes, Epiſtolam hanc a veteribus ut apocrypham rejici. Sed
hic ſibi ipſe contradicere videtur, dum, quod paulo ante fuit
monitum, ſilentium veterum Autorum iidem ipſi diſſentien-
60. tes urſerant. Res vero omnis in aprico eſt, confundi a viris
doctis

Digitized by Google

doctis Epiſtolam hanc cum ſuppoſititiis Actis, a *Leucio* quodam confictis, quæ recte, ut ſcripta adulterina, a Patribus rejiciuntur. Quodſi etiam *Tillemontius* contendat, veteribus nulla alia Acta S. *Andreæ*, quam ſpuria, cognita fuiſſe, id tamen non conficit, hanc Epiſtolam eſſe ſpuriam, multo minus id vere dici poteſt, illam eſſe fragmentum, ex *Lucii* damnatis actibus deſumtum, quod nulla probabilitatis ſpecie aſſeritur. Pag. 61.
Præterea *Tillemontius* autoritatem hujus Epiſtolæ ex eo tollere conatur, quoniam fidei confeſſio nimis nitida ipſi videatur, &, pro temporum iſtorum ſimplicitate, nimis expreſſis verbis concepta. Sed oppido falſa eſt accuſatio iſta. Pauciſſimis enim verbis, imo paucioribus, quam reliqua Symbola, hic fidei canon eſt conceptus, &, præter palmarium fidei Chriſtianæ dogma de trinitate & divinitate Chriſti, nihil continet, quod primis ſtatim eccleſiæ temporibus planiſſime fuit cognitum. Hinc tolerandum vix eſt, viros eruditos, Criticorum perſonam ſimulantes, pro demonſtranda libri cujusdam ſuppoſitione, argumentum exinde deſumere, quod dogmata talia clariſſimis verbis in eo proponantur, qualia in Epiſtola noſtra inveniuntur. Amplius obvertit *Tillemontius*, vocabulum *Trinitas, τρίας*, Apoſtolorum temporibus incognitum, primaque demum Synodo Alexandrina fuiſſe receptum, hinc, cum in hac Epiſtola occurrat, patere, eam pro ſcripto Seculi primi haberi non poſſe. Ad rem vero quod attinet, recte utique in hac Epiſtola eadem filii cum patre eſſentia aſſeritur. Ad vocabulum trinitas autem quod ſpectat, longe vetuſtior eſt uſus hujus vocis, quod Clariſſimus Autor ex *Gregorio Thaumaturgo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Juſtino Martyre, Luciano*, aliisque, confirmatum reddit. Nec id, quod contra fidem hujus Epiſtolæ plerumque profertur, autoritatem ejus infringit, quod Patres contra Arianos eadem uſi non fuerint. Conſtat enim jam ex ſuperioribus, difficile hoc ob ſuppreſſas Martyrum vitas fieri potuiſſe; & deinde probe ponderandum eſt hoc, ſcriptum iſtud genuinum quidem eſſe poſſe, licet θεόπνευστον non reputatum. Objectio alia ex eo formatur, quod errori Græcorum hæc Epiſtola de proceſſio-

63. 65. 66. 68 70. 73. 75. 79. 81. 83.

Pag. 86 ne Spiritus Sancti favere videatur. Sed recte reſpondet Noſter,
87. ipſam Scripturam ſacram dicere, Spiritum Sanctum a Patre
procedere: una perſona poſita, alteram non excludi, & ipſa
cohærentia verborum omnem litem dirimi, inprimis ſi Græ-
91. cum inſpiciamus contextum. Acute etiam monet Noſter,
tunc demum ſubleſtæ fidei eſſe hanc Epiſtolam, ſi in ea lega-
98. tur, Spiritum Sanctum a patre *filio*que procedere. Vocem
enim *filio*que recentiori ætate eſſe Symbolo Apoſtolico adje-
ctam, ipſi Latinæ eccleſiæ doctores hodierni nullo modo infi-
108. cias ire poſſunt. Pergit inde ad reliquas levioris momenti
objectiones Autor, quibus removendis præclaram navat ope-
ram, nec eſt, quod multa inde proferamus, cum ex allatis rerum
109. argumentis diligentia & doctrina Autoris ſatis eluceant. De-
nique ad alias objectiones, a *Tillemontio* confictas, reſpondet
ita, ut doceat, in Græco atque genuino textu ea omnia non
exſtare, quæ dubitandi adverſariis occaſionem præbuerint, ſed
eſſe additamenta, ex ingenio craſſiori interpretis Latini, aut alius
cujusdam fabularum patroni, orta, enſe ferroque reſcindenda.
110. Sub finem denique conjecturam profert ſuam Clariſſimus Au-
tor de tempore Epiſtolæ hujus perſcriptæ, quod illo tem-
poris tractu contigiſſe ipſi videtur, qui ab anno Chriſti 67, quo
Nero libertate priſtina donavit Achajam, usque ad annum 73
interceſſit, quo *Veſpaſianus* Achajam Romanam iterum fecit
provinciam, atque probabile ipſi maxime eſt, eveniſſe illud
primo *Veſpaſiani* imperii anno. Qui cum in ſeptuageſimum
tertium, poſt Chriſtum natum, annum incidat, ſtatuit recte,
hanc Epiſtolam circiter annum octogeſimum Seculi primi
fuiſſe literis mandatam; idque ideo, quia autores illius ipſi
martyrio interfuerunt. Mirandum inde eſt, hanc Epiſto-
lam a *Caveo* ad annum Chriſti 59 rejici, quod quo funda-
mento fiat, prorſus non apparet. Hæc ſumma eſt doctiſſimæ
hujus Diſſertationis, cui ut ipſa Græca Epiſtolæ Presbytero-
rum Achajæ ſuccedat editio, Lectores optabunt noſtri,
quibuscum vota noſtra pro Cl. Autoris ſtudiis operisque con-
jungimus.

CASUS

Digitized by Google

CASUS ANATOMICUS, A JOANNE CHRISTOPHORO POHLIO, Medicinæ Doctore, & in Acad. Lipſ. Prof. Extraord. obſervatus.

Præterlapſo anni præteriti 1748 die triceſimo Auguſti, occaſio mihi fuit ſubnata, fœminam, ex familia ſatis præclara hic Lipſiæ ortam, 52 annum ætatis ſuæ agentem, copulæ nuptialis expertem, deſtinatisque per naturam temporibus inordinato per quinque annorum curriculum, priusquam naturæ debitum ſolveret, menſium fluxu laborantem, cultro anatomico poſt fata ſubjiciendi. Abdomen hujus miſeræ, ceſſante fluxu, progreſſu temporis maxime intumeſcebat, & ita quidem, ut ambitu ſuo quartam excederet ulnam noſtratem; ſupra umbilicum, verſus regionem hypogaſtricam, protuberare & acuminari ventrem deprehendi, ut vel cutis in ſuperficie præ nimia ſplenderet extenſione. Serum extravaſatum, colore rubro tinctum, intusque in abdomine contentum, circa umbilicum liberiorem quæſivit exitum, ut intra 24 horarum ſpatium per ſex hebdomades ante mortem miſeræ noſtræ libræ duæ & ultra ſenſim ſenſimque effluerent. Conquerebatur illa, cum viveret, de anxietatibus præcordiorum, nec non de utriusque circa hypochondria lateris capitisque doloribus lancinantibus, qui autem ultimis illius morbi temporibus in latere ſiniſtro magis magisque fuerunt aucti; febrique ſymptomatica phlogoſibusque per intervalla fuit vexata miſera, & per ſex menſes in lecto ſine intermiſſione detenta fuit.

Aperto abdomine, maxima ſeri copia, colore luteo atque ſtriis rubris intermixto tincta, odoremque ingratum de ſe ſpargens, promanabat. Quod autem notatu dignum, lienem ſupra omnia abdominis viſcera fere extenſum offendebamus, non hepar verſus, id eſt, regionem hypogaſtricam dextram, ſolum, ſed ſuperiora verſus & diaphragma etiam, extendebatur ille, ut & thoracis & abdominis viſcera alia ab enormi iſthoc tumore ſacci, vel utriculi, more extenſo e ſitu receſſerint naturali, & in conſpectum prodire non valerent. Hepar enim in ſuperficie magis inveniebatur compreſſum, ſubſtantia

tia

tia naturali durius, & in veſicula fellea atrum oſtendebat colorem bilis cyſticæ, inſtarque picis ad exercernendum valde inepta ob nimiam tenacitatem reperiebatur. Ventriculi, e ſitu naturali redacti, atque hypochondrium magis dextrum, quam ſiniſtrum, occupantis, curvaturæ, inprimis parva, planiorem nanciſcebantur figuram. Diaphragmatis pars inferior concava in convexam erat mutata, & propter perpetuam compreſſionem ſtimulumque, quibus a maxima lienis mole obnoxius fuit ventriculus, nauſea, ructibus, appetituque depravato, correpta, ſemperque vexata fuit miſera noſtra. Inteſtina, tam tenuia, quam craſſa, inter ſe invicem ratione concavitatis compreſſa coarctataque conſpiciebantur, ut neque flatus, neque fœces, uti in ſtatu requiritur naturali, propter ſcybala, intus contenta, rite exitum quærere potuerint. Ren ſiniſter extrorſum non convexam, ſed planiorem potius, repræſentabat figuram, verſusque pelvim extenſus dirigebatur; quapropter excretio urinæ ob perpetuam lienis preſſionem, quo minus ex voto ſuccederet, fuit impedita. In parte concava, & quidem in circumferentia, membranam inter, a peritonæo ortum ducentem, & ſubſtantiam lienis, novem ſe formaverant diſtincti ſacculi, quatuor magnitudine pugni viri robuſtioris, reliqui minores, formam rotundam globoſamque repræſentantes, attamen communicationem inter ſe non alentes, ſed in altitudinem magis vergentes. Inciſione horum ſacculorum, computationeque ſeri, intus contenti, facta, ex majoribus ſacculis ſimul ſumtis, duæ emanabant ſeri extravaſati libræ; in reliquis autem ſacculis minor hujus fluidi deprehendebatur quantitas, & in lienis ſubſtantia ipſa humores accumulabantur extravaſati. Vaſa arterioſa, horumqae rami majores & minores, ut venoſa hujus viſceris nimium in modum erant extenſa, & vaſa brevia duplo in conſpectum viſcus ſtateræ ſubjectum, libras 20 unciasque 4 ponderavit; longitudine duas ulnas cum ſemiſſi, in circumferentia duas ulnas ſeptemque æquabat pollices. Computatione ſeri extravaſati, in abdomine contenti, facta, ultra duodecim illius cum fœtore accumulati, erant libræ, quod experimentis per coctionem

nem inſtitutis haud concreſcebat, aut affuſo alcohol inſpiſſari poterat; neque ille liquor ſeroſus ſyrupo violarum viridiuſculum dedit colorem, quo experimento compertum eſt, illum ad indolem alcalinam vergere.

Morbum hunc, obſtructis menſibus, paulatim incrementum ſuum duxiſſe, abdomen ſenſim ſenſimque intumuiſſe, & ſingulis menſibus præterlapſo ante obitum unius anni ſpatio extendi cœpiſſe, ſimulque doloribus pungentibus utriusque lateris, magis tamen ſiniſtri, quam dextri, iliique ventris, correptam fuiſſe miſeram noſtram, ex relatione agnatorum percepimus. Increbreſcente autem malo, affectu illa aſthmatico oppreſſa, neque alterutri lateri, ſed dorſo magis, incumbere potuit, ſemperque de ſuffocationis periculo eſt conqueſta. Summis itaque præcordiorum anxietatibus obruta, & tandem convulſionibus fuit exſtincta. Lento quidem, uti fieri ſolet, incremento omnes procedunt tumores tunicati; attamen cum illa differentia interni in viſceribus tragœdiam ſuam ita ludunt, ut progreſſu temporis propter *ἀδυναμίαν* curandi nihil aliud, quam mors, ſit exſpectandum; omnes etiam tumores, potiſſimum ſeroſi folliculis incluſi, ab initio levioris eſſe videntur momenti, paulo vero poſt graviſſima ſequuntur ſymptomata.

MEMOIRES SUR DIFFERENS SUJETS DE Mathematiques, &c.

hoc eſt,

COMMENTARII DE VARIIS REBUS MAthematicis, Autore DIDEROT.

Pariſiis, apud Durandum & Piſſotum, 1748, 8 maj.
Plag. 16, Tabb. æn. 7.

Sylloge hæc eſt *quinque Diſſertationum*, ad varia Mechanicæ, Acuſticæ, & Geometriæ, capita ſpectantium. *Prima* de *Principiis generalibus Acuſticæ* agit. Primo, Muſicam, oſtendit, non eſſe rem mere arbitrariam, ſed certis principiis, a juſta nimirum ſonorum inter ſe proportione pendentibus, fundatam; unde fiat, ut theoria ejus ſit invariabilis, quod Pag. 1.

Digitized by Google

quod & veteres jam pridem agnoverunt. Objectum Muſicæ perceptionem ſoni, oriri, quando aer motus in tympanum incurrit, ſatis conſtat. Poteſt vero motus iſte aeris enaſci vel vibrationibus corporis impulſi, ut fit in chordis & campanis, vel dilatione ſubita aeris compreſſi, ut in ſclopetorum exploſione, tonitru, corporibus in aere projectis, vel inſpiratione in inſtrumentum cavum, ut in tibiis omnis generis. Tres haſce ſonorum ſpecies ſigillatim conſiderat Autor. Chordæ tenſæ, cum tanguntur, vibrant, ſeu motu oſcillatorio a linea recta hinc inde dimoventur; unde oritur Problema, a *Tayloro* primum ſolutum: Data longitudine chordæ tenſæ, una cum pondere proprio, eoque, quo tenditur, determinare numerum vibrationum, dato tempore peragendarum. Solutionis hujus ſeriem Noſter perſpicue formulis analyticis explicat, quæ duobus ex experientia aſſumtis nititur: altero, maximam excurſionem a recta eſſe perexiguam reſpectu longitudinis ejus, altero, omnia ejus puncta eodem tempore in hanc rectam, ceu ſtatum quietis, redire. Pergit jam, quomodo e diverſa vibrationum celeritate ſoni vel acutiores, vel graviores, prodeant, explicare; unde oriuntur in Muſica intervalla, quæ vocantur tertiæ, quartæ, quintæ, octavæ. Porro ſoni differunt reſpectu intenſitatis, dum eo ſunt debiliores, quo remotius audiuntur, idque in ratione diſtantiarum duplicata inverſa. Denique ſunt vel uniformes, ſi vibrationes omnes ſunt iſochronæ, vel difformes, ſin minus. Hic de perceptione grata ex uniformitate ſonorum oriunda agit. Quomodo etiam, data potentia, chordam pulſante, determinetur & celeritas, & excurſio maxima, declarat. Applicationem horum ad ſonum campanarum, aeriſque compreſſi, ſed paucis, edocet, cum fatendum ſit, determinationem horum vim calculi ſuperare. Accedit ad tibias, earumque theoriam explicat, veſtigia Cel. *Euleri* ſecutus, quod & paſſim fecit in præcedentibus. Denique inventa *Sauverii* de definienda menſura fixa ſonorum (in *Comm. Ac. Pariſ. A. 1700*) exponit, adjectis in ea annotationibus.

Pag. 121. *Secunda examen Curvæ, evulutione circuli genitæ*, continet. Simplicitate, qua deſcriptio hujus curvæ gaudet, ductus eſt Autor,

Digitized by Google

tor, ut ejus naturam & uſum in conſtructione Problematum & æquationum ex inſtituto conſideraret, cum id nondum a Geometris factum videret. Varia docet ejus ope conſtruenda Problemata cyclometrica, ad diviſionem arcuum, dimenſionem ſpatiorum, inventionem centri gravitatis, pertinentia; conſtructionem quoque æquationum cubicarum, quæ nititur noto fundamento triſectionis arcus circularis. Ad ipſam naturam Curvæ ſpectantia varia inveſtigat, ut rectificationem, quadraturam, deſcriptionem per puncta, inventionem circuli generatoris ex datis illis punctis, & ſimilia.

Tertia principium mechanicum de tenſione chordarum examini ſubjicit. Quod huc redit: Si chorda *AB*, in *B* fixa, trahatur ſecundum longitudinem potentia quavis *A*; quæritur, an, ſi loco puncti fixi *B* ſubſtituatur ibidem potentia æqualis & contraria ipſi *A*, tenſio adhuc maneat prorſus eadem. Demonſtratio, qua hoc ita fieri aſſeritur, e natura elaſtri petita, affertur. Autor modum, veritatem hujus principii inveſtigandi proponit, ſi nempe chorda muſica utroque modo tendatur, & videatur, an eundem prorſus ſonum edat. Pag. 164.

Quarta inventum *novi organi muſici* proponit. Occaſionem ei dedit inſtrumentum circumforaneis ſatis frequens, a Gallis *organum Germanicum* dictum, quo, abſque ulla Muſicæ peritia, ſola manubrii verſatione, modulationes produci poſſunt. Simili mechaniſmo vult Autor organum conſtruere, quo non certa tantum, ſed quævis propoſita, modulari liceat. Ejus deſcriptionem prolixe tradit. Denique præſtantiam hujus inſtrumenti, quod ob ſimplicitatem inprimis uſumque facillimum commendat, exponit, etſi contra inficias iri non poſſit, Muſicam per id plus detrimenti, quam incrementi, capturam eſſe, cum ſic omnia, multum artis alias requirentia, ab imperito effici poſſent. 169.

Quinta de *reſiſtentia aeris in motu pendulorum* agit, eſtque inſtar Commentarii in *Newton. princip. pag. 50*, ubi de hac reſiſtentia in inveſtigandis legibus colliſionis tractat. Hæc doctrina perſpicue, reductis omnibus ad formulas analyticas, explicatur. Ceterum in hiſce Diſſertationibus bonum ordinem ac perſpicuitatem ubique non laudare non poſſumus. 200.

VIÆ COMETARUM SECUNDUM HYPOTHESIN, quæ ſtatuit, illos curſu Parabolam circa Solem deſcribere, per NICOLAUM STRUYCK.

Indagationem curſus Cometarum ex præcipuis Aſtronomiæ ſublimioris partibus eſſe, nemo hodie Aſtronomorum in dubium vocaverit. Poſtquam Vir ſummus, *Iſaacus Newtonus*, ante annos 63 in lucem edidiſſet celebratum Problema de via Cometarum per tres obſervationes accuratas invenienda ex hypotheſi, illos curſu ſuo Parabolam circa Solem deſcribere; hac methodo uſus *E. Hallejus*, vias 24 Cometarum per calculum determinavit in Tabella, quæ reperitur in *Tranſactionibus Philoſophicis Num. 297 pag. 1886*, & in *Actis Eruditorum Anni 1707 Menſ. Maj. pag. 216.* Re vera autem ſunt 21 Cometæ diverſi.

Tanti Viri veſtigia ſecutus, eadem methodo alios 18 Cometas, qui in illa Tabula non reperiuntur, undique conquiſitos annotavi, eo conſilio, ut tandem ſingulorum tempus periodicum inveniri poſſet. Ne vero iſtæ obſervationes de viis Cometarum caſu aliquo perirent, illas nunc in publicam lucem emittere decrevi, ſimul officii mei eſſe ratus, indicare, quinam illas calculo Arithmetico accommodaverint. Via Cometarum A. 1723 & 1737 per calculum determinata eſt a *J. Bradley*, via Cometæ A. 1744 a *J. Bers*, via Cometarum A. 1699, 1702, & 1739, ab Abbate *de la Caille*, via ſecundi Cometæ A. 1743 a D. *Klinkenberg*, via ſecundi Cometæ A. 1746 a *des Chezeaux*, primi Cometæ A. 1748 a *Maraldi*. Cumque ipſe tempore excluderer, obſervationes Cometarum conſpectorum A. 1533, 1678, 1718, & 1729, cum Cl. *Dowes* calculo ſubjiciendas communicavi. Cometas vero A. 1706, 1707, 1742, primum A. 1743, & ſecundum A. 1748, ipſemet ad calculum revocavi. Addidi etiam Cometam, exitu anni 1680, & initio anni 1681, conſpectum, quia in poſtrema *J. Newtoni* editione emendationes leguntur, per quas ellipſis, quam circa Solem movendo deſcripſit, determinatur.

Nunc etiam indicandum eſſet, quantum theoria ſingulorum Cometarum ab obſervationibus differat; ſed, brevitati ſtudens, hanc Tractationem alii ſcripto, cujus editionem paro, ſervare

malui,

Digitized by Google

malui, illud unice monens, ex 31 Obſervationibus, quas habeo, Cometæ A. 1742 conſpecti, eſſe 22, quarum longitudines vix unico minuto inter ſe differunt, & 23, quarum latitudines ne minuto quidem differunt.

Sequuntur viæ 19 Cometarum, quorum ſupra facta eſt mentio:

Temp. æquat. Perihelii Londini.	Nodus Aſcen.	Inclinat. orbitæ.	Perihelion in orbe.	Diſt. Perihelii a Sole.	Motus.
An. dies h. m. ſ.	gr. ′ ″	gr. ′ ″ ſ.	gr. ′ ″	part.	
1533 Jun. 16:19:30:—	♌ 5:44:0	35:49:—	♌ 27:16:0	20280	Retr.
1678 Aug. 16:14:3:—	♍ 11:40:0	3:4:20	♒ 27:46:0	123802	Dir.
1699 Jan. 2:8:22:19	♒ 21:45:35	69:20:0	♏ 2:31:6	74400	Re
1702 Mart. 2:14:12:19	♎ 9:25:15	4:30:0	♌ 18:41:3	64590	Dir.
1706 Jan. 19:4:56:—	♈ 13:11:23	55:14:5	♊ 12:36:25	42686½	Dir.
1707 Nov. 30:23:43:6	♉ 22:50:29	88:37:40	♊ 19:58:9	85904	Dir.
1718 Jan. 4:1:14:55	♌ 7:55:20	31:12:53	♌ 1:26:36	102565	Retr.
1723 Sept. 16:16:10:—	♈ 14:14:16	49:59:0	♉ 12:15:20	96942	Retr.
1729 Jun. 12:6:35:41	♒ 10:35:15	77:1:58	♒ 22:16:53	406980	Dir.
1737 Jan. 19:8:20:0	♏ 16:22:0	18:20:45	♒ 25:55:0	22282½	Dir.
1739 Jun. 6:9:59:49	♈ 27:15:14	55:42:44	♋ 12:38:40	67358	Dir.
1742 Jan. 28:4:20:50	♎ 5:34:45	67:4:11	♏ 7:33:44	76555½	Retr.
1742 Dec. 30:21:15:16	♊ 8:10:48	2:15:50	♋ 2:58:4	83811½	Dir.
1743 Sept. 9:21:16:18	♈ 5:16:25	45:48:21	♎ 6:33:52	52157	Retr.
1744 Febr. 19:8:17:0	♉ 15:45:20	47:8:36	♐ 17:12:55	22206$\frac{1}{10}$	Dir.
1747 Febr. 17:11:44:38	♌ 26:58:27	77:56:55	♑ 10:5:41	229388	Retr.
1748 April 17:19:25:2	♏ 22:52:16	85:26:57	♏ 5:0:50	84066⅔	Retr.
1748 Jun. 7:1:24:15	♉ 4:39:43	56:59:3	♑ 6:9:24	65525½	Dir.
1680 Dec. 7:23:9:0	♑ 2:2:0	61:6:48	♐ 22:44:25	6·7	Dir.

Diſtantiæ autem Periheliæ æſtimantur in ejuſmodi partibus, quales media diſtantiæ Terræ a Sole habet centies millenas.

VITA E LETTERE DI AMERIGO VESPUCCI, &c.
id eſt,
VITA AC EPISTOLÆ AMERICI VESPUCCII, Nobilis Florentini, collectæ & illuſtratæ ab Abbate ANGELO MARIA BANDINI.

Florentiæ, ex typographeo ad inſigne Apollinis, 1745, 4.
Alph. 1, cum Tabula *Veſpucciorum* genealogica.

Ex vico Peretola prodiit gens *Veſpucciorum*, e qua *Americus*
tantam ſui famam reliquit, ut quarta orbis culti pars inde
traxerit nomen. Peretola viſitur in tractu Florentino. Seculo
XIII familia iſthæc generoſa Florentiam demigravit, domicilio
delecto ad portam, quæ nunc vocatur *Carra*. Locus habita-
tionis dudum in xenodochium converſus, cujus portæ Celeb.
Abbas *Antonius Maria Salvini* hanc inſcriptionem inſculpi juſſit:
Pag. 11. *Americo Veſpuccio, Patricio Florentino, ob repertam Americam
ſui & patriæ nominis iuſtauratori, amplificatori orbis terra-
rum, in hac olim Veſpuccia domo, a tanto viro habitata, Patres
ſancti Joannis de Deo cultores gratæ memoriæ cauſa. Veſpuc-
ciorum* eruditio, pietas, & prudentia mercatoria, adhuc cele-
12. bratur. Sepulcrum *Simonis Petri de Veſpuccis*, mercatoris,
A. 1383 defuncti, viſitur adhuc Florentiæ in æde omnium
Sanctorum, ubi ille ſacrarium, quod vocant *capellam*, in animæ
ſuæ ſalutem fieri pingique fecit. A. 1390 *Simeon Veſpuccius*
xenodochium S. *Mariæ de humilitate* exſtruxit Florentiæ.
Non vacat reliqua gentis *Veſpucciæ* monumenta, apud Auto-
16. rem recolenda, repetere. *Guidonis Antonii Veſpuccii* ibidem
viſitur ad annum Seculi XVI epitaphium. Filius ejus, *Joannes*,
eruditione claruit, ac ad patrem A. 1490 ſcripſit epiſtolam ſatis
19. doctam Latine. *Georgius Antonius*, *Americi* avus, familiariter
uſus eſt *Marſilio Ficino*, Præpoſitus eccleſiæ cathedralis Flo-
rentiæ, qui Martyrologium *Uſuardi* cum acceſſionibus A.
22. 1486 Florentiæ evulgavit. *Hieronymi Savanarolæ* commercio
uſus eſt familiari, Græce peritiſſimus, collector Codicum mul-
torum, tam Latinorum, quam Græcorum. Obiit in Cœnobio
Fæſulano A. 1514, 7 April, natus annos 80. *Antonius* frater
exſtitit

exſtitit *Americi*, *Anaſtaſii* filius. Filius *Antonii*, *Bartholomæus*, Medicinæ, Mathematices, Philoſophiæ, ac Coſmographiæ, fuit admodum peritus, qui in Gymnaſio Patavino Orationem habuit tanquam artium & Medicinæ Doctor A. 1516, variosque libros edidit. *Americus* ex *Anaſtaſio* ac *Eliſabeta* generoſiſſima A. 1451, 9 Martii, natus fuit. A *Georgio Antonio*, qui tunc nobilium Florentinorum juventutem erudivit, Grammaticam bonarumque literarum elementa accepit. *Maroni*, *Danti Alighierio*, & *Franciſco Petrarchæ*, induſtriam lectionis inprimis affixit. *Trivio Mugelli*, urbe Italiæ, ad patrem *Anaſtaſium* A. 1476 literas dedit, quæ multum habent ex terſa ætatis *Ciceroniana* latinitate. Cum vero linguæ ſint adminicula, non finis, actionum noſtrarum; *Americus* ad Phyſicam, Geometriam, Aſtronomiam, & Coſmographiam, promovit gradum. Florebant ea ætate per Hetruriam bonarum literarum ac ſcientiarum præſidia ſub Magnifici *Laurentii de Medicis* umbra ac tutela ſic, ut nihil ſupra. Florebant illa ſumma nomina, *Joannes Picus Mirandulanus*, *Hermolaus Barbarus*, *Angelus Politianus*, *Marſilius Ficinus*, *Chriſtophorus Landinus*, *Demetrius Chalcondilas*, ac alii ſexcenti. Florentini tunc temporis commerciis operam navabant quaquaverſum, inprimis intra Syriam, Palæſtinam, ac Ægyptum. A. 1490 *Americus* cum nepote ex fratre ſuo, cum *Joanne*, aliisque juvenibus, navim conſcendit, Hiſpaniamque petiit, mercaturam ibi exculturus, intrepidum pectus oſtendens. Sevillis egit cum *Chriſtophoro Columbo*, cui jam Phyſicus perſuaſerat iter ad Antipodas, *Paulus* ſcilicet *di Meſſer Domenico*. Addidit *Americus Columbo* animum alasque ad tantum opus aggrediendum. *Paulus* ille temporis ſui certiſſimus ſummusque erat Medicus ac Mathematicus, cui nemo tunc erat anteferendus, ac inprimis Aſtronomiæ Sphæricesque ad miraculum peritus. *Joannes Mariana* eum *XXVI*, *3*, per errorem vocavit *Marcum Polum*, Medicum Florentinum. *Pauli* hujus ad *Columbum* literæ leguntur in *Hiſtoria Ferdinandi Columbi*, quæ Italico ſermone fuit Venetiis A. 1571 evulgata. *Columbi* conſilia & navigationem in Indiam occidentalem nolumus hic repetere.

Pag. 24. 26. 29. 33. 36.

Digitized by Google

Pag. 42. tere. Ex quo *Columbus* inſulas, ante hanc Indiam ſitas, detexerat, accenſa fuit in *Americo* cupiditas trajiciendi eodem, & terras inveniendi complures. Perſuaſit *Ferdinando Catholico*, iter ſuum fore fortunatiſſimum. Tradendas igitur *Americo* Rex juſſit tres naves. Iter iniit primum *Americus* A. 1497, 10 Maji. Gadibus relictis, Canarias adiit. Inde verſus Occidentem vela vertens, emenſus fuit diebus 37 circiter 1000 leucarum ſpatium. Homines, quos deprehendit in nova regione multos, fugerunt adventum & conſpectum ejus. In continentem exſcenſione facta ad promontorium *della vela*, de
43. hoſtibus victoriam reportavit, ac 222 captivos ſui fecit juris. Rediit ad portum Gaditanum A. 1498, 15 Octobris. Scripſit hanc commemorationem ipſe *Americus* in *Compendio quatuor ſuarum navigationum ad Petrum Soderinium*, quod Autor vitæ *Americi* loco primo ſubjunxit. *Errera*, Hiſpanus, gloriam & principatum hujus expeditionis tribuit *Alphonſo de Ojeda*, qui *Americum* aſſumſerit comitem privatum. Iterum hic A. 1499, menſe Majo, Gadibus ſoluta nave, ad inſulas promontorii viridis iter fecit. Inde Canarias prætervectus, intra 44 dies appulit ad terram novam, cum ea, quam nuper detexerat, cohærentem, ſitam in Zona telluris torrida ad auſtralem Æquatoris plagam. Vidit hic poli antarctici altitudinem ad 8 gradus. Cum in littus exire haud poſſet, ſeptentriones
44. verſus vela direxit, ac ad inſulam pervenit, 10 gradibus ab Æquatore diſtantem. In inſula Hiſpaniola ob *Columbi* invidiam ſe male tractari ſenſit. Mancipiis 232 acquiſitis, navem Gades verſus direxit, ubi A. 1500 appulit, menſibus 13 itineri maritimo impenſis. Ex fatigatione multiplici, quam pertulerat, in febrim quartanam incidit. Qua liberatus, relationem itineris ad *Laurentium Petri Franciſci de Medicis*
45. perſcripſit. Tum vero per omnem Europam fama *Americum* adeo extulit, ut vertice ſidera ferire crederetur, quippe orbis novi repertor. *Emanuelem*, Luſitaniæ Regem, hinc inceſſit cupido, *Americum* ſibi adſciſcendi adminiſtrum, qui *Tabrobanen* inſulam ſinum inter Gangeticum & Indicum exquireret. Iterata prece, *Americus*, ut veniret ex Hiſpania, impulſus fuit. Venit Libo-

Liſbonam, tribusque navibus ſuis inſtructus, vela in altum dedit A. 1501, 10 Maji. Littus Africæ, occidenti obverſum, ſecutus, acceſſit ad promontorium S. *Auguſtini*, 8 gradibus diſtans in auſtrum ultra Æquatorem, ubi polum antarcticum deprehendit, ſupra horizontem 32 gradibus elatum. Terram conſpexit, 7 Apr. tempeſtate infeſtatus. Braſiliæ oram in oculis eum habuiſſe, ſunt, qui referunt. Incidit in inſulam incultam, periculisque cum variis conflictatus, rediit ad oram Nigritiæ & Guineæ, ad Azores, & tandem Liſbonam, A. 1502, 7 Sept. Nonnihil nautici hujus itineris attigit *Americus* in *Compendio navigationum ſuarum ad Petrum Sodertnium*, plura autem dedit in *Relatione ad Laurentium de Medicis*. Exiit denuo A. 1503, 10 Maji, Moluccas detecturus. At ob faſtum præfecti navis conata perficere non valuit. Appulit in *ſinum omnium Sanctorum*, Braſiliæ caput, & ad inſulam exiguam, cui nomen eſt *Aperi oculos*. In hac caſtellum condidit. Rediit in Luſitaniam A. 1504, 8 Junii. Nituntur hæc enarrationibus *Americi*, quibus fidem ineſſe, digreſſione longiori uſus, oſtendit Autor, qui *Capite* peculiari, *Americum* eſſe novi orbis repertorem, ivit comprobatum, diſputans adverſus Abbatem *Pluche* & P. *Charlevoix*, Jeſuitam. Nam ille *Tomo VIII Spectaculi naturæ*, & hic alibi, eum honorem *Americo* detrahere auſi fuerunt, rati, ipſum itineris fuiſſe comitem privatum. *Martiniere Cap. 3 Introd. Hiſt. Americæ* inſolenter *Americum* tractavit, contendens, eum fuiſſe impoſtorem. Favent famæ repertoris *Americi Cinellius* in libro *Bellezze di Firenze*, *Georgius Vaſari P. III Vitarum Pictorum pag. 11*, *Dominicus Mellini*, ac numi, in ejus honorem cuſi, *Leander Alberti* in *Deſcriptione Italiæ*, *Thuanus Lib. I Hiſt.*, *Ioannes Metellius* in Præfatione ad *Hieronymum Oſorium de rebus Emanuelis*, *Luſitaniæ Regis*, *Fleury* in *Hiſt. eccl.* ad A. 1501, *Benedictus Averanius Or. V T. I*, *Coſmus della Rena* in *Introd. ad ſeriem antiquorum Ducum & Marchionum Tuſcaniæ p. 14*, *Taſſonius* in *Capitatis diverſis X, 25*, *Hondius* in *Deſcriptione Italiæ particulari*, & *Dominicus Maria Manni* in libro *de Florentinis inventis Cap. 42*, aliique bene multi. Huc usque de Vita *Americi* agitur. Subjiciuntur vitæ documenta

Pag. 47.
48.
64.
66.
72.
75.

Ooo ipſa,

ipſa, ab *Americo* in modum epiſtolarum conſcripta, quibus hiſtoria itinerum maritimorum quatuor exponitur. Opus Indice adjecto clauditur. Habent Itali, ac inprimis Florentini, rationes ſatis graves, cur gloriam *Americi* vindicent ab obtrectationibus exterorum & a dicteriis, quæ livor in viros magnos ſolet evomere.

LETTERA CRITICA SOPRA UN MANUſcritto in cera, &c.

EPISTOLA CRITICA DE MANUSCRIPTO quodam, in cera exarato, Autore ANTONIO COCCHIO MUGELLANO.

Florentiæ, 1746, 4.

Plag. II.

Pompejus Neri, ad quem ſcripſa eſt hæc Epiſtola, poſſidet Codicem, vel tabulas potius ligneas ceratas, quas Cl. *Cocchio* mittebat, ejus de illis judicium ſibi depoſcens. Reſcribit ille, conceptas illas eſſe tabulas Latino ſermone, & ſcriptura minutiſſima, qualis Seculo XIII in uſu fuit, Franco-Gallica dicta, plena compendiis, ideoque lectu difficillima. Tabulæ ſunt XIV numero, continentes rationarium diarium expenſarum, a die Veneris primo poſt feſtum S. *Marci*, id eſt, a 28 Aprilis, anni 1301 usque ad feſtum SS. *Simeonis & Judæ*, id eſt, 29 Octobr. ejusdem anni, factarum in itinere, quod Rex aliquis Franciæ, cujus nomen ibi nusquam conſpicitur, ſed qui ex *Sandero*, *Miræo*, & *Joanne Villano*, qui hujus itineris meminerunt, *Philippus IV*, aut *Pulcher*, eſſe deprehenditur, Pariſiis per Picardiam & Arteſiam in Flandriam, Gandavum, Brugas, Ipram, & retro per Picardiam, Normaniam, agrum Aurelianenſem, & ſic porro, Pariſios confecit, in comitatu Reginæ, totiusque curiæ, quam tabularum autor in miniſtros, milites, & valetos, dividit, ſingulos ſuis nominibus appellans. Singulos dies ſeorſim ſcripſit ille, certasque has in claſſes diſtribuit expenſas, in panem ſcilicet, vinum, coquum, ceram, avenam, & cameram. Poſt ſingulos viginti, aut viginti quinque, dies inſtituit recapitulationem ſummæ expenſarum omnium; cujus rei quo clarior acci-

accidat Lectoribus idea, ſpecimen additum eſt, at non ære, ſed vulgaribus characteribus, expreſſum. Computat Autor tabularii ſecundum licios, ſolidos, & denarios, & ſemper utitur non cifris hodie uſitatis, ſed numeris Romanis, quod hodienum in curia Brabantica obtinet. Dies non numerat, ut nos, ex ſerie, quam quisque in menſe habet, ſed ex ſerie, quam habet in ſeptimana, aut frequentius ex diſtantia a majore quodam & celebriore die feſto. Semel ſolummodo noſtro uſus eſt dies numerandi more, ſed haud absque errore. Cera hodie dura & friabilis eſt; olim vero ut mollis fuerit & obſequioſa, neceſſe eſt, quandoquidem literæ ſtilo non acuto, eoque facili & expedito, exaratæ ſunt. Cetera iſtius Codicis, quæ ſatis exacte Cl. *Cocchius* perſequitur, recenſere opus non eſt. Meminit hujus ipſius Codicis *Mabillonius Muſei Italici p. 192* teſtis oculatus, at, quamvis recte viderit, in eo iter *Philippi IV* deſcribi, in eo tamen fallitur, quod ait, eum *de cetero nihil continere obſervatione dignum, niſi nomina militum, aut nobilium, qui in Regis comitatu erant.* Noſter enim demonſtrat, multos uſus ex hoc Codice tam in Hiſtoriam, & Geographiam, quam Grammaticam, redundare, multas nimirum voces Latino-barbaras inde rectius intelligi & explicari procul dubio poſſe, aliaque magni momenti vocabula, ad leges & gubernationem civilem eorum temporum ſpectantia, Chorographiam Galliæ Belgicæ medii ævi poſſe inde ſuppleri & emendari, genealogias nobilitatis Gallicæ illuſtrari & confirmari, lites de jurisdictione & poſſeſſione locorum quorundam, de conditione, & exiſtentia hominum & urbium, dirimi. Poſſe Criticum in hoc tabulario reperire, quo ſe delectet, nomina hominum & urbium locorumve corrupta, quæ corrigere, aut nova, quæ ad *Valeſii* Galliam antiquam addere, poſſit. Bene fecit Cl. *Cocchius*, quod ea, quæ maximi momenti & uſus ſunt, ex hoc Codice, quem videre cuivis non contingit, excerpſit, geographica nempe & hiſtorica. Et quidem a *pag. 25* usque ad *34* dat nomina locorum, per quæ *Philippus* Rex in itu redituque tranſiit. In fine hujus excerpti addit: „Hic finis viæ, & poſtremæ ceræ, „quæ eſt Codicis totius vigeſima ſexta. A. C. M. legi & di„ſtinxi, & ob vocabula pæne omnia in Codice decurtata &

„perplexa fortaſſe minus emendate deſcripſi Florentiæ menſe „Januario 1740,„ veniamque erroris petit, ſi quando fuerit humani quid in extricandis illis intricatis paſſus; & Criticorum ſtudia excitat. Apponamus breve aliquod ſpecimen curioſi monumenti, ſitque illud initium, quod hoc eſt: *Tabule q. incepunt ven' poſt S. Marcu cccj. & durav'unt usq. dmnic. f. S. aplor. Sym. & Jude cccj*, id eſt, *Tabulæ, quæ inceperunt Veneris (*die*) poſt S. Marcum anni* MCCCI. Porro *Ven. p. S. Mrcu. apud asner. Ra. com. in div'io ap. pontis*, id eſt, ut interpretatur *Cocchius:* Anno Chriſti MCCCI, Aprilis XXVIII, *Veneris poſt Sanctum Marcum* Rex fuit *apud Aſnerам Regina comedente in diverſorio apud Pontes.* Sed pergamus. *Pag. 37* ſupplet Noſter ex Codd. MSS. inſignem locum in Chronico *Joannis Villani*, qui editis omnibus deeſt, ſcilicet integrum *Cap. 37 Libri octavi;* quod enim in editis trigeſimum ſeptimum numeratur, eſt re vera trigeſimum octavum. Hiſtorica vero, ſeu indicem miniſtrorum, militum, & valetorum, qui Regem comitati fuerunt, exhibet a *pag. 43* usque ad *pag. 61*, unde apparet, nobiliores inter comites fuiſſe *dominum Ludovicum Comitem Ebroicenſem*, quem Cl. *Cocchius* putat fratrem Regis *Philippi* fuiſſe, eundem, qui in fœdere particulari, *Philippum* inter, Franciæ, & *Eduardum*, Angliæ Reges, apud *Leibnitium* in *Cod. Jur. gentium n. 27* ſubſcribitur: *Monſieur Louis fils du Roy de France Comte d'Evreux.* Conſpicitur in eodem indice *Jean ſire de Jonville*, quem Noſter nepotem putat ejus *Joannis de Gionville*, qui hiſtoriam *S. Ludovici* ſcripſit. Tres Medici, totidemque Chirurgi, quos Rex in comitatu habuiſſe legitur in his tabulis, occaſionem dederunt literatiſſimo Medico Italo, eruditas multas obſervationes, ad hiſtoriam Medicinæ pertinentes, depromendi. Medicos inter celebris eſt *Henricus de Mondavilla*, aut *Mundavilla*, cujus meminit *Guido de Cauliaco.* Multis diſputat Noſter de rectis & pravis ejus nominis ſcribendi modis. Inter Chirurgos recenſentur *Joannes Pitard*, Gallus, fundator Collegii Chirurgorum Pariſienſis, et Itali duo, *Joannes de Padua*, & *Jacobus de Siena*, quorum hunc, conjicit Noſter, filium, aut affinem, eſſe illius *Aldobrandi Senenſis*, qui ante A. 1300 Pariſiis medicinam fecit, & cujus libros de conſervanda

da ſanitate laudat, horumque tres interpretationes Italicas vidiſſe ſe memorat, omnes ineditas. Reliquos duos Medicos obſcuros ait homines fuiſſe, ſimulque demonſtrat, nullo tempore non fuiſſe Medicos ſtricte ſic dictos a Chirurgis diverſos & diſtinctos. Commemoratur in indice curiæ quoque *Dominus de Caſtellione.* Noſter conjicit, hunc ipſum animo *Bocaccii* obverſatum fuiſſe, quando *Novella ſexta Giornata, le Sire de Caſtiglione* tanquam ſymbolum hominis divitis proponit. Certe potuiſſe *Bocaccium* hujus viri notitiam habere, quandoquidem juvenis Pariſios viderit. Inter impedimenta & inſtrumenta luxus regii, ſed qui hodie vix privato dignus homine videatur, *mala granata* & *aqua roſarum* commemorantur, quorum illa quidem credebant eo tempore Medici concoctionem adjuvare, & ventriculi tonum intendere; hanc vero pro cordiali habebant, quod num ita ſimpliciter accipi debeat, dubitat Noſter. Videtur ipſi potius hæc aqua vim analepticam ab aliis ſpeciebus, quas addere in ſicca ſublimatione ſolebant, ut camphora & croco, accepiſſe. Inter alia ex *Tacuino*, quem ſcriptorem eſſe putat & Judæum, & *Carolo M.* æqualem, ſtudet evincere, quod aquæ roſarum confectio *Rhaſe* & *Actuario* ſit antiquior. Poteſt id quidem verum eſſe, allatum tamen argumentum id certe non probat. *Tacuinus* enim, vel potius *Tacuini* autor, (eſt enim id non hominis, ſed libri, nomen,) Judæus non erat, ſed ex Chriſtiano Muhammedanus, neque *Carolo Magno* æqualis, ſed eo pluribus Seculis poſterior. Conſtat ex *Herbeloti Bibliotheca orientali p. 400, Tacwini* autorem eſſe *Ibn Giazlah*, vel *Ibn Gjazelah*, eumque obiiſſe anno æræ Muhammedanæ 493, id eſt, Chriſti 1099, aut 1100. Fuit ergo *Rhaſe* & *Actuario* poſterior. Noſter a *Freindio* ſibi paſſus fuit hic imponi, vel potius ambo a titulo veteris editionis *Tacuini* Moguntinæ de anno 1532 in errorem inducti ſunt, in quo legitur: *Tacuini Aegritudinum — Chriſtianiſſimo Regi Carolo, ejus nominis primo, nuncupati.* Chriſtianiſſimus ille Rex *Carolus I* non eſt *Carolus M.* ſed eſt *Carolus* Andegavenſis, primus utriusque Siciliæ de Francica proſapia Rex, *Ludovici Sancti* frater, cui non Autor, *Ibn Gjezlah*, ſuum opus ſcripſit,

pſit, ſed interpres Latinus, qui Judæus & ejus *Caroli* archiater erat, interpretationem ſuam inſcripſit.

NOVÆ EDITIONIS TRAGOEDIARUM ÆSCHYLI Specimen, curante ANTONIO ASKEW, M. B. Colleg. Eman. apud Cantabrig. nuper Socio Commenſali.

Lugduni Bat. 1746, 4 maj.

Plag. 1½.

Cum Tragœdiarum *Æſchyli* editio *Stanlejana* neque reperiatur in tabernis librariis, neque abſoluta ſit atque perfecta, ea autem, quam *Jo. Corn. Pauw* curavit, ſi ab ſuperiorum Editorum notis diſceſſeris, parum probetur intelligentioribus; *Antonius Askew*, Vir Græce doctiſſimus, inſtituit novam editionem adornare, quæ ſuperiores magnificentia, ac multo magis emendationum & obſervationum bonarum copia, longe ſuperaret. Quod eum perfecturum, nullo modo dubitamus, cum non modo abundet Græcarum literarum ſcientia, ſitque inprimis ſtudioſus artis criticæ, & Poeſeos Græcæ interioris, ſed etiam apparatu inſtructus ad eam rem lautiſſimo. Nam, cum hoc ipſum Specimen ederet, habebat notas ineditas *Aurati, Jacobi, Joſ. Scaligeri, Grotii, Falkenburgii, Iſ. Caſauboni, Burdelotii, Pearſonii, Iſ. Voſſii, Stanleji, Spanhemii, Fungeri*, & aliorum, variasque Lectiones e Codd. triginta quinque manuſcriptis, quibus deinde in itinere literario, quo plures Europæ partes peragravit, plures acceſſere. Adjicietur, præter indices rerum & verborum, velut auctarii loco, liber ipſius de Metro Græco tragico. Hoc opus chartæ ſplendidæ, typis luculentis, quales ſunt in *Squiriana Plutarchi* de Iſide & Oſiride editione, tribus formæ, quam vocamus quartam, Voluminibus imprimetur. Ejus exempla qui ſibi parare volent, debebunt nomina ſua profiteri, vel Lugduni apud *Jo. Arn. Langerak*, vel Cantabrigiæ apud *Guil. Thurlbornium*, vel denique Londini apud *Jo. Whiſtonum*, aut *Carol. Bathurſtium*, librarios, hac lege, ut pecuniam demum repræſentent, ubi in *tertio Volumine* prela exercebuntur. Solventur autem tum duo aurei Anglicani. Qui apud eos, quos diximus, bibliopolas ſubſcripſerint, eorum nomina in fronte Operis proponentur, neque major exemplorum, quam ſubſcriptorum, numerus erit.

Sed,

Digitized by Google

Sed, ut Lectores noſtros velut in rem præſentem, quoad notas quidem Viri Clar. deducamus, quaſdam ex ipſo Specimine addamus, ut inde judicare poſſint Lectores, quid de hac editione ſperandum ſit. Notæ autem, ibi propoſitæ, pertinent ad *Eumenid. v. 570 ſeq.*

> Ητ᾽ ἂν διάτορος Τυρσηνικὴ
> Σάλπιγξ, βροτέȣ πνεύματος πληρȣμένη,
> Υπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ.

Quæ in hunc locum attulerunt viri docti, aliena ſunt omnia, & adeo parum nos juvant, ut potius magis implicent. Primum *Jacobus*, &, qui ſecutus eum fuit & approbavit, *Stanlejus*, lacunam verſus ſupplere volentes, ἤ τ᾽ ὄυτων διάτορος propoſuerunt, haud animadvertentes, ne ſic quidem labantem verſum firmis fulcris ſtabiliri. Secunda enim in διάτορος brevis eſt, quæ longa debebat eſſe. *Arnaldi* ὄρθιον δὲ nimis recedit a veteris ſcripturæ veſtigiis, ne dicamus nunc, quam a vero ſenſu alienum ſit. Lucem affundit obſcuro ſatis loco Codex Pariſienſis quartus, qui ſolus cum Mediceo & Guelpherb. quantum novimus Tragœdiam hanc inter omnes *Æſchyli* Codices exhibet, dum legit διάκτορος. Expeditus itaque locus hic erit, ſi pro ἂν, quod forte olim ȣ̓νȣ erat, legamus ȣ̓ρανȣ̃ in hunc modum:

> Ητ᾽ ȣ̓ρανȣ̃ διάκτορος Τυρσηνικὴ
> Σάλπιγξ, βροτέȣ πνεύματος πληρȣμένη &c.

Supereſt tamen adhuc parva quædam macula eluenda, ſed quæ caliginem eruditis hominibus hactenus offudit. Nempe pro φαινέτω legimus φαῖνε τῷ, diviſis vocibus. Senſus itaque potius loci hic erit:

> *Tyrrhena tuba, quæ penetras aëra,*
> *Humano ſpiritu impleta,*
> *Intentam vocem profer multitudini.*

De veritate hujus emendationis dubitare nos non ſinit benignum judicium, quod de ea tulerunt aliquot magnæ eruditionis viri. Neceſſe autem eſt, ut & locum paulum illuſtremus, & erroris originem patefaciamus. Διάκτορος apud *Homerum* ſæpius eo ſenſu, quo hic, occurrit. Vid. *Heſych. v.* Διάκτορος, & ibi interpr. Sæpe autem pepererunt errorem

&

Digitized by Google

& mendam male intellecta ſcripturæ compendia, quibus uti ſolent librarii Græci pariter ac Latini. Ita mali quid in hunc quoque locum irrepſit. Forte olim, ut jam indicavimus, fuit ἄνυ cum lineola, quod cum non caperent exſcriptores, ſuppoſuerunt ἄν, cum debuiſſent ὐρανῶ ex eo facere. Jam notarunt hoc viri docti apud *Heſychium* v. ἀὐτὴ, & pro ἀνὸν, aut δ' ἄνον, quod ibi olim vitioſe legebatur, recte repoſuerunt δ' ὐρανόν. Itidem in voce πνεῦμα ὔριον pro ὐράνιον. Vix magis obvium quid in veteribus Græcorum librorum editionibus, quam ἄνος pro ἄνθρωπος, quod non aſſequentes recentiores quidam Editores, vitia inde haud pauca procuderunt. Unum adhuc monendum, quod *Grotius* in ſuo Codice pro βροτεἰω ſcripſerit βροτείη. Cujus rei rationem non videmus. Quamvis enim *Æſchyli* ſtilo poſſit σάλπιγξ βροτείη accipi pro pulmone & aſpera arteria, & hic quidem in loco præconis, obſtat tamen præcedens vox Τυρσηνικὴ.

V. 583. τῶ Φόνω) Admitti non poteſt, quod aliqui Codices exhibent, & viri docti probant, τῶδε Φόνω, quandoquidem in vulgata & ſenſus ſibi conſtat & metrum, in altera iſta τῶδε, utrumque male. Rariſſime, & non niſi fere in nominibus propriis, occurrit Anapæſtus in ſecunda & quarta ſede Jambici verſus Tragici, quamvis *Pauwius* contra ſentiat; ſed is metricarum legum, præſertim in his Jambis & Anapæſtis vulgaribus, imperitus & iniquus judex eſt, ut ſatis in *Hephæſtione* olim, & nunc in *Æſchylo*, demonſtravit, ſuperbus iſte & faſtidioſus *Bentleji* Cenſor, Viri, cui vel decem Criticaſtri non pares erunt.

V. 584. Κυρώσων) *Falkenburgius* & Codex Rawlinſonienſis legunt κυρώσαι, quod non ſpernendum quidem, tanti tamen non eſt, ut vetuſtam lectionem infirmet. *Scaliger* & *H. Stephanus* κύρωσον malunt, quod eſt in Cod. Guelferb. atque puto verum eſſe. Nam, ſive ad Chorum, ſive ad *Minervam*, referas, aptius erit κύρωσον, quam maſculinum.

V. 596. πρὸς τῶδ' ἐπείσθης;) *Grotius* recte πρὸς τῶ δ' ἐπείσθης conjicit, quod quamvis facile ſit & obvium, ut a quocunque attentiore potuerit obſervari, ſuſpicamur tamen, a *Pauwio* fuiſſe *Grotio* ſurreptum. Novimus enim morem hominis, emendationes virorum doctorum bonas æque ac malas ſibi impudenter vindicandi; & haud incertis indiciis collegimus, Trajectinum iſtum Criticum *Grotii* aut libro uſum fuiſſe, aut exſcriptas inde ab Amico ſatis noto habuiſſe Emendationes. Ita homo *Caco* furacior omnes fere *Grotii* conjecturas, nomine ejus ſuppreſſo, ad ſe rapuit, &, hiſce latrociniis ferox, aliis interpretationibus contumelioſe inſultavit.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXLIX.
Pars I.

DE ORATORIIS DOMESTICIS, ET DE USU Altaris portatilis, juxta veterem & recentem Eccleſiæ diſciplinam eccleſiaſticorum ſeculariumque virorum ſingula jura & privilegia complectentem. Autore P. D. JOANNE BAPTISTA GATTICO, Novarienſi, Canonico regulari Lateranenſi, & Abbate.

Romæ, ex typographia Generoſi Salomoni in platea S. Ignatii, 1746, fol.

Alph. 5 plag. 8.

Libro duæ præfixæ ſunt inſcriptiones, formulam dedicationis complectentes, ad Dominum Jeſum Chriſtum altera, altera ad *Benedictum XIV.* Præfatio monet, templa Chriſtianorum in teſtimonia cultus & obſequii erga divinum ſacrificium, incruentam victimam, fuiſſe initio exſtructa. Pauci ſcriptorum de privatis oratoriis, & de uſu altaris portatilis extra loca, divinis tantum cultibus conſecrata, libros & commentarios evulgarunt. Sparſim, & aliud quaſi agendo, ſcriptores hoc argumentum attigerunt. Autori autem libuit id unum potiſſime perſequi, ac hinc inde ea corradere ac colligere, quæ ad

Digitized by Google

materiam hanc ediſſerendam nonnihil conferunt adjumenti. Disquiſitio prior ad Oratoria domeſtica ſpectat; poſterior, brevior quippe, ad aræ portatilis referenda eſt uſum. Hiſtoriam rituum ab exordio deducere conatur Rev. Autor. Fontes plerumque ſalutavit. Evolvit multa Pontificum privilegia, partim in tabulariis lecta, partim per aliorum benignitatem ſibi tradita. Stimulavit ad Opus elucubrandum, & ſupellectili ſua libraria adjuvit, Autorem *Nicolaus de Simone*, Patricius Beneventanus, Epiſcopus Maroianenſis, S. Congregationis ſuper diſciplina regulari Secretarius, Signaturæ Juſtitiæ Votans, Vir literis divinis & humanis ornatus, utriusque Juris peritiſſimus, vitæ integritate probatiſſimus. Operi index capitum triginta eſt præfixus. Opuſculi adjecti ſunt *Capita quindecim*. Summa rerum, quas opus utrumque continet, recenſentur in indice, calci adjecto, eoque ſatis curate elaborato. In opere variæ evolvuntur doctrinæ, ad eccleſiam Romanam congruentes. Nomen oratorii indicat locum, precibus dicendis accommodatum. Seculo quinto vox, in anguſtiores terminos redacta, parva ſacella deſignare cœpit. Seculo VI & VII ea tribuebatur ſacris ædibus, in quibus publicæ non habebantur collectæ, vel quæ jure carebant parochiali. Græci adhibuerunt eo ſenſu nomen εὐκτήριον. Capellarum origo, e Seculo VII deducenda, ex *capa* S. *Martini* profluxit. Inde dicti *Capellani*. Parva ſacella tandem *capellæ* dicta. Oratorium eſt vel publicum, vel privatum. Ad illud omnibus patet in via publica aditus. Quod caret publico aditu, privatum dicitur. Ad oratoria domeſtica ſi patet janua publica, ea ſunt publica. Januam publicam oportet eſſe ceteris patentiorem. Ingreſſus privatus in oratoria publica raro permiſſus. Campana oratorio publico convenit, non tamen eſt neceſſaria. Unam modo iſtis conceſſit *Carolus Magnus*. Sunt Oratoria publica, in quibus Miſſas peragere haud licet. Nemini vetitum eſt, habere oratorium privatum ad preces dicendas. Originem oratoriorum domeſticorum Autor deducit ab Apoſtolis.

Synaxes in domibus privatis primo ævo celebratæ, rarius eccle-

eccleſia perſecutionibus defuncta, licet Concilia, Laodicenum & Gangrenſe, id fieri haud prohibuerint. Pontifices Romani nonnunquam privatas peregerunt Miſſas, ſiquidem ipſi plura in Lateranenſi patriarchio oratoria habebant. *Julius I* Pag. 28.
exſtruxit ejusmodi oratorium, teſte *Anaſtaſio* in *Sergio I.* Intra palatium exſtitit tempore *Gregorii M.* oratorium. Card. *Raſponus* in opere erudito *de Baſilica & Patriarchio Lateranenſi* id ipſum copioſe oſtendit. Adde *Fr. Blanchinium* in *Annot.* ad *Cæleſtinum P. Anaſtaſii T. III Sect. 62 pag. 96.* Oratorium *Laurentianum* haud eſt omittendum, de quo *Anaſtaſius* in *Stephano IV* mentionem injecit, nec non in *Gregorio IV.* Id fuit æque in palatio. Baſilicæ, *Sancta Sanctorum* dictæ, Canonici erant adſcripti, Papæ miniſteria præſtantes. Oratoria palatii alia erant privata. Tale videtur 29.
exſtruxiſſe *Calliſtus II.* Capellæ diſtinctæ in *parvas & magnas*, teſtibus Ordinibus Romanis in *Joannis Mabillonii Muſeo Italico pag. 353, 474, 154.* Capellani, quorum nomen Seculo IX vix antiquius, inſervierunt Pontifici in mitra, ſacris veſtibus, ac officiis conſimilibus, cum vel hymnos decantarent, vel ſacris operarentur. Capellanus Seculo ſexto 31.
dictus videtur *Apocriſiarius.* Certe *Hincmarus* ad Epiſcopos Galliæ *de Offic. Palat. Cap. 6* ſic tradit. At Apocriſiarius erat nuntius, teſte *Gregorii M. Dialogo Lib. III Cap. 36. Hincmarus* ipſe *Cap. 13* Apocriſiarium appellat *reſponſalem eccleſiaſticorum negotiorum.* Reges Galliæ capellanos nonnunquam ſuos eſſe voluerunt Apocriſiarios. Pontificum Apocriſiarii ad Imperatores mittebantur, & viciſſim referebant reſponſa eorum ad Pontifices. *Gregorius M.* a cubiculo ſuo removit Seculares, conſiliariosque ſuos & familiares e Clericis & Monachis delegit, teſte *Joanne Diacono Vitæ Greg. II, 11.* De Subdiaconis palatinis & baſilicariis Noſter copioſe. Adſtipulatur *Onuphrio Panvinio*, palatinos hoſce pro Subdiaconis Romanæ eccleſiæ reputante. Capellani Papæ ab ejus Sub- 33.
diaconis in *Ordine Romano* uno ac altero diſtinguuntur. Ex horum Clericorum diſcrimine formatas fuiſſe certas claſſes, quibus *Scholarum* fuerit nomen, docet. Capellanos & audi-

Digitized by Google

tores cauſarum palatii in unam claſſem coaluiſſe, Pontificibus Avenionem progreſſis, tradit. Ineunte Seculo XV auditores ſimul exſtiterunt Capellani Apoſtolici. Ex *Hiſtoria Romanæ Rotæ*, quam *Berninus* edidit, *pag. 60* id ipſum patet. Iisdem auditoribus munus Apoſtolicorum Subdiaconorum addidit *Alexander VII* A. 1655, 26 Oct. Pontificibus porro in oratoriis domeſticis fuerunt acolythi palatini, in ſtationarios & regionarios diviſi, miniſtrantes Pontifici etiam in aliis baſilicis, quibus peculiares adſcripti erant Acolythi. De eccleſiis ſtationalibus, quas *Sixtus V* A. 1589 renovare ſtuduit, paulo
Pag. 41. poſt deſinentes rurſum, nil adjungemus. Oratoria epiſcopalia vignerunt in Occidente jam Seculo VI & VII, ut ex *Libro diurno Tit. X Cap. 5* intelligitur. In illis privatæ Miſſæ pro defunctis, dictæ *ſpeciales*, celebratæ. Cardinalibus jam olim fuiſſe domeſtica oratoria, perſpicitur ex exemplo
42. *Joannis* Cardinalis *Diaconi* in *Vita S. Gregorii III, 59.* Clarius exemplum eſt Seculi XIV ex Ordine Romano XIV *n. 61.* *Leo X* moris meminit in Bulla reformationis curiæ, edita in
43. Concilio Lateranenſi A. 1514, 5 Maji. Monachis fuiſſe jam Seculo IV oratoria privata, ex *Epiphanio* oſtendit Noſter, addens, monaſteriorum paulo poſt jam fuiſſe certos Presbyteros. Archimandritæ jam Seculo V exſtiterunt, monaſteriorum recto-
45. res, Sacerdotii dignitate fulgentes. Presbyteri vero illi erant non ob populum, ſed ob fratres ſuos, ordinati. Mos in Oriente receptus tranſiit in Occidentem, *Gregorii M.* ætate in Sicilia alibique pervulgatus. In Oriente Abbates ſimul erant Sacerdotes. In Occidente regula *Benedicti* negat eundem
51. viguiſſe morem. *Augendus* Abbas, ineunte Seculo VI florens, adduci haud potuit, ut ſacerdos fieret. Vid. *Mabillonii Annales Benedict. Lib. I n. 63.* Nonnulli Abbates modo Diaconi fuerunt. Falluntur ii, qui, Abbatibus haud licuiſſe fieri
53. Sacerdotes, ſibi parſuadent. In Monachorum Eccleſias aditus fœminis haud patuit initio. S. *Aurelianus*, Epiſcopus Arelatenſis, in ſua *regula Cap. 14* vetuit, ne ad eas Laici accederent. Monaſteria enim credebantur in uſum perſonarum mona-

cha-

Digitized by Google

chalium duntaxat eſſe condita, teſte *Gregorio Magno Lib. VIII Ep.* 4, *Lib. X Ep.* 2. Quam ob cauſam edictum fuit, Pag. 55.
ne Miſſæ publicæ in Cœnobio fierent, neu ibi cathedra collo-
caretur, teſte Synodo Romana A. 601. *Joſephus* Vicecomes
id aſſecutus eſt. *Angelus a Nuce* iſthæc ſic interpretatus eſt,
ut licuerit Miſſas publicas in monaſteriis celebrari, non ta-
men per Epiſcopum. Refellit hunc Noſter. Occaſio inde
ſubnata, ut monaſteria redderentur exemta, & ab Epiſcopo-
rum poteſtate prorſus libera. Nam poſthæc nulli Epiſcopo,
Metropolitano, aut Suffraganeo, licuit ſenſim ingredi mona-
ſterium, ni Abbas loci eum vocaſſet, teſte *Aimoino* Mona-
cho *Lib. III*, differente de decreto S. *Germani* pro monaſterio
S. Crucis. Presbyteros mittebant Epiſcopi in monaſteria, ſi 57.
præfecti eorum eos poſtulaſſent. Perſequitur Autor idem 59.
argumentum a Seculo octavo inde usque ad tempora Conci-
lii Tridentini *Cap. 8. Dominicus* & *Franciſcus* & utriusque
ſodales nacti ſunt templa parochialia, ſeu eccleſias conventua-
les. Id ipſum Noſter ita oſtendit, ut nemini quid dubitatio- 66.
nis ſupereſſe poſſit. Perſtiterunt tamen monaſteriis nihilo 67.
minus tunc ſua etiam oratoria privata. Dominicanorum &
Franciſcanorum multi ſeſe miſſionis ſacræ gratia in omnes
orbis partes diffundere cœperunt. Ex eo receptus fuit mos,
parva quædam oratoria componendi, in quibus divina officia
peragerentur. Huc reſpexit *Honorius III*, A. 1221 Ordini 68.
Prædicatorum licentiam aræ portatilis impertitus. Minoritis
conſimilia conceſſa fuerunt privilegia. Tale eſt *Gregorii IX*
in *Corpore Juris Can. Lib. V tit. 33 Cap. In his*, quod æque
reſpicit uſum aræ portatilis in privatis oratoriis. Carmelitis
uſus aræ portatilis a *Clemente IV* conceſſus A. 1265, quod pri-
vilegium *Urbanus IV* A. 1363 ampliavit. In prima regulæ Fran-
ciſcanorum confirmatione *Honorii III* A. 1226 jam *Cap. 8* licen-
tia exſtructionis oratorii privati *in medio cellularum* comme-
moratur. Eremitæ S. *Auguſtini* ab *Alexandro IV* A. 1257, & a
Clemente IV A. 1266, idem obtinuerunt privilegium. Jeſuitis 69.
ſimile indulſit privilegium *Paulus III* A. 1549 in Conſtitutione

Licet debitum. Permiſſa Monachis oratoria in grangiis pro certa re reputavit *Gregorius IX Lib. III Decret. Tit. 39 de Cenſibus Cap. ult.* ſiquidem, ea a procurationibus ſolvendis immunia eſſe, decrevit. Copioſe *Gonzalez* in hunc locum. Plane id conceſſit Monachis Carthuſienſibus *Urbanus V* privilegium. Ciſtercienſes ejusdem commatis privilegium habendi in grangiis oratoria impertiit *Alexander VI.* Ipſi vero A. 1204 in Capitulo generali ſanxerunt, ut everterentur ſingula in grangiis altaria, ſiquidem in eis ſoli *Converſi* morabantur. Edidit decretum *Martenius T. IV Anecdot. pag. 1300.* Pro-
Pag. 71. greditur Autor ad vetera privata Sanctimonialium oratoria. Seculo V exeunte jam ipſis peculiaris deputatus fuit Presbyter, qui illarum cœnobia ad cœnam ſacram peragendam introiret. Parthenon, S. *Caſſiano* dicatus, Maſſiliæ fuit, cui *Gregorius Magnus* conceſſit facultatem, ſolum natalem *Caſſia-*
74 *ni* & dedicationem templi ſolennius & publica populorum devotione celebrandi, addita tamen conditione, ut cathedram Epiſcopus, hiſce ſolennitatibus peractis, ſtatim rurſus auferret. De reliquo oratorium ſuperfuit privatum, ſolis virginibus dedicatis inſerviens. Reliquis Parthenonibus cunctis idem jus haud fuit communiter indultum, ſiquidem plerique perpetua coercebantur clauſura, ut nemo maſculus, vel vir, ingrederetur, exceptis Presbyteris, quibus in eccleſias Virginum ſacrarum ad peragenda Miſſarum officia ingredi licebat, qui tamen, munere expleto, confeſtim redire ad ſua juſſi erant. Mos ille per Germaniam auſtralem Seculo ſexto obtinuit. In Italia nonnunquam Monachæ ejus erant generis, ut in paternis domibus viverent, teſte *Gregorio Magno Dialog. Lib. IV Cap. 15.* Ipſe perpetuo, ut oratoria Monacharum ſine miſſis publicis per Presbyterum, ab Epiſcopo ſubmiſſum, celebrarentur, præcepit. Nam uſui publico oratoria illa haud patebant. *Bonifacius*, Africæ
75. primas, A. 517 virginibus, ibi in monaſterio ſimul viventibus, facultatem permiſit deligendi Presbyterum, *quem vellent*, qui in monaſterio officium perageret ſanctum. Re-

citatum

eſſatum fuit id privilegii A. 525 in Synodo Carthaginenſi.
Habemus hic exemplum monaſterii exemti. Seculo IX paſ- Pap. 77
ſim ex oratorio, intra ſepta clauſtri erecto, celebratio Sacra-
mentorum translata fuit in eccleſiam exteriorem, quæ olim
clero earundem Monacharum fuerat concredita. Ante tem-
pora Concilii Tridentini ipſis Epiſcopis vetitus erat ad miſ-
ſas celebrandas ingreſſus ob clauſuræ rigorem, niſi indultu
Pontificis. Paſſim indulta fuit ea facultas ſoli ephoro Ordi-
nis generali, Cardinali protectori, aliisque antiſtitibus licen-
tia præmunitis. *Capite 10 de oratoriis, ſeu capellis, magnorum* 79
Principum palatinis differendum ſibi Autor cenſuit, exorſus
a cubiculo *Conſtantini Maximi*, ejus in palatio eccleſia, &
eccleſia in caſtris portatili, ex *Euſebio*. De Capellanorum
vitiis & exemtione ab epiſcopali jurisdictione ibi traduntur
haud tralatitia. *Caput 11 de veteribus domeſticis oratoriis* 92
Laicorum usque ad tempora Tridentini Concilii inſcriptum
eſt. *Paulinus Diaconus* primam eorum mentionem videtur
injeciſſe in Vita S. *Ambroſii n. 10.* Dicitur enim *Ambroſius*
trans Tiberim apud quandam clariſſimam fuiſſe *invitatus*,
ac *ſacrificium in domo obtuliſſe*. Elucet idem ex *Concil. Car-*
thag. A. 390 Can. 9. Capellanis varia lege vetitum fuit, ne
ſacra in capellis ſine licentia Epiſcopi ſui celebrarent. Non
vacat ſegetem carpere exemplorum expoſitorum. *Caput 12* 109
tempus & cauſas mutatæ veteris diſciplinæ exponit. Deſiit
enim conſecratio capellarum, quam veteres ſolicite expo-
ſcebant. Cœpit mos paſſim intermitterdi earum conſecra-
tionem in Italia Seculo X, intercedentibus Epiſcopis. Dif-
fudit ſeſe inde conſuetudo in reliquam Europam. *Capite 13* 114
agitur de prohibitione facta a Concilio Tridentino ratione
Miſſarum intra oratoria domuum privatarum. Prohibuit 120
eas Synodus Seſſ. 22 A. 1562, 17 Sept. Mirum, fuiſſe, qui
nihilominus, Miſſas eas haud fuiſſe interdictas, contende-
rent. Refellit eos Noſter copioſe. Narbonenſe tamen Con- 129
cilium A. 1609 *Cap. 19 & 39* videtur ſignificare, ex mera Epi-
ſcoporum licentia in domibus privatis ſacrificia celebrari
poſſe. Impetravit approbationem, facta aliqua emenda-
tione,

Digitized by Google

tione, Narbonenſis Archiepiſcopus A. 1611. *Concil. Hard. T. ult. pag. 551.* Reſervaverat Papa *Pius IV* ſibi ſuisque ſucceſſoribus A. 1563, 26 Jan. facultatem interpretandi decreta Synodi Tridentinæ, aliis interdictam. *Gregorius XIII & Sixtus V* Congregationem e purpuratis inſtituerunt patribus, quæ facultate gauderet interpretationis & executionis Concilii Tridentini, Pontifice tamen conſulto. *Caput 14* inſcribitur de obedientia præſtita decreto unico Seſſ. XXII Concilii Tridentini, & de declarationibus, ejus cauſa per congregationem, Concilii interpretem, editis. Ex eo tempore plerique facultatem Miſſarum celebrandarum in oratoriis privatarum domuum a R. Pontifice impetrare conſueverunt. *Capite 15* diſſeritur de cauſarum gravitate, ut licite ab Ordinariis concedatur ſacrificium in oratoriis privatæ domus. Examinantur indidem earum cauſarum nonnullæ graviores, quæ cum decreto Concilii conſiſtere queunt. Præivit Autorem Cardinalis *Petra T. II Comment. ad Conſtit. VIII Honorii III pag. 493* ed. Rom. *Capite 16* inquiritur, quænam ſint privatæ domus, ad quas Concilii Tridentini decretum *Seſſ. 22.* reſpexit. *Capite 17* diſſeritur de oratoriis Cardinalium & Epiſcoporum privatis poſt Concilium Tridentinum. *Capite 18* de privatis oratoriis intra monaſteria & grangias Regularium poſt Concilium Tridentinum agitur. *Capite 19* exponitur de oratoriis privatis intra Monialium clauſtra, collegia Tertiariorum, & Conſervatoria puellarum poſt Concilium Tridentinum. Inſcriptum eſt *Caput 20* de privilegiis, quæ a Romano Pontifice concedi ſolent in oratoriis privatæ domus. *Caput 21* exponit *Apoſtolicum Indultum* pro oratorio privato ſecundum ea, quæ pertinent cumprimis ad perſonam privilegio gaudentem. *Capitis 22* ſumma de domo exponit, in qua privilegiatus exequi poteſt privilegium Miſſarum celebrandarum in oratorio privato. *Caput 23* exhibet conditiones requiſitas ab Apoſtolico Indulto pro oratorio domeſtico. *Caput 24* continet tractationem de viſitatione & approbatione oratorii privati ab Ordinario peragenda. *Ca-*

Pag. 131. 145. 159. 169. 184. 198. 210. 225. 260. 279.

hoſpi-

put 25 inſcriptum de conſanguineis, affinibus, familiaribus, & hoſpitibus, qui participes redditi *Apoſtolici Indulti*, ac per ejus privilegium. Oſtenditur *Cap. 26*, neminem in oratorio privato ſatisfacere præcepto Miſſæ audiendæ, qui privilegii Apoſtolici in partem haud venit. Offert ſeſe *Cap. 27* expoſitio de diebus, intra quos per Apoſtolicum privilegium Miſſam in oratorio privato celebrari conceſſum. *Caput 28* exponit de ſacris functionibus, quæ in Oratorio privato ſunt expediendæ. *Capite 29* diſſeritur de vetita adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ & euchariſtiæ in oratoriis privatæ domus. *Capite 30 Bullæ cruciatæ* privilegia pro oratoriis privatis vera a falſis diſcernuntur. Tempore enim Interdicti conceſſa eſt ſacrificii celebratio intra oratorium antea approbatum.

Pag. 294. 301. 321. 328. 347.

Opuſculi de uſu altaris portatilis hæc eſt ſumma. Inquiritur in nomen altaris, &, hoc ſemper ſacrificio, ſeu Miſſæ, adhibitum fuiſſe, ſignificatur. Chriſtus tamen ſacram cœnam traditur in menſa communi adminiſtraſſe. *Theodoretus* ſuper manibus Diaconorum miſſam peregit, quem pauci imitati. Altarium portatilium antiquitas vindicatur. Citra Rom. Pontificis indultum, ſeu diſpenſationem, nunquam ſacrificium ſine altari licere offerri, indicatur. Uſus altaris portatilis obtinet in celebratione Miſſarum extra oratoria & eccleſias. *Capite 2* de materia & figura altaris portatilis diſſeritur. Jam diu ex ſolo lapide ea fiunt. Olim quoque adhibita ſunt lignea & metallica. *Capite 3* diſſeritur de altaris portatilis conſecratione. *Quartum* exhibet frequentem ejus uſum ante *Conſtantini Magni* ætatem. Spectat huc *Thyſiaſteriologia Joannis Vogtii*. *Caput quintum* inſcribitur de more veterum celebrandi Miſſam in caſtris. *Capite ſexto* agitur de uſu veteribus trito extra eccleſias & oratoria ob infirmitatem, itinera, aliasque cauſas conſimiles. *Septimo* diſſeritur de more Præſulum eccleſiaſticorum, ſervato ad Concilii Tridentini tempora, celebrandi miſſam ſuper aris portatilibus infirmitatis, vel itineris, cauſa. *Octavo* exponitur de uſu horum altarium penes viros religioſos ante Concilium Tridentinum. *Nono* diſſeritur

355. 378. 381. 388. 392. 396.

tur de reſtrictione facta per Concilium Tridentinum ratione
Pag. 402. uſus altarium portatilium extra loca conſecrata. Impetranda
eſt licentia ab Epiſcopis celebrandi Miſſam ex cauſa graviſſi-
414. ma extra eccleſiam. Adduntur *Cap. 10* cauſæ, permittentes
uſum altaris portatilis ſub dio & extra loca conſecrata. *Ca-
pite 11* agitur de modo connavigantium, & mari iter facien-
tium, quantum ad uſum altaris portatilis. Nefas eſt, Miſſas
celebrare maritimas, niſi permiſſu Pontificis. Cautiones ad-
426. jecit *Benedictus XIV* privilegiis maritimæ celebrationis, qua-
lia conceſſit triremibus ſuis ac triremibus Joannitarum Mal-
438. tenſium. *Capite 12* exponitur de facultate utendi altari por-
tatili, qua adhuc gaudent poſt Concilium Tridentinum Epi-
ſcopi, eorumque ſuperiores. *Capite 13* exponitur de abroga-
448. tione veterum privilegiorum *aræ viaticæ*, quæ fuerant con-
ceſſa Regularibus ante Concilium Tridentinum; & de alio-
rum ſimilium conceſſione poſt Concilium. *Capite 14* diſſe-
ritur de privilegiis altaris portatilis, quæ a Romanis Pontifi-
cibus ſolent impertiri. Additur nonnihil *Capite poſtremo* de
privilegiis Pontificiis pro uſu portatilis altaris.

Diligentiam, gemino huic Operi inſumtam, ii potiſſimum, quorum hæc noſſe admodum intereſt, prædicabunt. Ex antiquitatibus & penu Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Juriſque Canonici tam multa fuerunt copioſe tractata, ut eruditio Autoris inde eluceat usquequaque.

MEMORIE STORICHE DELL' ANTICA ED inſigne Accademia de' Filergiti della Città di Forli', &c.

id eſt,

COMMENTARII HISTORICI ANTIQUÆ ET INSIGNIS Academiæ Philergorum urbis Fori Livii, exhibentes ſimul curatam notitiam graduum, bonorum, operumque editorum ac ineditorum, virorumque, ei ad noſtram usque

Digitized by Google

usque ætatem aſſociatorum, exquiſite collecti a GEORGIO VIVIANO Marchione BONACCURSIO.

Fori Livii, apud Antonium Barbiani, 1741, 4.
Alph. 2 plag. 12.

Antiquitate ac gloria multijuga excellit Academia, ſeu ſocietas eruditorum, a Foro Livii appellata, nacta in præſens tutatorem Cardinalem *Carolum de Marini*. Huic, eruditionis ſummo ornamento, hanc exercitationem Ill. Autor conſecravit. Academiam illuſtrant conditores ac architecti primi, eloquentiæ poeticesque coryphæi, *Dantes Aligerius*, *Franciſcus Petrarcha*, & *Jacobus Allegretti*. Eosdem ad autores refertur Academia ejusdem ſpeciei Ariminenſis. Forum Livii primus ſtruxit *M. Livius Salinator* in Gallia togata, diruit *Sulla*, reædificavit *Octavianus Cæſar*, precibus *Druſillæ Liviæ* Auguſtæ adductus, per *Cn. Cornelium Gallum* Forolivienſem, tandem Proconſulem Ægypti. *Fridericus II* huic urbi jus cudendi numum conceſſit ac inſignia aquilæ coronatæ, nec non Senatoribus oſtri geſtamen, pelle muris Sibaritici interpolatum. Pugnarunt cives cum Venetorum exercitu A. 1243, cum Bononienſibus A. 1275, cum Papa *Martino V* A. 1282, aliisque. Incidit urbs in ditionem *Ordelaffiorum* ac *Riariorum*. Hiſtoria Forolivienſium literaria in vulgus fuit edita præfixo titulo *Vite degli Uomini illuſtri Forliveſi*. Seculo XIV civitas innumerabilium propemodum virorum illuſtrium, & præſertim literatorum, fœcundiſſima fuit. *Jacobus Allegretti*, nulli eruditione ſecundus, ſtudio aſtronomico, medico, ac philoſophico, immerſus, A. 1370 Fori Livii inſtituit ſocietatem eruditorum, ſeu Academiam. Collegas aſſumſit *Franciſcum de' Conti di Calbolo*, *Azzonem*, *Nerium Orgoloſi*, *Joannem de' Sigismundi*, *Andream Speranzi*, *Renaldum Arſendi*, *Valerium Morandi*, *Joannem Aldobrandini*, *Spinuccium Aſpini*, ac *Paulum Allegretti*, genere & literarum cultu illuſtres. Primorum Academi-

Pag. 6. 8. 9. 10.

Digitized by Google

demicorum complures excolendæ Poeſi operam navarunt. Cives
ſuſpexerunt Italica bucolica *Allegrettii*. Interturbavit initia ca-
lamitas publica. Guelficæ enim factionis oſores omnia mi-
ſcuerunt ſeditione & cædibus. Ruinæ involuta eſt ſtirps
Allegrettii ipſa. *Sinibaldus Ordelaffius* ſolium recepit majo-
rum, a Gibellinis ſuſtentatus. *Ordelaffii* revocarunt exulem
Pag. 11. *Allegrettium* ad Academiam denuo inſtaurandam. In *Sini-*
baldi impotentem potentatum conſurrexere univerſi. Inde
Allegrettio enatæ ſunt calamitates. Conceſſit ipſe Ariminum,
15. ubi novum conſtituit Parnaſſum, ac fato conceſſit. *Antonius*
Orcius reſtituit Foro Livii Academiam, Profeſſor Poeſios ac
Oratoriæ, & P. *Fauſtus Anderlini*, *Pomponii Læti* diſcipulus,
nec non *Joannes Franciſcus Berti*, ceſſantibus a ſeditione mi-
ſeris civium factionibus. Tunc temporis Academici ſibi no-
men *Philergitorum* indiderunt. Incidunt hæc fere in me-
dium Seculi XV. Non vacat ſeriem Academicorum ex Au-
tore tranſcribere. Excelluerunt inter eos *Jacobus a Turre*,
novus *Ariſtoteles* dictus, cujus opera medica proſtant multa,
Jacobus Numai, filius *Majoli*, Epiſcopus in patria, Vicarius
generalis Romæ, A. 1409 Piſano Concilio aggregatus, *Mat-*
43. *thæus Balduccius*, *Flavius Blondus*. *Antonii* filius, cujus
ſcripta hiſtorica in lucem prodierunt Venetiis A. 1480, & Baſi-
leæ A. 1559, P. *Fauſtus Anderlini*, cujus Poemata Latina celebran-
71. tur, *Hieronymus Albicini*, *Bartholomæus Balduccius*, legum
doctor, Hiſtoricus, & Theologus, *Hieronymus Maſerius*, qui
Ciceronis Opera A. 1505 edidit, Latini ſermonis terſiſſimus
cultor, aliique. Placuit Academicis Seculo XV vergente co-
98. gnomen *Addimeſticati*. At mox præſtare viſum eſt cogno-
114. men antiquum, ac inſigne ingenioſe adjectum. *Fabricius*
Patavinus phyſicis ac medicis ſcriptis & ſibi & Academiæ, in-
129. clinante Seculo XVI, gloriam conciliavit. P. *Stephanus Gua-*
raldi da Cento ſcripſit *Scholaſtica Commentaria*, ac *in libros*
141. *Phyſicorum de Anima*, nec non alia. *Hieronymus Mercuria-*
lis docuit Patavii publice in Academia ſummo cum applauſu.
145. Exſtant ejus volumina non pauca phyſica & medica. Cele-
bravit laudes illius *Janus Nicius Erytræus* in *Pinacotheca*.
Joſe-

Joſephus Lanzonius, defunctus A. 1730, ſcripſit *de balſamatione cadaverum*, *Citrologiam*, *Zoologiam practicam de* Pag. 248.
Animalibus, ad medicinam facientibus, *Additiones ad Olai Borrichii* quædam, *Adverſaria*, *Conſultationes medicas*, *de luctu mortuali veterum*, *de Iatrophyſicis Ferrarienſibus*, *de Clyſteribus*, *de Saliva humana*, *de Lachrymis*, *de Febre quartana*, *Scholia ad Meynichin*, *Obſervationes medicas ad Academiam naturæ curioſorum Germaniæ*, *Prælectiones ad lectionem primariam Philoſophiæ*, *delle Corone e unguenti degli antichi*, *Lettere erudite*, alia. *Joannis Baptiſtæ Morgagni* lau- 252.
des & ſcripta admodum multa noſtro labore & admiratione ſunt excellentiora. Anatomicorum inter primos fuit. Cum principibus Phyſicorum certavit eruditione. *Hieronymi Ba-* 256.
ruffaldi exſtant *Diſſertationes de Poetis Ferrarienſibus*, Ferrariæ A. 1698 editæ, *Diſſertatio de Præficis*, *Schediaſma de armis convivalibus*, *ad Rituale Romanum Commentaria*, Venet. 1731, fol. Omittimus ejus ſcripta Italica, quæ inter eminet *la Vita del B. Giovanni Nepomuceno*. Quid de *Ludovico* 300.
Antonio Muratorio, Mutinenſis Sereniſſimæ domus a Bibliotheca, dicemus? Si afferimus pauca, Viro Celeberrimo facimus injuriam; ſin pro merito aggrediamur dicere & cum cura, verendum eſt, ne volumen anni unius haud ſufficiat laudibus ſcriptisque ejus indicandis. Datur tertium. Memoriam ejus venerabimur, laudes non diſſimulabimus, ſcripta faciemus maximi, ac, nemini non commendabilia eſſe, arbitrabimur. *Partibus III* recenſuit membra Societatis ac Academiæ lumina *Vivianus*. *Parte quarta* exhibuit leges, inſtituta, & privilegia. Præmittuntur tabulæ legum duodecim, ad primam inſtitutionem & collegarum conſenſionem refe- 339.
rendæ. Ipſæ deinceps tabulæ fuerunt temperatæ, acceſſionibus auctæ, & paſſim mutatæ. Hiſce exhibitis, Ill. Autori vi- 349.
ſum eſt ſubjungere Academicos noviſſimos, & Appendicem, quæ Philergitarum reſponſionem ad *Franciſci Gaddii*, Philoſophi excellentiſſimi, *Paulo III* in deliciis & Medici ordinarii, Criticam, in carmen quoddam Italicum expromtam, continet.

ſio hæc tum proſo, tum poetico, ſermone fuit elaborata. Et quis vellicare auſit Academiam, tot egregiis viris continuo illuſtratam, tantoque fulgore in dies excellentem?

NICOLAI KLOEKHOF, B. F. JCTI, HISTOria Juris Romani de Bonis damnatorum.

Lugduni Bat. typis Eliæ Luzac, jun. 1749, 8.

Plag. 9.

Hic egregius libellus, quem *Wilhelmo Carolo*, Arauſionis Principi, Belgarumque fœderatorum hæreditario Gubernatori, Clariſſimus Autor dedicavit, ſtilo Romano & eleganti perſcriptus, hiſtoriam in ſe continet eorum, qui a tempore *Romuli* usque ad *Juſtinianum* Imperatorem damnati bonis exciderunt. Fallit ergo quodammodo titulus. Non enim Hiſtoria juris de bonis damnatorum, ſed rectius *Hiſtoria Proſcriptorum*, libellus inſcribi debuiſſet. Multa vero, ad intelligendam conditionem damnatorum neceſſaria, hic omiſſa dolemus. Equidem de ſervis pœnæ, cur ita dicti fuerint, paulo probabiliora, quam quæ vulgo traduntur, nos in hac diſputatione reperturos eſſe, confidebamus, qua tamen ſpe excidimus, cum ne verbum quidem *ſervus pœnæ* in toto opere occurrat. Illud porro mirari ſubiit, de præmiis, quæ erant delatoribus conſtituta, omnino ſilere hanc juris, de bonis damnatorum, hiſtoriam. Porro, cum primis temporibus *Cereri* bona conſecrari ſolerent, uti ex legibus ſacratis & duodecim Tabularum jure intelligitur, equidem cauſam, cur huic deæ potius, quam alii numini, ſacrata bona fuerint, avidi quærebamus, ſed ea omnia ſicco pede Vir Clariſſimus præteriit, magis Hiſtoricum ſeſe, quam Grammaticum, aut Juriſconſultum, gerens. Nunc, iis, quæ non præſtitit Autor, commemoratis, quæ præſtiterit, videamus. Poterunt autem Lectores noſtri de eo facilius cognoſcere, ſi, quæ in ſingulis Capitibus tradita ſunt, Autoris veſtigia ſecuti, breviter enarremus.

Caput I tradit Hiſtoriam Juris Romani de Bonis damnatorum

rum *ſub Regibus*. *Romulus*, ſi quis inſignem ad deformitatem puerum educaſſet, dimidiam bonorum ejus partem ærario addixit, *Dionyſ. Hal. Lib. II Cap. 15*. *Servius Tullius*, qui cenſum inſtituit, ſi quis cenſui ſe ſubtraxiſſet, hunc, bonis ſpoliatum, ac virgis cæſum, ſub haſta venire juſſit, ut *Dionyſius* eodem in loco confirmat. Hanc pœnam noviore etiam tempore apud Romanos obtinuiſſe, ex *Ulpiani* Titulo XI §. 11 intelligi poteſt: *Maxima capitis deminutio eſt, per quàm civitas & libertas amittitur, veluti cum* INCENSUS *aliquis venierit*. *Tarquinius* denique, poſtremus Romani populi gubernator, cui facta Superbi nomen paraverunt, viros illuſtres, & divitiis maxime affluentes, capitalibus involvens judiciis, occiſorum bona ita diviſit cum delatoribus, ut illis exiguam portionem adſpergeret, ipſe majorem retineret. *Dionyſ. Hal. Lib. IV Cap. 42.*

Caput II de bonis damnatorum *ab ejectis Regibus ad compoſitas XII Tabularum leges* agit. Pulſo *Tarquinio*, cum ad Romanos Rex exul miſiſſet legatum, qui bona ſaltem regia peteret, alter Conſulum *Brutus* publicanda bona cenſuit, ne, redditis iis, vires ejecto & ad bellum gerendum nervi ſuppeditarentur. At *Collatinus* reſtituenda dixit, ut averteretur a Romanis mala opinio, quaſi divitiarum cauſa familiam Regum ejeciſſent. Hæc ubi aguntur, legati aperte quidem, bonorum ſe repetendorum cauſa veniſſe, profitebantur, clam vero regni recuperandi conſilia ſtruere, & cum conjuratis de eo agere, cœperunt. Id ubi compertum, Senatus reddi bona vetuit, ideoque diripienda plebi data, ager, *Marti* conſecratus, Martius deinde campus fuit. Inſecutis poſtea temporibus latæ leges, ut caput ejus & bona ſacra eſſent, qui regni occupandi conſilia iniiſſet. *Livius Lib. III Cap. 8*. Secundum has *Caſſius* filium, qui regnum affectarat, domeſtico judicio damnavit, verberibusque affectum necari juſſit, atque peculium *Cereri* conſecravit. *Val. Max. V, 8, Plin. XXXIV, 4*. Ac, licet, *Caſſium*, quia domeſtico judicio a patre condemnatus eſt, filiumfamilias fuiſſe, conjici poſſit, adeoque hoc peculium ejus ad patrem potius, quam ad filium, pertineret, tamen ſponte

ab

Digitized by Google

ab his bonis ſcelere ampliatis & abominandis paternæ manus, laudabili exemplo, abſtinuerunt. Porro, qui Tribunum plebis verberaſſet, aut concionantem interpellaſſet, ipſe & bona ejus *Cereri* ſacra eſſe jubebantur.

Capite III Hiſtoria Juris Romani de bonis damnatorum *a XII Tabulis ad bellum civile Marianum* exponitur. Valeria & Horatia lege ſancitum, ut, quod plebs tributim juſſiſſet, populum teneret. Si quis legem abrogare conaretur, ut hic morte mulctaretur, ejusque publicarentur bona. *Liv. III, 55.* Hoc tempore duo ex Decemviris in vinculis mortui, quorum bona Tribuni plebis publica fecerunt, Horum collegæ ultro exulantes ſimili modo bonis privati ſunt. *Liv. III, 58.* Deinde *Sp. Melius*, de regno quod cogitarat, condemnatur, ejusque bona a Quæſtoribus in publicum rediguntur. Ob idem crimen *M. Manlius* condemnatus. *Marci* etiam *Vacci*, perduellionis rei, ædes publicatæ & everſæ, ut illius facinoris memoria ipſo loco notaretur. *M. Vettienus*, ſiniſtræ manus digitis abſciſſis, ne in bello Italico militare cogeretur, publicatis bonis, æterni carceris pœnam ſubiit, ut, quem honeſte ſpiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis efflaret.

Capite IV de bonis damnatis *a bello civili Mariano ad civile Pompejanum* diſſerit. Hac in hiſtoriæ parte *Sullæ* narratur Dictatoris crudelitas, innumeros pæne cives nobiliſſimosque proſcribentis, quorum bona, tanquam prædam, ſua faciebat. Multi ob hanc ſolam cauſam condemnati, quod divites erant, ut iis temporibus vere potuerit dici: Hunc occiderunt amplæ ædes, illum horti, alium thermæ. Poſt inſolentem hanc *Sullæ* dominationem, *Ciceronis Clodius* villas incendit, domus ejusdem Libertati conſecrata, reliqua bona haſtæ ſubjecta. Provide hoc loco Celeberrimus Autor atque utiliter monet, quorundam ſolum, non omnium condemnatorum, bona publicata fuiſſe, ſi quidem non paucos in carcere teſtamenta condidiſſe legimus. *Auct. ad Heren. Lib. I Cap. 13, Cic. de Invent. II, 50, Sueton.* in *Cæſ. Cap. 42.* Apud veteres enim, quemadmodum *Tullius* docet in *Capite 17 Orationis pro domo*, ea moderatio

ratio judiciorum fuit, *ut nunquam pœna capitis cum pecunia conjungeretur*, cujus rei cauſam, & ſubtilem & eruditam, reddit *Sigonius de Judiciis Libro III Cap. 11.*

Caput V de damnatis *a bello civili Pompejano usque ad Nervam Imp.* exponit. *Pompeji* bona præconis voce proclamata. *Dolabellæ* bona, cum hoſtis judicatus eſſet, *Q. Fuſius* cenſuit publice poſſidenda. *Antonio* facultates ademtæ. *Lepidus* hoſtis judicatus, ejusque a publico bona erepta. Poſt hæc *Cornelius Gallus*, cum ſtatuas ſibi ipſe per univerſam propemodum Ægyptum poſuiſſet, ſuaque acta inſcripſiſſet in pyramidibus, infamia notatus eſt, & decretum a Senatu, ut ipſe exul, patrimonium ejus *Auguſti*, fieret. *Dio Lib. LIII.* Circa hæc tempora *Auguſtus*, eorum, qui poſt *Varianam* cladem detrectabant militiam, ex adoleſcentibus quintum, ex natu majoribus decimum quemque, ut ſors exiiſſet, bonis privatum, infamia notavit. *Dio Lib. LVI.* Et, cum eques aliquis duobus filiis adoleſcentibus, quo ſacramentum poſſent detrectare, pollices amputaſſet, ipſum bonaque haſtæ ſubjecit. *Suet.* in *Aug. Cap.* 24. Qui Auguſtum excepit, *Tiberius*, quamdiu *Germanicus* vixit, nullius hominis bona pecuniæ ergo proſcripſit. At, ubi is ereptus eſſet, qui vitam ejus obſervaret, & nemo ex familia Auguſta ſupereſſet amplius, imperavit crudeliter. Inaudito more violatæ majeſtatis tunc ſæpius poſtulabantur, non modo qui contra ipſum, verum etiam matrem ejus, quidquam locuti eſſent, aut feciſſent incommodius. Accuſatoribus, quibus tunc immodice urbs abundabat, præmia, non bona ſolum, verum etiam honores. Videtur autem hoc imperante primum obtinuiſſe, *ut illis, quibus aqua & igni eſſet interdictum, teſtamenti factio abnegaretur*, quemadmodum *Dio* teſtatur *Lib. LVII.* Vid. *Schulting.* ad *Ulp. tit. XX §. 14 n. 45.* Sæpius etiam, *Tiberio* mandante, abſoluti judicio denuo retrahebantur ad Quæſtores, ut fere nullius res familiaris certa & inconcuſſa eſſet. O! quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames!

Caput VI hiſtoriam Juris civilis de bonis damnatorum *a Nerva Imperatore usque ad Juſtinianum* tradit. *Nerva Trajanus*, multo

multo modeſtior ceteris & innocentior, hoſtium potius, quam civium, clade & ſanguine delectabatur, ut tamen, legum majeſtate conſervata, nunquam nocentibus pœna remitteretur. Itaque non delatores amplius, ſed leges, metuebantur. Digna profecto bono Principe, & divina, emiſſa illa ab Imperatore vox: *Scio, relegatorum bona avaritia ſuperiorum temporum fiſco vindicata. Sed aliud clementiæ meæ convenit, qui inter cetera, quibus innocentiam rationum meorum temporum, hoc quoque remiſi exemplum;* quod *Trajani* reſcriptum ex libro *Pomponii* ad *Sabinum* nobis ſervavit *Tribonianus*, in *Fr. 1. XLVIII ff. de Interd. & rel.* Et merito ea *Trajano* vox tribuitur. Etiamſi enim in Scholiis Baſilicorum ad *Lib. LX Tit. 54 Cap. 1 lit. b* ea conſtitutio *Hadriani* dicatur; tamen hæc autoritas tanti non eſt, ut eam propter ſcriptura Florentina ſollicitari poſſit.

Hadrianus Imperator, æque mitis & pecuniæ abſtinens, non fiſcum voluit, ſed ærarium, damnatorum bona habere. *Spart.* in *Hadr. Cap.* 7. Eoque hac in re clementiæ proceſſit, ut liberis damnatorum unciam bonorum indulgeret. *Fr. 7 §. 3 XLVIII ff. de Bon. damnat.* Hoc intemperantior *Antoninus*, qui *Caracalla* dictus eſt. Is enim crebro, pecuniam ſibi ſoli eſſe oportere, dicebat, præterea nemini. Multos itaque divitiarum cauſa interfecit, eorumque bona, qui occiſi fratris *Getæ* nomen pronuntiaſſent, continuo ſecuit. *Dio Lib. LXXVII.*

Inſecutis temporibus, ut Imperatores fuerunt, ita jus circa damnatorum bona varium fuit, donec pius ille & felix *Juſtinianus*, poſſe Imperatorem a damnatorum bonis manus abſtinere, ſuo exemplo docuit, nefarium exiſtimans, legitimos ſucceſſores hæreditate bonisque ſuis ſpoliare. Itaque hoc omnino remiſit, ut tamen in majeſtatis reis, iisque ſolis, legum vetus duritia conſervaretur. *Nov. 134 Cap. ult.*

CAROLI LINNÆI, MED. ET BOTAN. PROF. Upſal. Hort. Acad. Præf. Acad. Imper. Monſpel. Stockholm. Upſal. Socii, hujusque Secretarii, Fauna Suecica, ſi-

ſtens

ſtens animalia Sueciæ regni, quadrupedia, aves, amphibia, piſces, inſecta, vermes, diſtributa per claſſes & ordines, genera & ſpecies cum differentiis ſpecierum, ſynonymis Autorum, nominibus incolarum, locis habitationum, deſcriptionibus inſectorum.

Lugduni Batav. apud Conr. & Georg. Jac. Wishoff, 1746, 8 maj. Alph. 1 plag. 6.

Fuit hoc Opus a Cl. Autore, cujus de omni naturali hiſtoria quanta merita ſint, neminem fugit, eum in finem adornatum, atque in lucem editum, ut ſtudioſi haberent, ex quo ſibi animalium omnis generis notitiam aliquam parare poſſent. Ipſe, jam inde ab A. 1729 inſectorum ſtudio operam navans, primus inſectorum genera & characteres conſtituit; tamen mancum admodum hunc laborem eſſe fatetur, laudatque Cubicularium Regium, *Carolum de Geer*, cui ſe in hoc genere plurimum acceptum referre dicit. *Joannes Leche*, Med. Doctor, plus quam 500 inſectorum collectionem, una cum avium variarum iconibus, *Linnæo* ſponte obtulit, atque a *Rudbeckio*, *Linnæi* Anteceſſore, Avium indigenarum icones, plures ab Autore non animadverſas ſpecies ſubminiſtrarunt. *Artedo* vero, ratione piſcium catalogi, *Linnæus* plurimum tribuit, prætereaque de inſectis monet, ſe ſpecifica nomina, etſi coactum, ſæpius a colore mutuatum eſſe, neque niſi paucorum inſectorum natalia loca certo definire potuiſſe, quod metamorphoſin eorum perſequendi opportunitas fere defuerit, tumque phalænarum, muſcarum, culicum, minutiſſimas ſpecies, quarum nempe ſpecificam differentiam eruere ipſi nondum licuerit, magnam partem data opera prætermiſiſſe, atque in ſynonymis inſectorum facile errores quosdam inveniri poſſe fatetur. Fatetur etiam, ſe varietates plurimas ſtudio omiſiſſe, neque occidui maris littora luſtraſſe, atque in univerſum, ut Compendium tantum animalium Sueciæ exhiberet, ſola nomina commemoraſſe. His, de Ope-

Digitized by Google

ris ratione præmiſſis, Catalogum Autorum ſubjicit, qui partim de Animalibus in univerſum, partim de ſingulis eorum generibus, ſcripſerunt. Videtur tamen, ſi hunc Catalogum cum *Bruckmanni Bibliotheca Animalium* comparamus, non niſi præcipuos Scriptores annotaſſe, etſi, ut hoc exemplo utamur, inter eos, qui de Piſcibus ſcripſerunt, unus ex maxime præcipuis *Salvianus* omiſſus fuit. Ultimo loco terminorum artis expoſitio appoſita fuit, quibus nempe in deſcriptionibus utitur, quas fere de ſingulis animalium ſpeciebus dedit. Jam vero, ut de Opere ipſo, quantum nempe per ejus naturam licet, dicamus, omnia animantia in ſex Claſſes diſtribuit, earumque quinque Ordines fecit. Prima Quadrupedia, & inter hæc Anthropomorpha, feras, glires, jumenta, & pecora, continet. Cur hominem, qui ſolus Anthropomorphorum in Suecia eſt, inter Quadrupedia referat, in Præfatione rationem reddit. Altera Claſſis Aves continet, quas pariter in ſex Ordines diſtinxit. Horum primus Accipitres continet, ad quos Striges & Falcones refert. Horum tredecim ſpecies Suecia alit, ab aliis quidem, attamen denuo a *Linnæo*, deſcriptas. Strigum vero undecim ſpecies ſunt, quarum ſex primum a *Rudbeckio* & *Linnæo* obſervatæ fuerunt: una capite aurito, corpore albido, nigris maculis adſperſo, eſt, altera capite lævi, corpore luteo, tertia lævi capite quidem, ſed corpore fuſeo, iridibus oculorum fulvis, quarta ſimilis tertiæ, ſed major & iridibus oculorum flavis, quinta huic ſimillima, ut *Linnæo* vel ſexu, vel ætate tantum, differre putetur, ſexta denique ſimillima primæ, niſi quod ſupercilia non aurita habet. Alter Ordo Picarum eſt, quarum Suecia Corvorum octo ſpecies, Cuculorum duas, Picorum ſex, unam Upupæ & Iſpidæ, alit, omnes & in aliis terris obvias. Tertium locum Anſeres habent, & inter hos primum Anates, quarum in Suecia tantum inveniuntur cinereæ, fronte albæ, pectore & abdomine candidæ, roſtro ſordide carneæ, pedibus ſanguineis inſtructæ; deinde aliæ, cauda longa, cuneiformi, forcipata, inſtructæ, pariter ac illæ, quæ caudam habent longitudine pedum, verticem fuſcum, pectus exalbidum

albidum nebuloſum, tandem vero ruſe, roſtro pedibusque cinereis, in fluviis habitantes. Ex ceteris generibus Mergorum ſcilicet, Pelecanorum, Alcarum, Colymborum, Larorum, Sternarum, & Fulicarum, non niſi Sterna eſt, ſupra cana, capite roſtroque nigro, pedibus rubris, quam Sueciæ ſola alit. Inter Scolopaces, quartum Ordinem conſtituentes, Ardeæ ſunt, Recurviroſtræ, Numenii, Tringæ, quarum tres ſpecies ſub Gallinulæ aquaticæ nomine, una a *Linnæo* obſervatæ fuerunt, porro Charadrii, quorum ea ſpecies, quæ abdomine ruſeſcente, pectore cinereo, vertice fuſco, eſt, non niſi in Lapponia habitat. Eſt etiam inter Scolopaces Hæmatopus, Ortygometra, quarum Suecia unam tantum ſpeciem alit. Longe minor Gallinarum Ordo eſt, qui præter Pavonis, Meleagridos, & Galli, quorum una modo ſpecies eſt, quatuor ſpecies Tetraonis continet, quorum is, qui caudam bifurcam ſubtus albo punctatam habet, primum fuit in *Act. Stockholm. A. 1744 pag. 181* deſcriptus. Paſſerum, qui ſextum Ordinem conſtituunt, ampliſſimus numerus eſt. Atque ex his in Suecia habitant Columbæ, Loxiæ, Ampelides, Sittæ, Sturni, Turdi, Alaudæ, Fringillæ, Certhiæ, Motacillæ, Pari, Hirundines, Procellariæ, quorum generum plura accurate deſcripta habentur. Tertia Claſſis Amphibiorum eſt. Quæ ex his in Suecia reptilia ſunt, ranæ ſunt atque Lacertæ, quæ ſerpentia, angues. Ex ranis *Lechius* obſervavit in Scania habitantem ſpeciem, abdomine fulvo, atque, uti Cuculus, cantantem. Inter angues, quorum quatuor ſpecies habet, Smolandia alit parvum ruſeſcentem, atque vulnera omnino lethalia cum intumeſcentia corporis horrenda infligentem. Quartam Claſſem Piſces conſtituunt, quorum quinque Ordines habentur: Plagiuri ſcilicet, Chondropterygii, Branchioſtegi, Acanthopterygii, & Malacopterygii, quorum hic plurimas ſpecies comprehendit. Ex Acanthoptyrygiis Cottus eſt, verrucis capitis quatuor oſſeis inſtructus, quem Suecia tantum novit, ex Malacopterygiis vero quinque ſpecies ſunt. Inſecta Sueciæ *Linnæus* in ſeptem Ordines diſtinxit, Coleoptera, quorum plurimæ ſpecies ſunt, Hemiptera,

ra, Neuroptera, Lepidoptera, Hymenoptera, Diptera, & Aptera. Horum omnium pleraque genera non paucas ſpecies comprehendunt, quas *Linnæus* non tantum in Suecia primus vidit, ſed quarum apud ceteros quoque Scriptores, qui de Inſectis egerunt, nulla mentio fit. Harum ſpecierum plurimæ inter Scarabæos ſunt, Dermeſtes, Coccinellas, Chryſomelas, Curculiones, quæ omnia ad Coleoptera pertinent. Ex Hemipteris aliquot ſpecies inter Cicadas, Chermes, & Aphides, plurimæ inter Cimices, ſunt. Immo novum aliquod genus habet, Thrips nominatum, cujus duas ſpecies in *Act. Stockholm. A. 1744* deſcriptæ ſunt. Unam ex *Caroli de Geer* obſervatione *Linnæus* deſcribit, elytris albis nigriſque faſciis, corpore atro in floribus præſertim luteis compoſitis habitantem. Ex Neuropteris attentionem merentur Hemerobeorum aliquot ſpecies, plures vero Phryganearum & Ephemerarum. Inter Lepidoptera magnus numerus Phalænarum eſt, quas *Linnæus* primus obſervavit atque deſcripſit; inter Hymenoptera vero Tenthredinum, Ichnevmonum, & Veſparum. Porro ex Dipteris aliquot inter Aſilos ſunt atque Tubanos, plures inter Muſcas & Tipulas, neque non inter Apterorum genera ſunt, quæ vel in hoc *Linnæi* libro primum indicata fuerunt, vel in Actis Academiarum Sueciæ primum deſcripta. In ultima claſſe vermes, de quibus tamen nihil magnopere indicandum habetur. Acceſſerunt vero duæ figurarum æneanum tabulæ, quarum prima aves, atque Cerambycis ſpeciem, altera, præter aves aliquot, Cyprinum piſcem, vermes aliquot, & inſecta, exhibet.

DE VIBRATIONE CHORDARUM EXERCItatio, Autore L. EULERO.

I. Quæ adhuc de motu chordarum vibratorio tum a *Tayloro* & *Bernoullio*, tum ab aliis, ſunt eruta, tametſi hoc argumentum exhaurire videantur, gemina tamen limitatione ita reſtringuntur, ut vix ullo caſu verus chordæ vibratæ motus

unquam

unquam definiri poſſit. Primum enim aſſumſerunt, chordam tenſam vibrationes tantum quaſi infinite parvas edere, ita ut chorda in hoc motu, ſive ſitum teneat rectum, ſive incurvatum, perpetuo tamen eandem longitudinem conſervare cenſeri poſſit. Altera limitatio in hoc conſiſtit, quod cunctas vibrationes regulares poſuerint: in ſingulis ſcilicet vibrationibus totam chordam ſemel ac ſimul in directum extendi aſſumſerunt, & extra hunc ſitum figuram ejus incurvatam quæſiverunt, quam quidem trochoidem in infinitum elongatam eſſe invenerunt.

II. Prima quidem limitatio, qua excurſiones chordæ vibrantis infinite parvæ ſtatuuntur, etiamſi re ipſa ſemper ad chordæ longitudinem rationem teneant finitam, concluſiones tamen, inde deductas, vix perturbat, quoniam plerumque excurſiones tam ſunt exiguæ, ut ſine errore ſenſibili pro infinite parvis haberi poſſint. Tum vero etiam fines tam mechanicæ, quam analyſeos, nondum ſunt eo usque promoti, ut motus in vibrationibus finitis determinari poſſit. Quod vero ad alteram limitationem ſpectat, qua vibrationes omnes regulares aſſumunt, eam ita ſalvare conantur, ut dicant, etiamſi primo motus initio vibrationes ab hac lege recedant, eas tamen brevi temporis ſpatio ita ſe ad uniformitatem componere, ut chorda in qualibet vibratione ſemel ac ſimul in lineam rectam extendatur, extra hunc ſitum autem figuram trochoidis elongatæ affectet.

III. Hoc quidem ſatis eſt confirmatum, ſi unica tantum vibratio huic regulæ fuerit conformis, ſequentes omnes eandem ſequi debere. Simul vero hinc perſpicitur, quemadmodum ſequentium vibrationum ſtatus a præcedentibus pendeat, ex iisque determinari poſſit, ita viciſſim ex ſtatu ſequentium indolem præcedentium concludi poſſe. Quare, ſi vibrationes ſequentes fuerint regulares, fieri nullo modo poterit, ut antecedentes ab hac regula diſceſſerint; ex quo perſpicuum eſt, ſi prima vibratio fuerit irregularis, ſequentes nunquam ad perfectam regularitatem pervenire poſſe. Prima autem vibratio ab arbitrio noſtro pendet, dum chordæ, antequam dimittitur,

Digitized by Google

mittitur, figura quæcunque conciliari poteſt, atque hinc ejusdem chordæ motus vibratorius in infinitum variari poterit, prout ei initio motus alia atque alia figura inducitur.

IV. Hinc itaque naſcitur ſequens quæſtio, qua univerſa hæc inveſtigatio continetur:

Si chorda datæ longitudinis dataque molis a data vi, ſeu pondere, tendatur, eaque a ſitu recto in figuram quamcunque, quæ tamen quaſi infinite parum a recta diſcrepet, diducatur, ſubitoque dimittatur, determinare motum vibratorium totum, quo agitabitur.

Problema hoc tam in Mechanica, quam in Analyſi, difficillimum feliciſſimo ſucceſſu primus aggreſſus eſt Celeb. *D'Alembert*, qui cum Academia Regia elegantiſſimam ejus ſolutionem communicavit. Quoniam autem in hujusmodi indagationibus ſublimibus ſemper non parum fructus percipi ſolet ex collatione plurium ejusdem Problematis ſolutionum, meam quoque ſolutionem hujus quæſtionis in medium afferre non dubito, quæ etſi ab *Alembertiana* parum diſcrepat, tamen ſumma hujus argumenti amplitudo effecit, ut in applicatione formularum generalium haud contemnendas obſervationes adjeciſſe mihi videar.

V. Primum ergo ipſum Problema dilucide proponam, ut appareat, quibus ſubſidiis tam ex analyſi, quam ex mechanica, petitis opus ſit ad ſolutionem impetrandam.

TAB. V Fig. 1. Propoſita igitur ſit chorda AB in terminis ſuis A & B fixa, & vi quacunque, ut in inſtrumentis muſicis fieri ſolet, ſecundum directionem AF tenſa. Sit chorda hæc ubique æquabilis craſſitiei, ac vocetur:

Ejus longitudo $AB = a$

Ejus maſſa, ſeu pondus, $= M$

& vis tendens AF æqualis ſit ponderi $= F$.

Tum chorda hæc ex ſtatu ſuo naturali AB diducatur in ſitum incurvatum quemcunque $ALlB$, qui quidem infinite parum diſcrepet a naturali recto AB, ut longitudo $ALlB$ non ſenſibiliter ſuperet longitudinem AB; ſitque hæc figura $ALlB$ chordæ initio inducta cognita. Jam quæritur, ſi chorda ex hoc

ſitu

Digitized by Google

TAB. V. ad



Digitized by Google

Digitized by Google

ſitu ſubito dimittatur, qualem motum ſit conſecutura, & cujusmodi vibrationes ſit editura.

VI. Poſtquam ergo chorda e ſitu $AL1B$ erit dimiſſa, a vi tendente ſtatim ſitum naturalem AB verſus urgebitur, quem ſingula ejus puncta vel ſimul, vel diverſis temporis momentis, attingent: continuo igitur chorda aliam atque aliam figuram induet, ſingulaque ejus puncta motu vibratorio ciebuntur, donec a reſiſtentia omnis agitatio compeſcatur. Ad hunc autem motum, utcunque fuerit comparatus, perfecte cognoſcendum ſufficiet, ad quodvis tempus ſtatum chordæ, ſeu ejus figuram, aſſignaſſe. Dum enim hinc per ſucceſſionem inſtantaneam mutatio figuræ definitur; inde ſimul celeritatem cujusque chordæ puncti determinare licet, ſicque totus motus innoteſcet: hancque ob rem in iſta inveſtigatione non opus erit ad celeritates ſingulorum chordæ punctorum reſpicere, quo pacto ſolutio non mediocriter ſublevabitur.

VII. Quia longitudinem chordæ, dum ſucceſſive omnes has varias figuras induit, non immutari aſſumimus, ita ut ſit $AL1B = AB$, erit etiam ductis quibusvis applicatis PL, pl ad axem AB normalibus, arcus AL, Al æquales abſciſſis reſpondentibus AP, Ap: ac proinde applicatæ PL, pl erunt quaſi infinite parvæ reſpectu abſciſſarum. Hinc, ſi vocentur abſciſſa $AP = x$, applicata PL erit infinite parva præ x, & ipſe arcus AL erit $= x$: prætereaque erit $Pp = Ll = dx$. Ex quo intelligitur, dum chorda ſucceſſive alias atque alias figuras recipit, ſingula ejus puncta L perpetuo ſecundum directionem applicatarum LP moveri, ita ut quævis applicata LP viam repræſentet, in qua chordæ punctum L ſtatum naturalem AB verſus accedat: tum vero ob motum conceptum ſecundum eandem directionem ad AB normalem in plagam contrariam excurret.

VIII. His notatis, ponamus, elapſo tempore t chordam in ſitum $AMmB$ perveniſſe, ex ſitu primitivo $AL1B$, ita ut punctum L in M pertigerit. Poſita igitur abſciſſa quavis $AP = x$, quæ eadem ſimul longitudinem arcus AM exhibeat, ſit applicata in hac curva AMB reſpondens $PM = y$, &

Digitized by Google

&, quia hæc curva AMB a tempore elapſo $= t$ pendet, erit y functio quædam ambarum variabilium x & t, ita ut, poſito $t = o$, valor ipſius y applicatam curvæ primitivæ ALB exhibeat. Perſpicuum vero eſt, ſi natura hujus functionis ipſarum x & t, qua applicata y exprimitur, fuerit cognita, ex ea ad quodvis tempus t ipſam figuram chordæ aſſignari poſſe, ex cujus mutabilitate porro totius chordæ motus facile concludetur.

IX. Cum itaque y ſit functio quædam ipſarum x & t, ejus differentiale hujusmodi habebit formam, ut ſit: $dy = p\,dx + q\,dt$, quæ formula variabilitatem ipſius y non ſolum per curvam AMB, ſed etiam ratione fluxus temporis, complectitur. Scilicet, ſi tempus t ſtatuatur conſtans, ſeu $dt = o$, æquatio $dy = p\,dx$ exprimet naturam curvæ AMB: at, ſi abſciſſa x ſumatur conſtans, ſeu $dx = o$, æquatio $dy = q\,dt$ definiet motum puncti L, quamdiu chordæ, motus durat, eo quod ex ea ad quodvis tempus t ab initio elapſum locum M aſſignare licet, in quem punctum L pervenerit. Erunt autem p & q iterum functiones ipſarum x & t, quarum differentialia, poſita utraque x & t variabili, ſunto:

$$dp = r\,dx + s\,dt, \quad \& \quad dq = s\,dx + u\,dt.$$

Conſtat enim ex natura differentialium, elementum dt in dp & elementum dx in dq communem coefficientem habere oportere.

X. Cum jam motus chordæ ex viribus ſollicitantibus determinari debeat, ſit vis acceleratrix, qua nunc punctum chordæ M axem AB verſus acceleratur $= P$, atque omnes iſtæ vires, quibus ſingula chordæ elementa axem AB verſus urgentur, ſimul ſumtæ æquivalere debent vi, qua chorda actu tenditur, & quam poſuimus $AF = F$. Sive, ſi chordæ in ſingulis punctis M has vires P contrariæ ſecundum ML applicatas concipiamus, tum ex cum vi chordam tendente $AF = F$ in æquilibrio conſiſtere debebunt, atque ex hac proprietate vera vis acceleratrix P, qua quodlibet chordæ elementum Mm actu ſollicitatur, determinari poterit.

XI. Cum maſſa, ſeu pondus, totius chordæ ſit $= M$, ac per

Digitized by Google

per totam longitudinem $AB = a$ æquabiliter diſtribuatur, erit portionis AP, ſeu AM, pondus $= \frac{Mx}{a}$, ac proinde elementi $Mm = dx$ ponduſculum $= \frac{Mdx}{a}$; quod cum a vi acceleratrice $= P$ ſecundum ML ſollicitetur, erit vis motrix hujus elementi $= \frac{Mdx}{a}. P$, & ſumma omnium virium motricium per arcum AM erit $= \frac{M}{a}\int Pdx$. Jam, quia punctum A fixum ponitur, ei applicatam concipere licet in directione AG ad AB normali vim quandam $AG = G$, quæ tanta ſit, ut punctum A in quiete conſervetur. His poſitis, ex theoria æquilibrii virium filo perfecte flexili applicatarum colligetur ſequens æquatio:

$$Fy - Gx + \frac{M}{a}\int dx \int Pdx = o,$$

uti Fy & Gx ſunt momenta virium F & G reſpectu puncti M & $\frac{M}{a}\int dx \int Pdx$ eſt ſumma momentorum omnium virium elementarium reſpectu ejusdem puncti M.

XII. Conſideretur jam curva AMB, quam chorda hoc momento format, cujus natura formulis ante traditis exprimetur, ſi tempus t conſtans ſtatuatur, ſeu $dt = o$; eritque idcirco $dy = pdx$ & $dp = rdx$. Hinc æquatio ex ſtatu æquilibrii inventa differentietur, & pro dy poſito pdx per dx diviſa dabit:

$$Fp - G + \frac{M}{a}\int Pdx = o.$$

Jam denuo differentietur, &, pro dp ponendo rdx, dividatur per dx, ſicque prodibit: $Fr + \frac{M}{a}P = o$, unde reſultat vis acceleratrix puncti M ſecundum directionem MP,

 nempe

nempe $P = -\frac{Far}{M}$. Quare, ſi curva AMB eſſet cogni-ta, ex ejus natura vis acceleratrix ſingulorum elementorum poſſet determinari.

XIII. Contemplemur nunc ſolius puncti M motum, quo a vi acceleratrice P ſollicitatum ad P accedit, & abſciſſa $AP = x$ invariabilis erit cenſenda. Cum igitur ſit ob $dx = o$, incrementum momentaneum applicatæ PM, $dy = qdt$ & $dq = udt$, tempuſculo dt punctum M accedet ad P per ſpatiolum $= -qdt$, cujus differentiale, poſito elemento temporis dt conſtante, erit $= -dqdt = -udt^2 = -ddy$. At ex acceleratione a vi P orta per principia mechanica obtinetur hæc æquatio: $P = -\frac{2ddy}{dt^2} = -2u$, ſi quidem elementum temporis dt exponatur, ut moris eſt, per elementum ſpatii ad celeritatem applicatum, celeritas vero ipſa per radicem quadratam ex altitudine celeritati debitæ repræſentetur. Cum itaque invenerimus eum $P = -\frac{Far}{M}$, tum etiam $P = -2u$, erit $2u = \frac{Far}{M}$, ſeu $u = \frac{Far}{2M}$.

XIV. His binis conditionibus, quas ad calculum revocavimus, tota quæſtio propoſita abſolvitur; ideoque, ſi, elapſo quovis tempore, t pro puncto chordæ quocunque M ponatur abſciſſa $AP = x$, & applicata $PM = y$, hæc per ejusmodi functionem ipſarum x & t exprimetur, ut, poſito $dy = pdx + ydt$, indoles functionum p & q ex his formulis ſit petenda:

$$dp = rdx + sdt, \text{ \& } dq = sdx + \frac{Fa}{2M} rdt.$$

Quæſtio ergo propoſita mechanica ad hoc Problema analyticum reducitur, ut ipſarum x & t ejusmodi quærantur functiones r & s, ut tam hæc formula differentialis $rdx + sdt$, quam hæc $sdx + \frac{Fa}{2M} rdt$ fiat integrabilis. Hujusmodi enim functionibus pro r & s inventis, aſſignari poterunt valores

lores $p = \int (rdx + sdt)$ & $q = \int (sdx + \frac{Fa}{2M} rdt)$, unde porro valor ipſius applicatæ $y = \int (pdx + qdt)$ elicietur.

XV. Hoc autem Problema analyticum, in ſe ſpectatum, maxime eſt indeterminatum; quo igitur ad caſum quempiam oblatum accommodetur, ſequentia ſunt annotanda: Primo in integrationibus conſtantes ita ſunt adſtruendæ, ut, poſito $x = 0$, quicunque demum ipſi t valor tribuatur, ſemper fiat $y = 0$. Deinde hoc idem uſu venire debet caſu $x = a$, quo iterum, quicquid ſit t, ſemper prodeat $y = 0$. Tertio, his obſervatis, ex infinitis functionibus r & s, quæ ante memoratis conditionibus ſatisfaciant, pro quovis caſu propoſito eæ ſunt eligendæ, ut, poſito $t = 0$, valor applicatæ y reſultans eam exhibeat curvam arbitrariam, quæ chordæ primo motus initio erat inducta. Quod cum fuerit præſtitum, nulla amplius conſtans indeterminata in ſolutione remanebit, atque verus chordæ motus abſolute exhiberi poterit.

XVI. Quo igitur figura chordæ initialis ad arbitrium conſtitui poſſit, ſolutio latiſſime patere debet. Quamobrem, dum ab his formulis inveſtigationem incipere oportet:

$$dp = rdx + sdt, \quad \& \quad dq = sdx + \frac{Fa}{2M} rdt,$$

generatim omnes valores poſſibiles pro r & s indagari debent, qui has ambas formulas ſimul integrabiles reddant. Multiplicemus in hunc finem has formulas ſeorſim per conſtantes m & n, & producta addamus, ut ſit:

$$mdp + ndq = dx\,(mr + ns) + dt\,(ms + \frac{Fa}{2M} nr),$$

hæcque formula denuo integrabilis eſſe debebit, quicunque valores conſtantes literis m & n tribuantur. Fiat igitur $m : n = \frac{Fa}{2M} n : m$, ſeu $mm = \frac{Fa}{2M} nn$, ut ſit $m = 1$, & $n = \pm \sqrt{\frac{2M}{Fa}}$, eritque:

$$dp \pm dq \surd \frac{2M}{Fa} = \left(dx \pm dt \surd \frac{Fa}{2M}\right)\left(r \pm s \surd \frac{2M}{Fa}\right).$$

XVI. Sit brevitatis gratia $\frac{Fa}{2M} = b$, & habebitur:

$$dp \pm dq \surd \frac{1}{b} = (dx \pm dt \surd b)\left(r \pm s \surd \frac{1}{b}\right),$$ ſeu

$$dp \surd b \pm dq = (dx \pm dt \surd b)(r \surd b \pm s),$$ vel etiam

$$dq \pm dp \surd b = (dx \pm dt \surd b)(s \pm r \surd b).$$

Cum igitur hæc formula $(dx \pm dt \surd b)\ (s \pm r \surd b)$ integrabilis eſſe debeat; neceſſe eſt, ut ſit $s \pm r \surd b$ functio ipſius $x \pm t \surd b$. Ponamus, ut utriusque ſigni rationem habeamus:

$$\begin{aligned} x + t\surd b &= v \\ x - t\surd b &= u \end{aligned} \quad \text{erit} \quad \begin{aligned} x &= \frac{v+u}{2} \\ t\surd b &= \frac{v-u}{2}, \end{aligned}$$

& habebimus has æquationes:

$dq + dp\surd b = dv\,(s + r\surd b)$, & $dq - dp\surd b = du\,(s - r\surd b)$, in quibus eſſe oportet $s + r\surd b$ functionem ipſius v, & $s - r\surd b$ functionem ipſius u, quia alias integratio non ſuccederet.

XVIII. Integratione ergo inſtituta utraque, fiet $q + p \surd b =$ functioni cuipiam ipſius v, & $q - p\surd b =$ functioni cuipiam ipſius u. Sit igitur, ut ſolutio latiſſime pateat:

V functio quæcunque ipſius $v = x + t\surd b$

U functio quæcunque ipſius $u = x - t\surd b$

& conditionibus memoratis ſatisfiet ponendo:

$$\begin{aligned} q + p\surd b &= V \\ q - p\surd b &= U \end{aligned} \quad \text{unde fit} \quad \begin{aligned} q &= \frac{V+U}{2} \\ p &= \frac{V-U}{2\surd b} \end{aligned}$$

Cum igitur ſit $dy = pdx + qdt$, erit ſubſtitutis pro p, q, dx & dt valoribus:

$$dy = \frac{(dv + du)\,(V - U)}{4\surd b} + \frac{(dv - du)\,(V + U)}{4\surd b}$$

quæ

Digitized by Google

quæ poſt evolutionem præbet:

$$dy = \frac{Vdv - Udu}{2\sqrt{b}} \ \& \ y = \frac{1}{2\sqrt{b}} (\int Vdv - \int Udu).$$

XIX. Erit autem $\int Vdv$ functio ipſius $v = x + t\sqrt{b}$, & $\int Udu$ functio ipſius $u = x - t\sqrt{b}$, exiſtente $b = \frac{Fa}{2M}$. Unde, ſi characteres f & ϕ adhibeantur ad functiones quascunque quantitatum, quibus præfiguntur, indicandas, ſequentem habebimus expreſſionem generalem pro applicata y, qua ejus quantitas ad quodvis tempus ab initio elapſum t, & pro qualibet abſciſſa x, exhibetur:

$$y = f : (x + t\sqrt{b}) + \phi : (x - t\sqrt{b}).$$

Erunt enim, ut regrediendo periculum faciamus, in formula $dy = pdx + qdt$ valores p & q ſequentes:

$$p = f' : (x + t\sqrt{b}) + \phi' : (x - t\sqrt{b})$$
$$q = \sqrt{b}\,(f' : (x + t\sqrt{b}) - \phi' : (x - t\sqrt{b}))$$

& pro formulis $dp = rdx + sdt$ & $dq = sdx + brdt$ erit, ut natura rei requirit:

$$r = f'' : (x + t\sqrt{b}) + \phi'' : (x - t\sqrt{b})$$
$$s = \sqrt{b}\,(f'' : (x + t\sqrt{b}) - \phi'' : (x - t\sqrt{b}))$$

ſiquidem differentiale functionis $f : z$ per $dzf' : z$ & differentiale functionis $f' : z$ per $dzf'' : z$ denotemus.

XX. Hactenus quidem characteres f & ϕ in æquatione:

$$y = f : (x + t\sqrt{b}) + \phi : (x - t\sqrt{b})$$

functiones quascunque ratione compoſitionis diverſas ſignificant, at earum relatio per reliquas conditiones magis determinatur. Cum enim, poſito $x = o$, perpetuo eſſe debeat $y = o$, erit $f : + t\sqrt{b} + \phi : - t\sqrt{b} = o$, ideoque $\phi : - t\sqrt{b} = - f : t\sqrt{b}$. Tum vero, quia, poſito $x = a$, valor ipſius y pariter evaneſcere debet, erit quoque $f : (a + t\sqrt{b}) + \phi : (a - t\sqrt{b}) = o$, ſicque natura functionum f & ϕ ita definiri debet, ut ſatisfiat his conditionibus:

$$\phi : - t\sqrt{b} = - f : t\sqrt{b}$$
$$\phi : (a - t\sqrt{b}) = - f : (a + t\sqrt{b}).$$

XXI.

TAB. V Fig. 2. XXI. Cum in genere $f:z$ repræſentari poſſit per applicatam curvæ cujusdam, cujus abſciſſa eſt z, ſit AMB curva, cujus applicatæ PM exhibeant functiones abſciſſarum AP, quæ charactere $f:$ deſignantur, ut ſit $PM = f: AP$. Quodſi jam ſumatur $AP = t\sqrt{b}$, erit $PM = f: t\sqrt{b}$: cui cum negative æqualis eſſe debeat $\varphi: -t\sqrt{b}$, capiatur $Ap = AP$, ut ſit $Ap = -t\sqrt{b}$, &, poſita curva Amb infra axem ſimili curvæ AMB, erit $pm = f: t\sqrt{b} = \varphi: -t\sqrt{b}$. Ergo curva Amb ſimilis curvæ AMB exponet naturam alterius functionis φ. Tum curva AMB ſimili modo ultra B exiſtente $AB = a$ continuetur infra axem, ut portio BNA ſimilis ſit & æqualis curvæ BnA, &, ſumto $BQ = Bq = t\sqrt{b}$, erit $AQ = a + t\sqrt{b}$, & $QN = -f: (a + t\sqrt{b}) = \varphi: (a - t\sqrt{b})$, pariterque ob $Aq = a - t\sqrt{b}$ erit $qn = f: (a - t\sqrt{b})$; unde patet curvam iſtius formæ AMB, quæ utrinque per partes, ſibi ſimiles & æquales, Amb, BNa alternatim ſurſum & deorſum ſitas, in infinitum continuetur, aptam eſſe ad naturam utriusque functionis f & φ repræſentandam.

XXII. Deſcripta ergo hujusmodi curva anguiformi, ſive regulari, æquatione quapiam contenta, ſive irregulari, vel mechanica, ejus quælibet applicata PM præbebit eas functiones, quibus ad Problema ſolvendum opus habemus, ſcilicet, ſi abſciſſa quævis ponatur $AP = z$, erit applicata $PM = f: z$. Hinc igitur, ſi abſciſſæ z tribuantur valores $x + t\sqrt{b}$ & $x - t\sqrt{b}$, erit $y = f: (x + t\sqrt{b}) + f: (x - t\sqrt{b})$, unde ad quodvis tempus in chorda vibrante pro qualibet abſciſſa conveniens applicata y aſſignari poterit. Ponamus autem $t = 0$, ut curvam initialem chordæ obtineamus, eritque, ſumta $AP = x$, applicata in chorda vibrante $y = f: x + f: x = 2PM$; vel quia ſuperiorum functionum ſemiſſes capere licet, ut ſit:

$$y = \tfrac{1}{2} f: (x + t\sqrt{b}) + \tfrac{1}{2} f: (x - t\sqrt{b}).$$

Ipſa curva AMB exhibebit figuram chordæ, ad quam initio motus ponitur diducta.

XXIII. Viciſſim igitur, ſi detur curva, ſeu figura, ad quam chorda initio eſt diducta, inde ad quodvis tempus t ab initio elapſum figura chordæ determinari poterit. Deſcripta enim

ſuper

ſuper axe $AB = a$, qui longitudini chordæ ſit æqualis, figura chordæ initiali AMB, ea utrinque ſitu inverſo repetatur, ut ſit $Amb = AMB$ & $BNa = BnA$, eademque lege repetitio hujus curvæ utrinque in infinitum continuata concipiatur. Tum, ſi hæc curva adhibeatur ad functiones inventas exprimendas, poſt tempus elapſum $= t$ abſciſſæ x in chorda vibrante reſpondebit applicata:

$$y = \tfrac{1}{2} f: (x + t\sqrt{b}) + \tfrac{1}{2} f: (x - t\sqrt{b}),$$

unde facilis conſtructio curvæ, quam chorda quovis tempore induit, colligi poteſt.

XXIV. Ne autem hæc formula quantitates heterogeneas involvere videatur, notandum eſt, $t\sqrt{b}$ per lineam rectam repræſentari, ideoque ipſi x eſſe homogeneum. Sit enim z altitudo, ex qua grave tempore t delabitur, atque, ſi temporis expreſſio modo ſupra indicato tractetur, erit $t = 2\sqrt{z}$: ideoque loco t ſcribere licet $2\sqrt{z}$, & ex altitudine z viciſſim tempus t ab initio motus elapſum cognoſcetur. Erit ergo $t\sqrt{b} = 2\sqrt{bz} = 2\sqrt{\frac{Faz}{2M}} = \sqrt{\frac{2Faz}{M}}$: ideoque per lineam rectam exprimetur. Ponamus autem brevitatis cauſa $\sqrt{\frac{2Faz}{M}} = v$, ita ut valor ipſius v ad quodvis tempus aſſignari poſſit: eritque, elapſo tempore, quo grave per altitudinem $= z$ delabitur:

$$y = \tfrac{1}{2} f: (x + v) + \tfrac{1}{2} f: (x - v).$$

XXV. Si igitur chordæ longitudinis $AB = a$ initio figura AMB fuerit inducta, indeque per ejus repetitionem linea curva anguinea $n'b\ AMBaN$ formata; figura, quam chorda, elapſo tempore t, quo grave per altitudinem $= z$ decidit, eſt habitura, ita definietur. Ex hac altitudine z cognita quæratur valor $v = \sqrt{\frac{2Faz}{M}}$, &, propoſita abſciſſa quavis $AP = x$, capiatur utriuque $PQ = Pq = v$, ductiſque ad puncta Q & q applicatis QN & qn, erit ob $QN = f: (x + v)$ & $qn = f: (x - v)$, applicata chordæ abſciſſæ $AP = x$ reſpondens $y = \frac{1}{2} QN + \frac{1}{2} qn$, ſeu capiatur $Pm = \frac{QN + qn}{2}$, eritque m lo- TAB. V Fig. 3.

 cus

Digitized by Google

eus puncti M, &, ſi hæc conſtructio pro ſingulis axis AB punctis inſtituatur, puncta m dabunt figuram chordæ præſentem AmB. Hocque modo ad quodvis tempus figura chordæ, quam inter vibrandum induit, facile deſcribetur.

TAB. V Fig. 3. XXVI. Quæramus figuram chordæ, poſtquam tantum elapſum eſt tempus, ut ſit $v = a$, ſeu $z = \frac{Ma}{2F}$, eritque

$$y = \tfrac{1}{2} f : (x+a) + \tfrac{1}{2} f : (x-a).$$

Erit autem ex natura curvæ deſcriptæ $f : (x-a) = -f : (a-x)$ & $f : (a+x) = -f : (a-x)$ unde fiet

$$y = -f : (a-x).$$

Unde perſpicitur, hoc tempore chordam totam infra axem fore inflexam, figuramque habituram eſſe $AM'B$, æqualem figuræ datæ AMB, ſed ſitu inverſo poſitam, ita ut, ſumta abſciſſa $BP' = AP$, applicata futura ſit $P'M' = PM$. Hincque viciſſim, ſi denuo æquale tempus t, unde fiat $v = a$, præterlabatur, tota chorda in ſitum ipſi initio inductum AMB revertetur; quod etiam inde palam eſt, quod, elapſo ab initio tempore, unde fiat $v = 2a$, proveniat:

$$y = \tfrac{1}{2} f : (x+2a) + \tfrac{1}{2} f : (x-2a).$$

At, ſumto $PQ = Pq' = 2a$, ex natura curvæ erit $Q'N' = PM = q'n'$, ideoque $y = PM$, uti initio motus.

XXVII. Quæcunque ergo chordæ initio tribuatur figura, ad eandem chorda ſingulis vibrationibus iterum perveniet, niſi quatenus ejus excurſiones a reſiſtentia diminuuntur; ex quo perſpicuum eſt, ſupra memoratam opinionem, qua vibrationes chordæ, utcunque initio regulares fuerint, mox ſeſe ad uniformitatem ita componere putabantur, ut figura in trochoidem elongatam abeat, veritati minime eſſe conſentaneam. Interim tamen patet, quæcunque chordæ vibrantis fuerit figura, vibrationes nihilo minus ſatis fore regulares; cum enim, poſito $v = 2a$, chorda ad priſtinum ſtatum revertatur, interea duas vibrationes abſolviſſe eſt cenſenda; ideoque ex valore $v = a$ tempus unius vibrationis definietur, quod æquale erit tempori, quo grave per altitudinem $\frac{Ma}{2F}$ delabitur, ſeu, ſi longitudo

chordæ

chordæ $AB = a$ in particulis milleſimis pedis Rhenani exprimatur, tempus unius vibrationis in minutis ſecundis expreſſum erit $= \frac{1}{125} \sqrt{\frac{Ma}{2F}}$, ſeu chorda ſingulis minutis ſecundis tot peraget vibrationes, quot hæc expreſſio $125 \sqrt{\frac{2F}{Ma}}$ continebit unitates, perinde ac ſi chorda ſecundum legem uniformitatis, a *Tayloro* deſcriptam, vibrationes ſuas abſolveret.

XXVIII. Uti figura *AMB*, chordæ initio inducta, præbet ejus primam excurſionem maximam; ita, una vibratione abſoluta, chorda reperietur in altera excurſione maxima *AM'B*, quæ primæ inverſæ æqualis eſt oſtenſa. Nunc igitur videamus, utrum tempore inter has vibrationes medio chorda perfecte in directum extendatur, ut ſitum naturalem accipiat, an minus, quoniam ex tempore unius vibrationis oritur $v = a$; ponamus pro momento medio $v = \frac{1}{2} a$, eritque ex forma generali:

$$y = \tfrac{1}{2} f: (x + \tfrac{1}{2} a) + \tfrac{1}{2} f: (x - \tfrac{1}{2} a),$$

cujus valor evaneſcet, ſi fuerit $f: (\frac{1}{2} a - x) = f: (\frac{1}{2} a + x)$, TAB. V Fig. 1.
hoc eſt, ſi figura *ADB*, chordæ initio tributa, ita fuerit comparata, ut abſciſſis $\frac{1}{2} a + x$ & $\frac{1}{2} a - x$ æquales applicatæ reſpondeant: quod evenit, ſi in longitudinis *AB* puncto medio *C* erecta applicata *CD* fuerit curvæ *ADB* diameter, & pars *DB* ſimilis & æqualis parti *DA*. Quoties ergo curva, chordæ initio inducta, hanc habuerit proprietatem, toties chorda, in cujusvis vibrationis medio in directum extendetur, quod cum innumerabilibus modis evenire queat, manifeſtum eſt, ne hanc quidem conditionem requirere, ut chorda inter vibrandum ſeſe perpetuo ad figuram trochoidis elongatæ componat.

XXIX. Quanquam autem, rem generatim ſpectando, tempora vibrationum non a figura, quam chorda inter vibrandum induit, pendent, ſed per ſolas quantitates a, M, & F, determinantur, quarum prima a longitudinem chordæ, M pondus chordæ, & F pondus vi tendenti æquale, denotat; tamen ſingulares dantur caſus, quibus vibrationum tempora vel ad ſemiſſem, vel trientem, vel quadrantem, vel etiam quamvis longi- Fig. 3.

Digitized by Google

tudinis totius partem aliquotam contrahi poſſunt. Si enim tota chordæ longitudo fuerit $Aa = a$, eaque initio ita incurvetur, ut duas obtineat partes *AMB* & *Ba*, ſibi mutuo perfecte ſimiles & æquales, tum perinde vibrationes peraget, ac ſi longitudinis tantum eſſet dimidiæ *AB*, eæque proinde erunt duplo celeriores. Simili modo, ſi figura chordæ initialis tres habuerit partes ſimiles & æquales *bAβa*, uti in Figura repræſentantur, tum perinde vibrationes peraget, ac ſi ejus longitudo eſſet triplo minor, & quælibet vibratio triplo brevior evadet. Ex quo intelligitur, quomodo vibrationes quoque quadruplo, vel quintuplo, &c. breviores fieri poſſint.

XXX. Expedita ſolutione generali, nonnullos caſus evolvamus, quibus curva anguiformis *Fig. 3* lege continuitatis ita eſt convexa, ut ejus natura æquatione comprehendi poſſit. Ac primo quidem ſtatim conſtat, has curvas, quoniam ab axe in infinitis punctis ſecantur, fore tranſcendentes. Poſitis longitudine chordæ $AB = a$ abſciſſa quavis $AP = u$, ſit $1 : \pi$ ut diameter circuli ad peripheriam, & manifeſtum eſt, æquationem ſequentem, per ſinus expreſſam, ejusmodi præbere curvam, qualis requiritur:

$$PM = \alpha \, \text{ſin.} \frac{\pi u}{a} + \beta \, \text{ſin.} \frac{2\pi u}{a} + \gamma \, \text{ſin.} \frac{3\pi u}{a} + \delta \, \text{ſin.} \frac{4\pi u}{a} + \&c.$$

Si enim loco u ponatur vel a, vel $2a$, vel $3a$, vel $4a$, &c. applicata *PM* evaneſcit, &, poſita u negativa, ipſa applicata in ſui negativam abit. Quodſi ergo curva *AMB* fuerit figura chordæ primitiva, elapſo tempore t, quo grave per altitudinem $= z$ decidit poſito $v = \sqrt{\frac{2Faz}{M}}$, abſciſſæ x in figura chordæ reſpondebit applicata y, ut ſit:

$$y = +\tfrac{1}{2}\alpha \, \text{ſin.} \frac{\pi}{a}(x+v) + \tfrac{1}{2}\beta \, \text{ſin.} \frac{2\pi}{a}(x+v) + \tfrac{1}{2}\gamma \, \text{ſin.} \frac{3\pi}{a}(x+v) \ \&c.$$

$$+ \tfrac{1}{2}\alpha \, \text{ſin.} \frac{\pi}{a}(x-v) + \tfrac{1}{2}\beta \, \text{ſin.} \frac{2\pi}{a}(x-v) + \tfrac{1}{2}\gamma \, \text{ſin.} \frac{3\pi}{a}(x-v) \ \&c.$$

XXXI. Cum autem ſit $\text{ſin}\,(a+b) + \text{ſin.}\,(a-b) = 2\,\text{ſin.}\,a\ \text{coſ.}\,b$ hæc æquatio transformabitur in iſtam formam:

$y =$

$$y = \alpha\, ſin. \frac{\pi x}{a} . coſ. \frac{\pi v}{a} + \beta ſin. \frac{2\pi x}{a} coſ. \frac{2\pi v}{a} + \gamma ſin. \frac{3\pi x}{a} coſ. \frac{3\pi v}{a} \text{ \&c.}$$

& figura chordæ primitiva hac exprimetur æquatione:

$$y = \alpha ſin. \frac{\pi x}{a} + \beta ſin. \frac{2\pi x}{a} + \gamma ſin. \frac{3\pi x}{a} + \text{ \&c.}$$

quæ eadem redit, quoties v fit vel $2a$, vel $4a$, vel $6a$, &c. Sin autem ſit v vel a, vel $3a$, vel $5a$, &c. figura chordæ erit:

$$y = -\alpha ſin. \frac{\pi x}{a} + \beta ſin. \frac{2\pi x}{a} - \gamma ſin. \frac{3\pi x}{a} + \text{ \&c.}$$

Ubi notandum eſt, ſi ſit $b = o$, $\gamma = o$, $\delta = o$, &c. caſum prodire, qui vulgo ſolus in vibratione chordarum locum habere putatur, ſcilicet $y = \alpha ſin. \frac{\pi x}{a} \; coſ. \; \frac{\pi v}{a}$, quo curvatura chordæ perpetuo eſt linea ſinuum, ſeu trochois, in infinitum elongata. Sin autem vel ſolus terminus β, vel γ, vel δ &c. adſit, habentur caſus, quibus tempus vibrationis vel duplo, vel triplo, vel quadruplo, &c. minus redditur.

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII, NEAPOlitanæ Eccleſiæ Canonici, & Regii S. Scripturæ Interpretis, in vetus marmoreum ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ Calendarium Commentarius.

Neapoli, ex officina Novelli de Bonis, Typographi Archiepiſcopalis, 1744, 4.

Alph. 1 plag. 17, cum Tab. æn. 1.

Eccleſiæ Pontificiæ Purpurato, & primario Neapolitanorum Antiſtiti, *Joſepho Spinello*, luculentum hoc opus dedicatum, ejusdem in fronte gerit inſignia. Argumentum figura æri inciſa exhibet. Nimirum inter antiqua civitatis Neapolitanæ templa proximum a principe locum tenet S. *Joannis* Baptiſtæ, vulgo S. *Joannis Majoris*, a *Vincentio* antiſtite fundatum olim Seculo

 VI

Digitized by Google

VI medio, quod & Canonicorum collegium illuſtrius reddidit. In hoc templo verſus ſeptentrionem iſta grandia duo marmora, longa ſingula palmos Neapolitanos, quorum terni deni pedes Romanos decem æquant, 23, alta 3 cum quadrante, craſſa unum, parieti affixa erant, ita ut janua templi dirimeret, atque averſa pars variis animalium imaginibus plena oſtenderetur. Cum autem A. 1742 revellerentur; in altera feſtorum dierum indices & faſti ſacri literis inſculpti reperiebantur. Itaque ad Eminentiſſimum *Joſ. Spinellum* deferebantur, qui ſuas in ædes latorum ætatem juſſit inquiri. Hoc facto, inveniebatur, medio ferme nono Seculo iſtos faſtos exſculptos fuiſſe: id quod ſingulari Diatriba, *de ætate hujus marmorei Calendarii*, pro virili ſtabilitur, variisque conjectatur rationibus. Primarius Commentarii ſcopus eſt, cultus Sanctorum atque incertarum obſcuri temporis rerum qualiscunque perveſtigatio. Quæ, licet inſignem diligentiæ laudem habeat, inque cœtu Romano pariter utilitatem; nos tamen non æque moratur. Inde, uno ſolum ejusmodi exemplo allato, veluti
Pag. 49. ſecundariis quibusdam momentis paulum adhærebimus. Admodum ſalebroſa feſtivitatis cathedræ *Petri* tractatio dicitur, quamvis doctiſſimorum virorum ſcriptis illuſtrata. Conſuli quippe de illa poſſunt *Baronius*, *Contius*, *Tillemontius*, *Quesnellius*, ad *S. Leon. Hom. 96*, ac poſtremo ad utriusque cathedræ diem *Bollandiſtæ*, *Bailletus*, *Caſtellanus*. Noſter, quid ſibi probabilius videatur, aperturus, memorat, primum omnium in *Bucheriano* laterculo, quod medio IV Seculo conditum fuit, celebritatem illam ſic notari; *VIII Kal. Mart.* (h. e. XXII Febr.) *Natale Petri de Cathedra*, quod Noſter interpretatur cathedræ *Petri* feſtum diem, cum ſic & alii antiſtites natalem cathedræ ſuæ quotannis celebrarent. Atque in hoc *Petri* natali S. *Leo* Sermonem 96 habuiſſe dicitur, quem primus edidit *Quesnellius*. Eodem id die pariter *Gregoriano* ſacramentario celebratur. Hæc adeo conſtituit Noſter cathedræ *Petri* initia, quæ tamen ita tunc colebatur, ut de Antiochena, vel Romana, ſede nihil peculiare haberetur, ſed ξενικῶς *Petri* Epiſcopatus honoraretur. Eundem feſtum diem ante *Carolum*

Digitized by Google

lum M. in Galliis 18 Jan. generatim celebrabant. In *Hieronymiano* Martyrologio diſtincta cathedræ feſta Romanæ 18 Jan. & Antiochenæ 22 Febr. memorantur; nec minus in parvo Romano, quod *Ado Viennenſis* Aquilejæ reperit, 22 Febr. Antiochenæ cathedræ tribuitur: ſed utrobique manu recentiore, pro ingenio Seculi IX, quo ea diſtinctio invecta videtur. Itaque nec *Beda*, nec *Florus*, id diſcrimen agnoſcunt, quod tamen in poſterioribus *Adonis Uſuardi*que Martyrologiis palam viſitur. Credit autem Noſter, id eſſe ſub Pag. 50.
Carolo M. invectum, ſub quo Romanorum libri liturgici, abolitis Gallicanis, obtinuerint uſum apud Francos, qui tamen, & ſuam & Romanam celebritatem retinentes, ita modo diſtinxerint; quæ paulatim latius diſſeminata fuerit conſuetudo. Hinc in *Gregorianis* Codicibus, a *Thomaſio* editis, nonnunquam cathedræ feſtum indiſtinctum in provinciis Francicæ ditionis invenit. Apud Græcos viri doctiſſimi mirantur, quid ſit, cur, qui *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, aliorumque, natalem cathedræ colerent, id in *Petro* neglexerint; Noſter autem, quicquid eſt hodie ſacrorum Græciæ librorum, id omne haud magnam antiquitatem præ ſe ferre, arbitratur. Sed deferamus res, ut hæcce, fundatas, 4.
verba quæramus explicata. Offendimus hic ἐπιφανίας nomen, de cujus ſignificatu eruendo commendantur *Caſaubonus* ad *Baronium*, *Noriſius* in Epochis Syro-Macedonum, & alii, in ſolennitatibus vero Chriſtianorum indicare dicitur apparitionem ad Jordanem ſanctiſſimæ Trinitatis, quam eo die Græci ab exordio coluerint, unde factum fuerit, ut ad παρουσίαν Chriſti deinceps accommodaretur, ac θεοφανείας æque nomen obtineret. Ad rem ipſam hic allegatur *Caſtellanus*, Canonicus Pariſienſis, in Annotationibus ad Martyrologium. *Stolæ* vocabulum dupli- 40.
ci ſenſu accipitur, quatenus apud profanos totum corpus ambiebat, & quatenus apud ſcriptores ſacros idem notat atque orarium, ſive lorum. *Gramma* non ſolum literam 48.
deſignat, ſed, ætate poſteriore, pariter extremum veſtium lim-

Digitized by Google

limbum, qua notione apud *Ughellum* in charta anni 1197 numero plurali reperitur. Vid. utrumque *Cangii* Gloſſarium. Cauſam notionis tradit *Suidas* in Τριβώνιον, ubi ſcribit: Τριβωνοφόρες, ὁ φορῶν στολὴν ἔχουσαν σημεῖα ὡς γράμματα. Σημεῖα vero Græci nominant, quos clavos Latini. Qui clavi ad oram prætexebantur, cumque literarum ſpeciem præ ſe ferrent, ipſe quoque limbus γράμμα vocabatur, ut & limes extremus. Inde verſus accipit lucem:

Si noſſe ſatagis, cujus hic membra quieſcant;
Grammatis indicio ſigna priora lege.

Pag. 85. Quod acroſtichum indicat. Alia eſt obſervatio, quod medio ævo eadem dialectus apud Latinos ſcriptores obtinuerit, quæ nunc Neapoli apud vulgus ſit uſitatiſſima, ut *J* conſonans loco literæ *G* uſurparetur. Nam, ſicuti nunc pro *Gennaro* vulgus effert *Jennaro*, pro *Giano Jano*, ſic Seculo XI pro *Geraſimus* ſcribebatur *Jeraſimus*, pro *Gerontius Hierontius*, pro *Glycerius Ilucerius*, &c. quod & ſequentibus
104. Seculis obtinuit. Ita & ſtabilitur, *zetam* idem plane eſſe, quod *diæta*, & *zetarium*, quod *diætarium;* cum *d* & *z* apud antiquos permutarentur, quod ad Æolicam diale-
105. ctum ſpectet, ut ζαβάλλειν pro διαβάλλειν, *æ* vero in *e* converſum fuiſſe, quod Latini Græca civitate donantes ſæpius immutarint, ut *zeta* pro *zæta*. Δίαιτα vero generatim habitationem, aut ſedem, notat, quo loco conferri merentur, quæ habet *Plinius Ep. II, 17*, & *V, 6*, unde patet, & cubiculi & conclavis ſecretioris genus
108. fuiſſe. Erant vero diætæ ferme anguſtiores, quam cetera
109. cubicula, *Sidon. II, 2;* amœnitate plurimum præſtabant, *Ulpianus l. 13 §. ult. D. de Uſufr. & quemadmodum*, exquiſitis inſtruebantur ornamentis, atque in eadem ſæpius domo erant plurimæ, quarum non paucæ cognomen a Deo quodam
119. habebant, qui ſive talis diætæ ἐπίσημον eſſet, ſive tutela. Neque minus diverſa *notariorum* ſignificatio expenditur, quorum præcipue in Romano cœtu magna olim fuit autoritas, dum Pontificum epiſtolas ipſi ſubſcriberent. *Gregorius Lib. II Epiſt.*

54

Digitized by Google

4, *IV*, 25. Sed inſignis operis pars excerpenda foret, ſingulas ejusmodi perquiſitiones ſi quidem cumulare vellemus, Hoc igitur cum ſpatium ſuperet noſtrum atque inſtitutum; plura noſcendi cupidos ad ipſum opus ablegamus.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VI Pars II.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1748, 8.
Plag. 12.

Scenam aperit *Georgii Ludovici Oederi Diſſertatiuncula critica in Matth. I, 18*: *Irenæi* locus a Viro Cel. exponitur, obvius *III, 18*, quo provocaverat ille ad librum generationis Jeſu Chriſti. Monet *Oederus*, vocabula γένεσις & γέννησις vix poteſtate & vi differre. Hanc Græci Alexandrini ſubſtituerunt illi nonnunquam. Autori fit veroſimile, ea, quæ inciſum 18 *Matthæi I* præcedunt, ab Apoſtolo aliunde fuiſſe deſumta; veriorem vero tabulam genealogicam a *Luc. III* exhiberi. *Petri Zornii Diſſertatio poſthuma de Theſauro abdito in agro, ad Matth. XI, 44*, non minus vocat attentionem Lectoris. Theſaurus eſt, quicquid recipit collectum frumentum ac alia pretioſiora. Horrea & granaria inprimis appellantur θησαυροὶ & σιροί. Succedit *J. C. Harenbergii Continuatio tertia Supplementi in Hadriani Relandi Librum de Urbibus & Vicis Palæſtinæ*. Exhibentur hic ſicilimenta ad literam *O* & *P*. Loca *Olan*, *On*, ſeu Ægypti Heliopolis, *Ormiza*, *Oronæ*, *Orthoſia*, *Orton*, *Oryba*, *Oſtracinon*, *Othnai*, *Oulatha*, *Paddan*, ſeu Vatanis, *Palæſte*, *Palatyrus*, *Palthos*. Syriæ litoralis, *Paneas*, ad radices Antilibani ſita, *Papyron*, *Paradiſus*, *Phœnicon*, *Pitom*, ſeu Patumon, *Pletha*, *Poſidium*, quod pro Sidone majori habetur, & *Ptolemais* inprimis, largiori luce perfunduntur. Orebitæ proſcribuntur ſolide. Excipit hanc tractationem *Pauli Ernesti Jablonski Obſerva-*

Pag. 187. 190. 193. 199. 236.

ſervatio de Phtha, priſcorum Ægyptiorum Numine, quod Græci Vulcanum interpretantur, ubi & de veterum Philoſophorum atheiſmo. Deos, quos Ægyptii priſci coluerunt, ex materia conſiſtere, iidem docuerunt, rati, animos hominum poſt corporis mortem in ætherem refundi. Philoſophi tamen eorum numen agnoverunt Diis, e materia coalitis, excellentius, a quo reliqui Dii pendeant & gubernentur. Eadem fere Stoici. Illuſtrari hæc poſſunt ex antiquiorum *Orphicorum* theologia. Spiritum illum æternum, primam rerum omnium cauſam, Ægyptii vocarunt *Phthan*, quem Græci Ἥφαιςον, *Vulcanum*, interpre-
Pag. 238. tantur. Ipſi ex Tenebris & Nocte origines rerum omnium deduxerunt, nulla ſæpius mentione mentis ſempiternæ facta. *Orpheus* certe, in Ægypto Philoſophia imbutus, ita decrevit, teſte *Damaſcio*. *Steuchus Eugubinus*, per Tenebras deſignari mentem ſempiternam, ſibi perſuaſit. At eum refellit Noſter. Nam nox illa fuit dicta
242. *Ator*. *Æneas Gazæus* in *Theophraſto de Animarum immortalitate* l'antheiſmum Ægyptiis priſcis tribuit, ac Metempſychoſin. Hanc Ægyptiis æque adſcribit *Herodotus II, 123.* *Porphyrius* Ægyptiis id etiam tribuit ſcitum, docens, animam ex ſupremo æthere in hominem digredi, ac per omnia propemodum animalia tranſire, tandem in æthera refundi. Suffragatur *Servius*. Ex ea cauſa comburere cadavera fuit more receptum. *Pythagoras*, *Plato*,
247. ac Stoici docuerunt eadem. *Charemon* Stoicus, ſacrorum
257. quondam apud Ægyptios ſcriba, haud ſecus ſenſit. Addiderunt tamen Ægyptii principiis præſidem, Κνὴφ dictum, quem ſtellæ inſigni quodam indicarunt, teſte *Horapolline*. *Orpheus*, chao, ad ovi modum & effectum, peperiſſe ex ſe duplicem quandam ſpeciem, maſcula fœmineaque conſtantem, unde reliquus mundus prodierit, tradidit. Chao autem illam putarunt priſci mortalium æque ſempiternam exſtitiſſe ac mentem, quæ eam, ad ovi inſtar compoſitam, in mundi effectionem diffuderit. Nonnihil ejus rei indicavit *Euſebius Præp. Evang. III, 11.* Philoſophia *Orphica* novit illud unicum ἀρσενόθηλυ, *maſculo-fœmineum*, a

quo

quo omnia ſint condita, & ex quo *Zinzendorſianus* Deus videtur formatus. *Phtha* fuit mas æque ac fœmina, teſte *Horapolline I, 12. Thales*, diſciplina Ægyptiorum uſus, aquam perhibuit eſſe initium rerum, Deum vero eam Mentem, quæ ex aqua fingeret cuncta, teſte *Cicerone* & *Simplicio*. Addidit fabulæ Æ- Pag. 260.
gyptiorum *Euſebius* nonnihil novi, *Præp. Evang.* Genealogiam Deorum Ægypti priſcæ exhibuit *Jamblichus*, ac in eis retulit *Knephum* & *Phthan*. *Suidas*: Φθᾶς ὁ ἥφαιστος παρὰ Μεμφίταις. In *Cicerone de N. D. III, 12*, legitur *Opas* loco *Phthas*. *Vulcanum* & *Phthan* eſſe eundem, docet Autor *Clementinorum Homil. IX §. 6 pag. 681 edit. Coteler.* Conſentit *Jamblichus*. 264.
Phtha deſignat Mentem illam opificem, quæ chaos tenebricoſum primo in formam ovi compegit, deinde vero ex materia, quam chaos complectebatur, res omnes creavit, atque ex tenebris in lucem protraxit. Symbolica hæc notio placuit mirifice Orientalibus, apud *Brachmanas* adhuc vigens. In Ægy- 266.
pto dicebatur *Vulcanus* regnaſſe primus, deinde Sol, ejus filius. *Phthan* Græci vocarunt *Hephæſton*, reſpicientes ad vim & naturam ignis, quippe cui *Vulcanus* præſidere exiſtimatus. Ægy- 267.
ptii enim ſibi perſuaſerunt, Mentem illam ſempiternam eſſe ignem ſubtiliſſimum & puriſſimum æthereum, omnibus planetarum orbibus ſuperiorem, ex quo animæ avulſæ in terram delabantur, & in quem certo ſpatio exacto refundantur. Nomen *Phthas* ſine ullius literæ mutatione denotat *definientem, decernentem, ordinantem. La Croſa* hanc originationem literis ad 268.
Ven. Autorem datis copioſe edifferuit in *Theſauro Epiſtol. Tom. III pag. 155*; unde hic potiora afferuntur. *Vulcanus* legiſlator, ſomniorum præſes & futuri vates, ac ſuprema omnium eventuum cauſa, Ægyptiis creditus. Niligenæ tandem, *Phthan* 270.
negligentes, in neceſſitates urgentes ac præſentia commoda intenti, coluerunt Solem, Lunam, Nilum. Reſtitit cultus *Vulcani* in unica fere Memphi, templumque ejus ſumtuoſum, ab *Herodoto* & *Diodoro* deſcriptum. Pariter recentiores Ægyptii neglexere *Neitham*, Ægyptiorum *Minervam*, Sai in inferiori Ægypto cultam, quam Cel. Autor poſthæc illuſtravit, ut ſuo loco ſignificabimus. Longiores jam in *Phtha* fuimus, eo quod res ple-

Digitized by Google

Pag. 272. plerumque minus hæc patet. Quinto loco prodit *Jo. Jacobi Reiske Libellus Animadverſionum ad alteram editionem Burmannianam Petronii*, ejusque *Pars altera*. Indicatur ad *pag. 185 Petronii*, apud *Theophraſtum Cap. 21* legi Αἰθιὼψ ἵςαι, ubi Cl. *Paw* monuerit legendum αἰθιοψεύσται. Male quidem. Illuſtrat Noſter non *Petronium* modo, ſed etiam varia Græcorum loca, illuſtrationis cauſa in medium adducta. Haud pauca Cl. *Reiske* in verbis *Petronii* vulgatis Apolline æquo emendaverat, quæ argumentis munit, vel denuo emendat, certe admodum multis locis lucem infert præ-
308. claram. Sextum locum occupat *Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas altera.* Diſſeritur hic de libris, certe editionibus eorum, rariſſimis. *Marci Valerii Martialis, Hiſpani, Xenia & Apophoreta* A. 1508 Francofurti ad Viadrum formis publicis ſunt expreſſa *per honeſtos viros Nicolaum Lamperter & Baccalaureum Balthaſar Murrer. Martialis Liber XIII & XIV* hic exhibetur, quorum ille *Xenia*, hic
314. *Apophoreta*, denominari ſolet. *Pauli Oroſii, Hiſtoriographi clariſſimi, opus præſtantiſſimum*, Pariſiis prelo expreſſum per *Joannem Barbier* A. 1510, 4, paucis contigit videre. *Dan. Guil. Mollerus* in *Diſſ. de Paulo Oroſio*, A. 1689 edita, eam
318. editionem ignoravit. *In Præfationem naturalis Hiſtoriæ Plinii Commentationes* Romæ per *Jacobum Mazochium* A. 1510, 4, publicatæ ſunt. Præfationis Autor, *Antonius Faber, Ferrarienſis*, meditatus eſt *in Martianum Capellam Commentationes, majorum vigiliarum munus*, cui immortuus fuiſſe videtur.
323. *Mirabilia Romæ*, Romæ per *Marcellum Silber*, alias *Franck*, A. 1513, 4, formis publicis deſcripta, octo conſtant plagulis, *Maittairio* incomperta. *Pars prior* loca publica, ſpectari digna, *poſterior* indulgentias templorum urbis Romæ,
327. exhibet. *Concordata Principum nationis Germanicæ, cum argumentis, ſive ſummariis, jamjam editis*, Argentinæ per *Renatum Beck* A. 1513, 4, excuſa, ſunt rarius ferculum, cujus loca nonnulla cum editione, a *Goldaſto* curata, *Menckenius* con-

Digitized by Google

contulit operoſe, & utilem multis futurum adjecit commen-
tarium. *Franciſci Barbari, Patricii Veneti, Oratoriſque clariſſi-* Pag. 337.
mi, de re uxoria Libelli duo, Lutetiæ in ædibus *Aſcenſianis* A.
1513 expreſſi typis, ſunt memorabiles, ad uxorem ducen-
dam invitantes. Purpuratus R. E. *Angelus Maria Quiri-*
nius edidit ante paucos annos *Barbari* illius *Epiſtolas*, & *ad*
eas Diatriben. Libelli illi duo ſæpius typis ſunt recuſi.
Editio autem hæc Pariſienſis eſt omnium prima. *F. A. F.* 340.
Poetæ Regii, Libellus de obitu Julii, Pontificis Maximi,
A. 1513, 8, formis publicis deſcriptus, ſatirico abundat ve-
neno, primæ exiſtimandus editionis, eo quod illo anno Papa
Julius diem obiit ſupremum. *Joannes Wolfius* integro libel-
lo locum dedit in *Lectionum memorabilium Tomo II pag. 58.*
Venit in libri compoſiti ſuſpicionem *Eraſmus*, qui eam a ſe
epiſtola ad *Laurentium Campegium* Cardinalem amoliri con-
tendit. Videtur fuiſſe autor *Fauſtus Andrelinus*, Forolivien-
ſis, Poeta laureatus, isque regius, Pariſienſis. Libellus Pariſiis
acceſſit *Actis Concilii Piſani*, A. 1612 editis, regioque privile-
gio munitis. Rarus æque eſt *Eraſmi Roterodami Libellus de* 347.
Conſtructione octo partium orationis, ex Britannia nuper huc
perlatus, Coloniæ apud Mag. *Cornelium Zyrickzee* A. 1514
evulgatus. *M. Tullii Ciceronis Quæſtionum Tuſculanarum Li-* 349.
bri quinque, Florentiæ A. 1514, 8, ſumtibus *Philippi Giuntæ*
editi, *Maittarium* æque præterierunt. Adde *Encomium Mo-* 350.
riæ Eraſmi Roterodami, quod, Venetiis in ædibus *Aldi* & *Andreæ*
Soceri A. 1515 expreſſum, paucis innotuit. Succedit huic De- 351.
cadi in barbaros Philoſophos ætatis noſtræ accommodatiſſi-
mum ferculum. Deſignamus *Lycoidis proſelyti Specimen liber-*
tatis philoſophandi reſtitutæ, ſive conſilium, quomodo obſoletæ
& antiquatæ veterum Philoſophorum locutiones permutari ho-
diernis, & more ſeculi receptis, indeque corrigi Autores aureæ &
argenteæ ætatis, poſſint, ut ad lectionem eorum, etiam qui uſi-
tatam illis phraſin non intelligunt, invitentur. An eventus ſit
inſtituto reſponſurus, liceat dubitare, quamdiu homines, Philo-
logiæ expertes, ſoli exiſtimantur Philoſophi, ac Philoſo-
phi eo illuſtriores, quo magis deprehenduntur barbariei
ingruentis manifeſti. Noſtrum eſt, ad alia progredi, puta

Digitized by Google

ad Epiſtolas quatuor *Wilhelmi Cavei*, ad *Ottonem Menckenium* Windeſoria A. 1697, 1698, & 1699, datas. Opuſcula *Sherlockiana*, integram Tritheiſmi hiſtoriam complexa, & ad controverſiæ Socinianæ ſtatum referenda, *Thomæ Tanneri* inſtitutum edendi Bibliothecam Britannicam, *Zacagnii* collectanea, *Cavei* Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum, Spicilegium Patrum *G. Erneſti Grabii*, *Hickeſii* Grammatica ſeptentrionalis, hic inprimis prædicantur. *Jo. Burchardo Menckenio* multas *Caveus* laudes paſſim impertivit, patrem *Ottonem* optima de eo jubens ſperare.

NOVA LITERARIA.

Elias Luzak, typographus haud vulgaris notæ, bonis artibus, & utilium librorum editione, inclareſcere cupiens, ipſe doctus, & aliquot proditis ingenii monumentis jam clarus, inſtituit *Abulfedæ Hiſtoriam Saracenicam*, a ſeptimo æræ Chriſtianæ Seculo usque ad XIV initia productam, opus diu deſideratum, utroque ſermone, Arabico nempe, & ex Latina interpretatione Celeberrimi *Jo. Jac. Reiskii*, Linguæ Arab. in Acad. Lipſ. Prof. Publ. cum neceſſariis notis & apparatu cetero, edere; ſuique conſilii rationem & ſpecimen ſingulari folio prodidit, cujus unam dimidiam partem leges ſubſcriptionis, alteram ſpecimen tam Arabici textus cum ſuis notis, quam Latinæ interpretationis cum aliis ſibi propriis, implent. Nempe non audens magni Operis ſumtuoſam editionem in ea argumenti novitate & emtorum penuria ſuis impenſis periclitari, proponit ſubſcriptoribus peræquas conditiones, quæ ſi placeant, poterunt ſibi utile ſimul & nitidum opus tolerabili ſumtu comparare. Cum ex ejus ſupputo textus Arabicus tria Volumina quartæ formæ majoris, & Latina interpretatio quatuor alia, impletura, & per intervalla intra biennium edenda ſint; poſtulat, ut ſubſcribentes, quotquot ſint, qui totum Opus Arabicum ſimul & Latinum cupiant, pro toto per intervalla quatuor pretium 31. flor. Belgico-

rum

Digitized by Google

rum & 7 aſſium, quadrantem quavis vice, ſolvant, qui vero Latinam interpretationem ſolam ſeorſim cupiant, decem florenos Belgicos per quatuor intervalla pariter ſolvant. Minuetur id pretium pro ratione numeri ſubſcribentium eo magis, quo plures illi fuerint. Edendo prima duo Volumina Latina & primum Arabicum, ſignificabit publico Schediaſmate de numero ſubſcriptorum, eorumque nomina prodet, & definiet pretium, quantum deinceps ſingulis periodis pendi debeat. Quod nunc fieri nequiit, quandoquidem de coituro emtorum numero nondum conſtat; credibile autem eſt, plures coituros eſſe, quam nunc quidem in cenſum venerunt. Nempe non reputavit librarius plures, quam trecentos, totius Operis, & totidem Latini ſolius, emtores, ſed nec pauciores admittet. Qui niſi vel ipſi cogi poſſint, omittet totum inſtitutum, qua de re per Novellas Gallicas Leidenſes ſignificabit; & æs cuique ſuum reddet. Exſpectabit & colliget ſubſcriptores usque ad Calendas Martias anni proxime imminentis 1750. Operis ipſius forma hæc erit. Seorſim, quod jam diximus, edetur textus Arabicus cum notis criticis & philologicis, quæ rationem dictionum & emendationum, ſive ab ingenio, ſive ex collatione gemini Codicis *Ibn Schebnæ*, qui compendiator *Abulfedæ* eſt, petitarum, exponent. Editur *Abulfeda* textus ex eodem illo Leidano, bonæ notæ, & aliorum omnium, quotquot noti ſunt, pleniſſimo, Codice, ex quo Cel. *Schultenſius*, inſtituti hujus, tam *Reiskio*, quam *Luzakio*, maximus ſuaſor & futurus promotor, Excerpta vitæ *Saladini* quondam edidit. Accedet Arabicarum dictionum index. Latina interpretatio, ſeorſim pariter excudenda, ſuppoſitas habebit notas mere hiſtoricas, quæ præcipuos ſcriptores Europæos typis vulgatos, Byzantinos, Hiſpanos, Siculos, Italos, item qui res Barbariæ & expeditiones cruciatas expoſuerunt, cum narrationibus Arabis comparabunt, illuſtrabunt, emendabunt. Præter indices hiſtoricum & geographicum, & tabulas Dynaſtiarum Orientalium genealogicas, propemodum ſexaginta, promittit Cl. Editor, niſi moles jam nimium & ultra

Digitized by Google

tra præfinita quatuordecim alphabeta excreverit, introductionem in univerſam Hiſtoriam ſic dictam Orientalem, rectius Muhammedanam, & *Hagi Chalifæ* Tabulas Chronologicas, usque ad medium ſuperioris Seculi productas.

Tantum viſum fuit ex prima hujus folii parte excerpere. Sequuntur in ſpecimen duæ paginæ textus Arabici, cum notis ſuis; e quibus id maxime memorabile enotamus, *Herbelotum* in *Bibliotheca* ſua *Orientali* non ipſo *Abulfeda*, ſed ejus epitomatore *Ibn Schehnah*, vel *Ibn Schunah*, ut ipſe appellat, ubique uſum fuiſſe, neglecto fonte; &, teſte *Antonio* in *Bibl. Hiſpanica*, *Didacum de Velaſco* hujus ipſius *Ibn Schehnæ* Latinam interpretationem condidiſſe, privatis in ſcriniis adhuc latitantem; tandem Cl. Editorem geminum hujus modo laudati Autoris Codicem, unum Leidanum, alterum *Dorvillianum*, triviſſe. Continent autem Arabica, hic exhibita, idem argumentum, quod appoſita Latina; nempe hiſtoriam Hieroſolymæ, a Francis A. 1098, duce *Godofredo Bullionæo*, captæ; una cum elegantis carminis, eo tempore a fervido *Moslemo* dicti, apoſpaſmatio. Diſcitur ex ea particula, de Ægyptiorum in urbem ſanctam dominio non recte traditum a *Wilbelmo Tyrio*, &, qui eum ſecuti ſunt, noſtratibus, fuiſſe. Ex ſuppoſitis notis, ut alia prætermittamus, intelligitur, quinam illi fuerint Principes Orientales, qui *Wilhelmo Tyrio*, *Marino Sanuto*, *Geuffræo*, *Reyſnero*, memorantur, *Artoth*, *Gazzi*, *Gariz*, *Sochomanus*, *Elaſdalius*, *Elaſdolef*, *Emirejus*, corrupta a librariis nomina, & quo modo debeant emendari. Ejusdem notæ ceteræ quoque erunt ſubſtratæ Latinæ interpretationi notæ; ſatisque prodit hoc Specimen, eas bonarum & huc usque vulgo ignotarum rerum plenas fore. Juſtum ergo eſt, nos utiliſſimum & maxime deſiderabile inſtitutum favore noſtro & commendatione votisque, ſi quid vota proficiunt, bonos autem omnes plauſu & congratulatione, qualis laudatiſſimis quibusque laboribus debetur, proſequi.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXLIX.

Pars II.

Joh. Jac. Scheuchzers Naturgeſchichte des Schweizerlandes, ꝛc.

hoc eſt,

HELVETIÆ HISTORIA NATURALIS, AUTORE JO. JACOBO SCHEUCHZERO, additis ejusdem Itineribus per montes Helvetios. Denuo edidit, & Notas paſſim adjecit, JO. GEORG. SULZERUS.

Partes II.

Tiguri, ſumtibus Dav. Geſneri & fratrum, 1746, 4.

Pars I Alph. 2 plag. 15, Tabb. æn. 19, Pars II Alph. 2 plag. 3, Tabb. æn. 6.

J. G. Sulzers Unterſuchung von dem Urſprunge der Berge, ꝛc.

hoc eſt,

DE ORIGINE MONTIUM, ET REBUS EO ſpectantibus, Diſquiſitio JO. GE. SULZERI.

Tiguri, 1746, 4.

Plag. 6, Tab. æn. 1.

Digitized by Google

J. G. Sulzers Beſchreibung der Merckwürdigkeiten, ꝛc.

hoc eſt,

JO. GE. SULZERI DESCRIPTIO MEMORABILium, in itinere, per quædam Helvetiæ loca A. MDCCXLII inſtituto, obſervatorum.

Tiguri, 1743, 4.

Plag. 8, Tab. æn. 1.

Jungimus hæc ſcripta, quia omnia ad Helvetiam ſpectant, & Cl. *Sulzeri* diligentiæ debentur. De priori quidem Opere, nihil fere habemus, quod dicamus, cum illud jam eruditis, qui naturalium rerum cognitione delectantur, omnibus plus ſatis innotuerit. *Sulzerus*, ut correctior, potiſſimum quoad dictionem, prodiret nova editio, curavit, paſſimque diſperſa, ſed eandem materiam ſpectantia, conjunxit, itinera vero montana, quæ Lugduni Batavorum olim prodierunt, partim vertit, partim contraxit, omiſſis ſcilicet, quæ jam in Hiſtoria naturali Helvetiæ habentur, deinde botanicis obſervationibus, quod eæ in Illuſtris *Halleri* enumeratione ſtirpium Helvetiæ indigenarum meliores exſtent, denique iis, quæ ad ſtatum politicum, hiſtoriam, & antiquitates, ſpectant, credens, neminem hæc in tali libro quæſiturum. Tabulæ etiam æneæ quamplures, a primo Editore ex Topographia *Meriana* adjectæ, & tales quidem, de quibus ſæpius ne verbum quidem in textu habetur, hic omiſſæ ſunt, nec non aliquæ *Scheuchzeri* ipſius, ſed ſuperfluæ. Adjecta vero ſunt, quæ ad collectiones Uratislavienſes *Scheuchzerus* contulit.

Notæ *Sulzeri* adjectæ acumen Viri eruditionemque abunde teſtantur. Paucas delibare liceat. Noſtalgiam *Scheuchzerus pag. 87 ſeq. P. I* ex puriori & leviori aere, quam Helvetii alibi, quam in patria ſua, non hauriant, deducit. Quærit

Digitized by Google

Sulzerus, cur aliarum nationum cives, in Helveticum aerem, ei, cui aſſueti ſunt, adeo diſſimilem, delati, noſtalgia non afficiantur. Itaque veroſimile eſt, morbum Helvetiorum inde oriri, quod libertati aſſueti diſciplinam militarem in aliis terris ægrius ferant. Arbores, *Scheuchzerus* notat *pag. 92 P. I*, quo propiores verticibus montium creſcant, eo humiliores eſſe, quod *Sulzerus* de plantis generale prædicat, herbasque adeo parvas enarrat, ut vix prehendi, & cum radice evelli, poſſint. Neque tamen proceritatem plantarum eſſe ut montium altitudinem, cum in montis *Pilati* locis multo altioribus, quam eſt vertex montis Rigi, tamen herbæ proceriores exiſtant, quod inde explicat, quia hic vento ab omnibus fere partibus expoſitæ, in *Pilati* monte ob colles paſſim eminentes tutiores ſint. Nivis uſum maximum animadvertit Editor *pag. 224 P. I*, quod conſtantius fluminibus ſuppetias ferat lente deliqueſcens, quam ſi æque magna aquæ copia pluviæ ſub forma decideret, fluminibus ſubito magnam aquæ vim & mox defecturam ingeſtura.

Sed de iis adhuc brevibus dicamus, in quibus ipſe Autor comparet *Sulzerus*. Ad montium ergo originem explicandam, ponit, terram initio fluidam, aut mollem, fuiſſe, quo in ſtatu, cum ſimul ſphærica fuerit, motu circa axem accepto Sphæroides latum evaſerit. Itaque, columnis maſſæ terræ non amplius æquilibrium ſuſtinentibus, aliæ conciderunt, aliæ elevatæ ſuper reliquas manſerunt. Hinc montes orti. Neque tamen omnes ſic ortos concipit, ſed alios ex diluvio forte univerſali, alios particularibus ex inundationibus. Hæc tamen latius deſcribere jam nolumus, quia non poſſunt omnia ſine figuris intelligi, & Autoris ratiocinia majori cum voluptate & uſu in exiguo opuſculo, ſed bonæ frugis pleniſſimo, quilibet harum rerum curioſus eſt lecturus.

Neque longi erimus in Itinere Helvetico recenſendo, quod idem breve ſit, & rectius egregia, quæ continet, ex ipſius lectione poſſint addiſci. Dolebunt Phyſicæ cultores, morbo

Digitized by Google

in hoc itinere occupatum Autorem plura non obſervare potuiſſe. Id tamen adhuc monemus, cum in Notis ad *Scheuchzerum* dubiam pronuntiaſſet *Sulzerus* montium barometri ope dimenſionem, hanc eum ſententiam mutaſſe, hypotheſeos Cel. *Bernoullii*, in Hydrodynamica propoſitæ, veriſimilitudine perſuaſum, & tabulam adjeciſſe, unde ex datis barometri altitudinibus montium altitudines colligi queant.

SYNOPSIS PLANTARUM, QUÆ IN SOLO Romano luxuriantur, ſtudio & labore LIBERATI SABBATI, de Mevania in Umbria, Chirurgi in urbe, Chymici, Botanici, breviori forma & facilitate deſcriptarum juxta methodum Tournefortianam. Liber primus. HIERONYMO CRISPI, Patriarchæ Alexandriæ, &c. dicata.

Ferrariæ, 1745, 4.

Plag. $8\frac{1}{2}$, c. Fig.

Sine luce, ſine ſtudio, & omnibus præſidiis deſtitutus, hunc laborem inornatus, quod in nuncupatoria ipſe fatetur Autor epiſtola, juvenis aggreſſus eſt, ut ex eo, quid de tali ſit exſpectandum opere, jamjam poſſit concludi. Eſt nimirum mera plantarum, quæ in agro creſcunt Romano, ſecundum literarum ſeriem diſpoſita recenſio. Scribit quidem Autor, *Tournefortianam* ſeſe ſecutum fuiſſe methodum, ex qua etiam florum partes & differentias delineatas dedit; nomina tamen ſæpe adhibet, quæ neque ab illo, neque ab omnibus aliis Botanicis, hac ratione uſurpantur, & de quibus eo magis dubitamus, typographi incuriæ eſſe adſcribenda, quod ſæpius repetita exſtent. Ex his exempli loco ſint *Abrotonum*, *Horminium*, *Lychen*, *Narciſſus Leucoium*, *Saphylodendron*, *Thalaſpi*, quæ pro Abrotano, Hormino, Lichene, Narciſſo leucoio, Staphylodendro, & Thlaſpi, ibidem leguntur. Præterea quoque aliorum Autorum

rum nomina, vel vulgaria, quibus a *Tournefortio* genuina fuere ſubſtituta, aſſumta fuiſſe reperimus. Laudanda interim voluntas naturali inſerviendi hiſtoriæ, ſiquidem & hoc edoceamur libro, quænam indigenæ ſint Romanis plantæ, majori forte in reliquis hujus libri Partibus cura exponendæ. Accedunt plantarum quarundam diverſa, Italis uſitata, nomina, Eupatorii præterea vulgaris & Coluteæ flore luteo icones, ſimul cum brevi harum plantarum hiſtoria, in qua tamen virtutes earum potiſſimum exponuntur.

LAURENTII HEISTERI SYSTEMA plantarum generale ex fructificatione; cui annectuntur Regulæ ejuſdem de nominibus plantarum, a Celeb. LINNÆI illis longe diverſæ.

Helmſtadii, 1748, 8 mai.

Plag. 3.

De ſcientia & medica & chirurgica dudum meritus *Laur. Heiſterus*, cum lectiones ſuas Academicas, in inclyta *Julia Carolina* per ſemeſtre hibernum anni 1748 habendas, publicaret, Schediaſma illud, cujus titulum modo indicavimus, loco Programmatis edidit. Exhibet illud Sciagraphiam quandam generalem & ſuccinctam Syſtematis illius, cujus Autor nobis jam A. 1730, cum, ſuſcepta Profeſſione botanica, indicem plantarum, quas eo anno in hortum Academiæ Juliæ intulerat, edidiſſet, his verbis promiſerat pag. 40: *Ordinem plantarum novum, & ab aliis omnibus diſtinctum, ſecundum quem ſtirpes hoc anno in horto medico noſtro, non ſine magno labore, diſpoſui, in ſtudioſorum rei herbariæ commodum typis quoque, ſimul ac ob alios labores licebit, excudi curabo;* quod vero aliis negotiis diſtractus huc uſque differre coactus fuit, & cujus uberiorem expoſitionem proxime cum publico pariter communi-

municaturum ſe pollicetur. Qualis vero ſit ea plantas diſponendi ratio, quæ ipſi maxime arriſit, & ſecundum quam non ſolum hortum Academicum Helmſtadienſem inſtruxit, ſed & per hos viginti fere annos integram doctrinam Botanicam Auditoribus ſuis explanavit, quomodo ea ab aliorum Syſtematibus differat, & quibus in rebus ceteris forte præſtet, Lectores noſtri Philobotani ex ſequentibus intelligere poterunt.

Dividit Autor vegetabilia omnia primum in *duas Claſſes* ſummas, vel in duos quaſi magnos exercitus, Arbores ſcilicet & Herbas, quæ ultimæ frutices & arbuſculas minores quoque comprehendunt, & *majorem* plantarum exercitum conſtituunt.

Hic iterum tres magnas partes, & quaſi *Legiones*, continet, *Monocotyledones* ſcilicet, *Polycotyledones*, & *Cryptocarpas*. Harum quælibet rurſus diſtribuitur in claſſes, claſſes in ordines, ordines in genera, genera in ſpecies, & hæ in varietates.

I. *Monocotyledones* ſunt vel *bulboſæ*, quæ flores ut plurimum dant valde ſpecioſos, veſtibus quaſi ſplendidioribus inſtructos, atque hinc ab Autore cum cohorte prætoria magni cujusdam Regis comparantur; vel *graminea*, quæ flores tantum *imperfectos*, & *ſtamineos*, minimeque ſplendidos, proferunt, & omnes gymnoſpermæ ſunt, cum contra bulboſæ omnes *vaſculiferæ* ſint. A bulboſis, aliter, quam omnes alii Syſtematici fecerunt, graves ob rationes, quas proponit, Syſtema ſuum incipit.

Bulboſæ igitur ipſi *pag. 5* dividuntur a) in eas, quæ fructus, ſive capſulas, proferunt *ſiccas*, ſuntque floribus 1) *monopetalis*, vel regularibus, vel irregularibus, 2) *tripetalis*, 3) *hexapetalis*, vel nudis, vel involucro membranaceo incluſis, 4) *enneapetaloidibus*, 5) *perſonatis*, & b) in eas, quæ *fructus humidos*, & quidem 1) vel minores, ſeu *baccas*, vel 2) majores, ſeu *pomiformes*, ferunt.

II *Polycotyledones* pro diverſitate florum, qui vel *bracteali*, vel *petaloidei*, vel *apetali*, ſunt *pag. 6*, in 2 claſſes

claſſes principes diſtinguuntur; quarum prior rurſus 2 cohortes includit, ſcilicet *gymnoſpermarum* & *angioſpermarum*.

Gymnoſpermæ habent vel *flores ſimplices*, vel *compoſitos*. α) *Gymnoſpermæ floribus ſimplicibus* ſub ſe continent a) *gymnomonoſpermas* floribus 1) monopetalis, 2) tetrapetalis, 3) pentapetalis; b) *gymnodiſpermas* floribus vel monopetalis, quæ *ſtellatæ*, vel pentapetalis, quæ *umbelliferæ* audiunt, c) *gymnotriſpermas*; d) *gymnotetraſpermas pag.* 7 floribus monopetalis, 1) *quinquifidis*, quas *aſperifolias*, 2) *labiatis*, quas *verticillatas* & *ringentes* etiam appellare ſolent, ex unilabiatis et bilabiatis conſtantes; e) *gymnotetraſpermas* floribus tetrapetalis; f) *gymnopolyſpermas* floribus tripetalis, tetrapetalis, pentapetalis, & polypetalis. quæ omnibus exemplis illuſtrat.

Gymnoſpermæ floribus compoſitis dividuntur in eas, quæ habent flores a) *planipetalos*, ſeu *lingulatos*, b) *tubuloſos diſcoideos radiatos*, c) *tubuloſos diſcoideos non radiatos*, & quodlibet harum trium claſſium poſſidet ſemina vel papposa, vel nuda; d) *capitatos* 1) capitulis non ſquamoſis, vel 2) ſquamoſis, quæ rurſus exemplis exponit.

Angioſpermæ, ſeu *Vaſculiferæ*, ab Auctore diſtinguuntur *pag.* 8 in a) *unicapſulares*, 1) uniloculares, 2) biloculares, 3) triloculares & tricoccas, 4) quadriloculares, 5) quinqueloculares, 6) multiloculares, b) *multicapſulares*, c) *pag.* 9 *ſiliculoſas* & *ſiliquoſas*, novem ordines ſub ſe continentes, d) *leguminoſas* floribus 1) papilionaceis, foliis a) ſingularibus, b) binis, c) ternis, d) quaternis, e) quinis, f) digitatis, g) pinnatis caulibus & ſiliquis ſimplicibus, ſcandentibus, vel erectis, h) pinnatis ſiliquis bilocularibus, 2) monopetalis ſtaminoſis, 3) tripetalis, 4) tetrapetalis, 5) pentapetalis, 6) apetalis; e) *pag.* 10 *bacciferas*; f) *pomiferas* & g) *cucumeraceas*. Nunc ſequitur

Altera claſſis principalis polycotyledonum, quæ ſub nomine generali *Apetalarum*, ſeu *Staminearum*, notæ ſunt, *pag.* 11. In nonnullis earum flores & fructus conjungun-

junguntur, & hæ ſunt iterum vel *gymnoſpermæ*, vel *angioſpermæ*, 1) fructu ſicco, 2) humido. In aliis *flores a fructibus disjunguntur* 1) in eadem planta, 2) in diverſis plantis. Quibus ſubjunguntur *pag. 12 gramineæ*, rurſus in ſuos ordines, ſectiones, & genera, ſubdiviſæ.

III *Cryptocarpæ pag. 13* dividuntur in V claſſes: nimirum in *filicinas*, *muſcoſas*, *algaceas*, *fungoſas*, & *lithophytas*. Prima claſſis conſtat ex *dorſiferis* & *cauliferis*. Reliquæ quatuor in hortis commode coli nequeunt, genera tamen præcipua eorum *pag. 13* & *14* recenſentur.

Sequitur nunc *pag. 15* pars plantarum altera, ſeu exercitus *Arborum*. Hic ex duabus tantum conſtat Legionibus, quarum prior *monocotyledones*, ſeu *palmatas*, in Indiis frequentiſſimas, poſterior vero *polycotyledones*, continet, & quidem a) *floribus perfectis*, ſeu petaloideis, quæ ratione fructus vel *bacciferæ*, floribus a) *monopetalis* quadrifidis, quinquifidis, ſexfidis, b tetrapetalis, c) *pentapetalis*, *pag. 16*, & quidem nucleis unico, vel pluribus, d) *hexapetalis*, vel *pomiferæ*, vel *vaſculiferæ*, ſunt; b) *floribus incompletis*, *apetalis*, ſeu ſtamineis, a) floribus & fructibus utplurimum conjunctis; β) floribus & fructibus in eadem planta ſejunctis, fructu 1) ſicco, 2) ſucculento, γ) floribus & fructibus in diverſis plantis ſejunctis, fructibus 1) ſiccis, 2) baccatis, c) *amentaceis*, *pag. 17*, quæ juliferæ appellantur, & plures fructus in diverſis ejusdem arboris locis producunt, & quidem 1) vel tales, qui in vel duro, vel coriaceo, cortice latent, 2) vel tales, qui *coniformes* & *ſquamoſi* ſunt, cujusmodi *coniferæ* dici ſolent; 3) vel tales, quarum fructus ſubrotundi & ſicci ſunt, ac ſemina cum intermixta lanugine ſuſtentant, prægreſsis floribus glomeratis; 4) vel tales, qui *ovati*, vel *coniformes* parvi, ſiccique, ſunt, d) floribus & ſeminibus intra fructus magnos ſucculentos occultatis, ut *Ficus*, unica forte arbor & planta, in qua fructus præcedunt flores.

Omnes hæ diverſæ claſſes & ordines Arborum & Plantarum, additis nominibus plerumque generum, ad ſingulos eorum

eorum pertinentium, illuſtrantur. In Notis ſubjunctis *pag. 18* nonnullæ rationes indicantur, quibus peculiares diviſiones & denominationes plantarum, ab Autore in novo hoc Syſtemate adhibitæ, innituntur. Ita Celeberr. Viro inter alia placuit in exercitu majori, ſive herbis, non *imperfectiores*, ut ſunt muſci, fungi, ſtamineæ, &c. ſed *perfectiores plantas*, & inter has *bulboſas*, ſicut etiam in Horto Helmſtadienſi plantæ ſunt, ad frontem totius tractationis collocare, 1) quia hæ flores omnium ſpecioſiſſimos proferunt, adeoque diſcentes his initio eo efficacius excitant & alliciunt; 2) quia pleræque plantarum primæ hujus legionis ſtatim ſub primum veris initium, imo ex parte jam circa finem hyemis, florere incipiunt, atque ſic tirones ſecundum temporis anni ordinem, prout natura flores earum producit, eas commodius diſcere poſſunt; 3) quia ſtudioſis Botanices, linguam Latinam callentibus, nomina plerarumque ejusmodi plantarum & florum, ut *crocus, hyacinthus, narciſſus, tulipa, corona imperialis, iris*, &c. a prima juventute jam nota ſunt, illique ſic non ſtatim ſub initium inauditis, aut difficilibus, nonnullarum herbarum denominationibus a doctrina Botanica tractanda abalienantur.

Præcipue vero Autor in *Nota 4* cauſas indicat, cur in locum abſonorum nonnullorum nominum, & ſpeciatim nominis *Ornithogali*, quod *lac avis* denotat, & in rerum natura non datur, nomen *Celſiæ*, in memoriam Medici illius antiqui Romani, utpote cujus nomini nulla adhuc planta conſecrata fuit, cum tamen fere omnibus ceteris antiquis Medicis iſtud honoris contigerit. *Celſia* tamen *Heiſteri* a *Celſia Linnæi* (quam ob rationes allatas rejicit,) plurimum diverſa eſt. Reliqua fundamenta hic notatarum mutationum & declinationum a Syſtematibus botanicis hucusque cognitis in *Semiologia* ſua *plantarum*, & *Flora Helmſtadienſi*, quæ juſſu Sereniſſimi Principis *Caroli*, Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis, elaboratur, uberius indicabit.

Nonnulla tamen eorum jam in *Regulis de apta plan-*

Digitized by Google

tarum denominatione comprehenduntur, quæ alteram hujus opuſculi partem conſtituunt, & quas Autor propterea hic dare voluit, quia in Aphoriſmis *Linnæi* botanicis multa de hac doctrina traduntur, quæ cum Medicina, cujus Botanica pars miniſtra eſt, abſque confuſione & artis ſalutaris detrimento conſiſtere non poſſe exiſtimat; prout & *Linnæus* ipſe in plantis denominandis contra proprias ſuas regulas ubique fere, ut alibi & hic rurſus Noſter demonſtravit, egit, adeoque de earum valore ipſemet quamplurimum detraxit. Numerus regularum *Heiſterianarum* fere ad quinquaginta excrevit, quæ deinde 24 annotationibus partim illuſtrantur, partim confirmantur, & ſimul Clariſſimus *Linnæus* ſæpius modeſte refellitur. Omnes autem hæ regulæ, tam univerſales, quam ſpeciales, in natura rei herbariæ probe fundatæ ſunt, Syſtemaque plantarum, eis ſuperſtructum, bono ordine & perſpicuitate ſua ſe commendat, ut tirones inde emolumentum capere poſſint.

Antequam vero recenſionem hujus ingenii & doctrinæ *Heiſterianæ* monumenti finiamus, unum alterumve, unde de præſtantia hujus ſyſtematis judicari poſſit, momentum cum Lectoribus noſtris communicabimus.

1) Autor in hoc libello *Syſtema plantarum dare ſtuduit tironibus longe facilius, & certius, ex flore & fructu*, quam *Linnæus* dedit *ex ſtaminibus & piſtillis*, in quamplurimis floribus admodum exiguis, ut vix, vel ſaltem non ſine ſummo labore, conſpici recte queant; imo & ob facilem eorum lapſum admodum inconſtantibus ac incertis erroribus facile occaſionem præbeant; cum *flores & fructus melius, facilius, ac certius, obſervari poſſint;* ſtaminibusque (ſicut & foliis) non niſi in eis caſibus utendum eſſe exiſtimat, ubi genus ſine his non ſatis apte determinari, vel ab affinibus diſtingui, poſſit, ſicut hoc jam dudum uberius in ſua Diſſertatione *de Syſtemate Linnæi* exemplo alſines, auricularum, ſenecionis, aliorumque florum compoſitorum minorum, oſtendit.

2) Retinentur & *conſervantur* in hoc Syſtemate tam *multæ claſſes naturales, quam in ullo forte alio:* id quod præſtantiſſim

tiſſimi varii Botanici *pro nota boni*, vel *optimi*, *Syſtematis declararunt*. Manet enim ex monocotyledonibus, ſive univalvibus, *claſſis bulboſarum* & *graminearum*, ex dycotyledonibus, ſive bivalvibus, gymnoſpermis *claſſis ſtellatarum, umbelliferarum*, *aſperifoliarum*, *labiatarum*, *ranunculacearum*, *planipetalarum*, ſeu *lingulatarum*, *tubuloſarum*, *radiatarum*, *capitatarum*. Ex *vaſculiferis* claſſis *unicapſularium*, trilocularium, ac ſpeciatim campaniformium, & tricoccarum; poſtea & ex *multicapſularium*, ad quam & ordo *malvacearum* ſpeciatim pertinet. Deinceps ſequitur claſſis *ſiliculoſarum*, & *ſiliquoſarum*, flore cruciformi donatarum, *leguminoſarum*, & in his ſpeciatim *papilionacearum*; denique *baccifera*, *pomifera*, *cucumeracea*, & *cucurbitifera*, itemque *apetala*, ſive *ſtaminea*, & tandem *cryptocarpa*, quo pertinent *filicina*, *muſcoſa*, *fungoſa*, & *ſubmarina*, ſeu *algacea*. Nonnullas ex modo recenſitis claſſibus non omnino forte naturales appellari poſſe, Autor concedit, ſed dubitat, an hæ & gymnomonoſpermæ ulla methodo in claſſem tam naturalem, ut bulboſæ, gramineæ, umbelliferæ, labiatæ, ſiliquoſæ, & leguminoſæ, unquam redigi poſſint.

Ita & in *Arboribus* claſſis primo occurrit monocotyledonum, quam *palmata* plantæ conſtituunt. In polycotyledonibus *arbores baccifera* & *pomifera*, tam umbilicatæ, quam non umbilicatæ, ac *papilionacea*, ſive *leguminoſa*, poſtea *apetala*, ſive *ſtaminea*, *amentacea*, ſive *julifera* & *conifera*, quæ omnes ipſi ſatis naturales videntur, quarum claſſium antea variæ ob ſtaminum diverſitatem a Cl. *Linnæo*, aliisque quibusdam Methodicis, mire diſcerpuntur, & a ſe invicem quam longiſſime removentur; ſed ſecundum hoc Autoris Syſtema junctæ conſervantur.

3) Hoc Syſtema etiam illud habet commodi præ *Linnæno*, quod Autor *nullis fere novis vocabulis*, ſive *terminis*, ut vocant, *technicis*, utatur, niſi qui præſtantiſſimis Methodicis jam diu uſitati fuerunt, quales in illo ſunt quamplurimi, iique præſertim Græci, compoſiti, ſatis ſæpe diffuſi & tironibus difficillimi, ex quibus tantum

Digitized by Google

pauci exempli loco ab ipſo nominantur: ut *monandriæ, diandriæ, triandriæ, tetrandriæ, pentandriæ, dodecandriæ, icoſandriæ, polyandriæ, monogyniæ, digyniæ, trigyniæ, monogamiæ, polygamiæ, monadelphiæ, diadelphiæ, triadelphiæ, polyadelphiæ, didynamiæ, tetradynamiæ, ſyngeneſiæ*, & plures alii, qui tironibus, imo & jam veteranis Botanicis, ut dicit, magnum in diſcendo. quid ſibi velint, laborem, dum Botanica per ſe ſatis difficilis eſt ſcientia, concitant; ſed in hoc ſuo utiliſſima fere tantum, & quæ principibus Botanicorum Methodicorum, cumprimis *Cæſalpino, Jungio, Moriſono, Rajo, Hermanno, Rivino, Tourneſortio, Volcamero, Knauthio, Ruppio, Pontederæ, Dillenio*, jam adhibita ſunt, ſervat.

4) Porro operam dedit, ut *in plantis antiquis*, & cumprimis medicis, *nomina* etiam *antiqua* atque *uſitatiſſima*, ob confuſionem alias ingentem & periculi plenam, inde metuendam, atque in Medicinam redundantem, quorum *Linnæus* partem longe maximam ob leves, ut exiſtimat, cauſas mutavit, conſervaret, aut reſtitueret, præcipue cum ab hac noxia mutatione ſemper abhorruerint *Rajus, Tourneſortius, Rivinus, Pontedera*, aliique plurimi, & *Rajus Moriſonum* propterea caſtigaverit, quia althæam in malvam mutaverit, & nomen abolere voluerit. Quo ipſo etiam tirones Medicinæ a magno labore, nomina ejus modi diſcendi & retinendi, liberantur, cum duo diverſiſſima alias unius plantæ medicæ nomina, officinalia ſcilicet & *Linnæana* nova, eaque ſæpe prolixiſſima, ipſis eſſent diſcenda; dum pleriſque vel unicum illius plantæ officinalis tantum addiſcere, dum tam multæ ſunt, ſatis difficile videtur. Hinc regulas condidit, quibus antiqua genera conſervari, & hæ confuſiones apte evitari, queant.

5) Sed, ſicut nomina medica, aliaque bona, ſive quæ nihil abſoni habent, mutare Autor noſter noluit, ita tamen patrocinium dare noluit abſonis, vel omnino abſurdis, ut: *ornithogalo, lycopſi, galeopſi, buphthalmo*, & *cumprimis etiam illis Linnæi, quæ non aliter differunt, quam quod*

Digitized by Google

quod alterum ſit Latinum, alterum Græcum, idem prorſus ſi gnificans, ut homo & anthropos, canis & cynos, apium & ſelinum, avena & bromos, braſſica & crambe, laurus & daphne, &c. quorum tamen *Linnæus* magnum numerum condiderit, & ex eo Autor noſter *pag. 41* in Syſtemate hoc longum catalogum propoſuit.

6) Dum Autor plantas cum *Rajo* in *monocotyledones* & *dicotyledones*, aut *polycotyledones*, tanquam in ſummas claſſes, ſive legiones, diviſit, tiro, poſtquam ſemen, terræ commiſſum, primis foliolis ex ipſa prodire conſpicit, mox, ad quam ex his duabus ſummis claſſibus pertineat, agnoſcit, quod alias eos, qui ad hæc non attendunt, diu ſæpe latet, atque ſic plantam facile ad incongruum locum referunt. Quia vero hodie ob plantarum peregrinarum copiam haud facile quis magnos in re herbaria progreſſus faciet, *niſi in loco ſit, ubi bene inſtructus hortus eſt*, diſtinctionem hanc & docentibus & diſcentibus magnæ eſſe utilitatis exiſtimat.

7) Deinde etiam *naturalem* quendam *ordinem in plantarum claſſibus, ordinibus, & generibus*, adhibere ſtuduit primo in eo, quod a *monocotyledonibus* ad *dicotyledones*, atque in illis, ut *pag. 5* & *6* videre licet, ab *unilocularibus* ad *triloculares*, & in utraque claſſe a *monopetalis* ad *tripetalas*, & ab his ad *hexapetalas* & enneapetaloides, progreditur. Ita in *dicotyledonibus* a gymnoſpermis harum ad *angioſpermas*; in illis incipiendo ſecundum *numerum ſeminum plantarum*, ut, quæ unum poſt ſingulum florem ſemen proferunt, *gymnomonoſpermæ*, quæ duo, *gymnodiſpermæ*, appellantur, progrediendo inde ad *eas, quæ tria, quatuor*, aut *multa, ſemina nuda* proferunt. In prima harum gymnomonoſpermarum claſſe *pag. 6* primo loco poſuit *monopetalas*, ut valerianas, &c. poſtea *tetrapetalas*, & denique *pentapetalas*, ſecundum conſuetum & naturalem numerandi ordinem, omniaque exemplis ibidem probat. Sic in *vaſculiferis pag. 8* præmiſit ceteris unicapſulares, quas rurſus ſubdiviſit in *uniloculares, biloculares, triloculares*, &c.

 progre-

Digitized by Google

progrediendo poſtea ad *bicapſulares*, *tricapſulares*, *quadricapſulares*, *quinquecapſulares*, & tandem ad *multicapſulares*. In *unicapſularibus* hunc ordinem rurſus ſervavit, ut eas, quæ unam ſimplicem capſulam, uno tantum loculamento conſtantem, poſſident, primas poſuerit, poſtea eas, quarum *capſulæ duo*, *tria*, *quatuor*, vel *quinque*, aut plura, habent loculamenta, ſubjunxerit, quæ exemplis clara facit.

8) Sic in claſſe *bacciferarum pag. 10* præmiſit ceteris eas, quæ flore ſunt *monopetalo*, & inde progreſſus eſt ad eas, quæ flores habent ex pluribus petalis conſtantes. In *bacciferis monopetalis* ceteris præmiſit eas, quæ *flores habent paucioribus laciniis diviſos*, utpote primo *quatuor*, ut *laureola*, *liguſtrum*; deinde progreſſus ad eas, quæ *quinque*, ut *jaſminum*, & poſtea, quæ *plures lacinias* obtinent. In omnibus his rurſus præpoſuit eas, quæ baccas proferunt *unico acino* inſtructas, quas *monopyrenas* Botanici vocarunt, pergendo deinceps ad *dipyrenas*, *tripyrenas*, *tetrapyrenas*, & denique ad *polypyrenas*, ita, ut, quid ad bonum ordinem plus requiratur, vix videri queat; quas *Linnæus*, ſtamina maxime reſpiciens, valde confundit, & nimis remotas a ſe invicem collocat.

9) Evitare præterea ſtuduit in hoc ſuo Syſtemate *confuſionem illam*, *eumque errorem*, *quem quamplurimi Botanici nuper adhuc errarunt inter vaſcula*, ſive *capſulas*, *multiloculares* & *multicapſulares*, ſic ut *hypericum* tricapſularem vocarent, quod tamen tantum eſt planta *unicapſularis*, ſed *trilocularis*, ſive cujus capſula tantum poſt ſingulum florem eſt unica, attamen in *tria locumenta* diviſa, & ſic in quamplurimis plantis aliis.

10) Denique in hoc Syſtemate nullæ dantur *plantæ anomalæ*, *heteroclitæ*, aut tales, quæ ad nullam certam claſſem, aut ordinem, referri poſſint, quales *Moriſonus*, *Rajus*, *Tournefortius*, &c. plures recenſent; verum Syſtema hoc ita digeſtum eſt, ut omnes horum plantæ anomalæ ad certam claſſem & ordinem ab Autore relatæ ſint, aliæque, ſi modo

do

Digitized by Google

do flos, aut fructus, earum perſpectus, aut bene deſcriptus, eſt, in certum locum referri queant.

11) *Regulas* tandem dedit pro fundamento præcipuo, ſive primario, *Botanices*, cum *mente præcipuorum Botanicorum convenientes*, quod ſcilicet *ex florum & fructuum convenientia genera plantarum ſint conſtituenda*, &c. attamen certis cum *limitationibus* & exceptionibus, ut nomina antiqua & uſitatiſſima plantarum, *præſertim medicarum*, & ceteroquin valde uſualium, conſerventur.

12) De *regulis circa nomina plantarum optima*, a *pag. 25* ad finem uſque ab Autore propoſitis, nihil dicemus, ſed ad lectionem earum ipſam Lectores noſtros ablegamus; ſolum hoc monentes, quod ſecundum has *nomina bona antiqua plantarum omnia conſervari* queant, ad confuſionem illam, quam *Linnæus* hac in re introducere voluit, præcavendam; e contrario vero, mala nomina (quorum *Linnæus* multa retinuit, vel nova condidit,) quomodo evitanda ſint, docet. Quæ vero in poſterum omnia prolixius & plenius expoſiturum ſe aliis in ſcriptis, brevi, ſi Deus ipſi vitam & vites integras conceſſerit, edendis, promittit.

LETTERE SCIENTIFICHE &c.

hoc eſt,

EPISTOLÆ SCIENTIFICÆ DE VARIIS jucundis Phyſices argumentis, *Autore* CAROLO TAGLINO, *Philoſ. Prof. Publ. Ord. in Academia Piſana, Soc. Reg. Lond. Acad. Reg. Scient. Pariſ. & Soc. Florent. adſcripto.*

Florentiæ, e typographia ſub emblemate Apollinis in Palatio Imperiali, 1747, 4.

Alph. 1 plag. 16.

Epiſtola prima in modum inquirit, *quomodo fides tam varios, tamque jucundos, ſonos poſſint producere*, inſcripta Pag. 1.

ſcripta Marchioni Subdecano, *Gabr. Riccardo.* Sonum hic ſigillatim ſub triplici conditione conſiderat; vel quatenus pendet a corpore ſonoro, vel ab aere, vel ab anima, eo ſenſu prædita, ut ex varietate ſonorum delectationem haurire queat.

Pag. 37. *Secunda* examinat, *an allium, ad radicem roſæ plantarum, majorem floribus fragrantiam conciliet*, ad Marchionem Senator. Equitem, *Vincent. Riccardum.* Quod primo ad factum ipſum attinet, varia recenſet Autor experimenta, ubi in aliis nullum diſcrimen inter roſas, allio, ad radicem adfoſſo, junctas, & communes, advertere licuit; in aliis vero roſæ, allio nuptæ, reliquis fragrantia præſtare viſæ ſunt. De explicatione dein phyſica phænomeni ſollicitus, copioſe diſſerit de nutritione plantarum, tam per aquam, ceu vehiculum omnium, quam per partes alias naturæ. Rem ipſam fieri poſſe concipit ſic: Plantas duas, prope juxta ſe invicem poſitas, ita uniri poſſe, ut vaſorum oſcula ſecum conjungantur, ſuccosque mutuo ſecum communicent; quod & obſervationibus confirmatur. Jam allium, roſæ adfoſſum, multos ad ſe trahere, inſtar omnium plantarum, ſuccos e terra & aere, qui equidem, ſi in ipſum ejus corpus penetrent, naturam ejus fœtidam ſint nacturi; ſi vero hoc modo a roſa vicina imbibantur, gratam ibi adipiſcantur naturam, & ad augendum odorem ejus naturalem multum conferant. Cumque jam in allio ſint aliquantum purgati, & ſubtiliores redditi; dein in roſa eo facilius, accedente nova fermentatione, ejus nutritioni, ideoque & fragrantiæ, augendæ fiant apti. Quin & idem a partibus allii ſubtiliſſimis, in aerem exhalatis, & a roſa attractis, poſſe contingere. Objectioni quoque obviam itur, qui fieri poſſit, ut allii fœtidæ particulæ odorem roſæ fragrantiſſimum augeant. Obſervationibus nempe botanicis & chemicis ſatis conſtare, conjunctis duabus materiis, diverſimode odoratis, odorem prorſus novum oriri poſſe; adeo, ut, permixtis ſecum invicem ſuccis allii & roſæ, reſultare inde queat ſuccus, ipſe ſuavi odore præditus,

tus, & nutritioni roſæ probe inſerviens. Tandem varios alios modos, certis plantis odorem aliasve virtutes conciliandi, ab Autoribus paſſim allatos, recenſet, &, quid de eorum veritate ſtatuendum ſit, oſtendit. Ceterum in tota hac Epiſtola hinc inde occurrunt variæ notatu dignæ obſervationes botanicæ.

Tertia circa ***gratum quendam & harmonicum Fringillæ marinæ cantum*** verſatur, ad Marchion. Priorem, *Bern. Riccardum*, ſcripta; ubi de mechaniſmo cantus & vocis in genere diſſerit, & de variatione tonorum in animalibus & homine, ut & de cantu avium artificiali, varias obſervationes affert. Pag. 95.

Quarta de *origine & legibus gravitatis corporum, verſus centrum telluris cadentium, ſecundum hypotheſes veterum & recentiorum*, inſcribitur & ipſa *Gabr. Riccardo*. Principio *Galilæi* ſententiam de gravitate ſemper conſtante, *Torricellii*, quod ea ſit diſtantiis, a centro terræ reciproce proportionalis, *Viviani & Borelli*, quod ſit directe, ut diſtantiæ a centro, recenſet, &, quæ in duarum poſteriorum probatione deſideret, oſtendit. Porro de explicatione cauſæ gravitatis, & hac occaſione de attractione in genere, de magnetiſmo, de electricitate, ejusque phænomenis, pluribus diſſerit; &, quantis difficultatibus prematur *Gaſſendi* hypotheſis, de gravitate ex attractione magnetis ingentis intra terram oriunda, oſtendit. *Carteſianam* de origine gravitatis, e motu vorticis circa terram gyrantis, & *Hugenianam* ejusdem emendationem, explicat, & dubia contra eam movet. Data hac occaſione, de gravitate ſolidorum, intra fluida cadentium, & deducta hinc explicatione barometri *Leibnitiana*, aliorumque experimentis circa eandem rem inſtitutis, verba facit. Dein, quomodo variabilis corporum in ſuperficie telluris gravitas ex obſervatione pendulorum, & inde ſphæroidica terræ figura, detectæ & determinatæ ſint, exponit. Denique de vi ex acceleratione gravium, deque motu in fluido reſiſtente, quædam commentatur. De reliquo inficias iri nequit, multa hic occurrere, ut fieri ſolet in Epiſtolis, jam notiſſima. 125.

Quinta in cauſam, *quomdo quædam corpora per longum temporis ſpatium odorem continuo diffundere poſſint absque ullo ſenſibili ponderis decremento*, inquirit, ad *Caſp. Ceratum* Conventual. S. Stephani, & Inſpectorem generalem Academiæ Piſanæ. Poſt præmiſſa de odoribus & ſenſu olfactus generalia, varios notat modos, quibus corpora odores exſerunt: nimirum quod varios producant odores, ſi per fermentationem natura eorum mutetur, vel ſi cum aliis corporibus miſceantur; quod in certa diſtantia odorem ſpirent gratum, in minori fœtidum vel dolorificum; quod pro vario gradu caloris, vel frigoris, varium exhalent odorem; aliasque circumſtantias, odorem alterantes. Quod ad præſentem ſpectat quæſtionem, ita fieri poſſe credit, ut corpus odorem exhalet continuo absque ulla ponderis imminutione vel minima, ſi particulas minimas ex aere ad ſe attrahant, & in meatibus ſuis elaboratas, iterum odoratas effundant. Aliam adhuc explicationem tradit, ex ipſa particularum odoriferarum magnitudine deſumtam, quæ ſi cum iis, quæ ex obſervationibus microſcopicis, aliisque argumentis, de incredibili materiæ diviſibilitate conſtant, conferatur, fieri omnino poteſt, ut continuo aliquid perdat de ſubſtantia ſua corpus odoratum, nec tamen longo ſatis tempore id in ſenſus incurrat.

Pag. 237. *Sexta* & ultima rationem reddere conatur, *quomodo quædam corpora antiquis temporibus fuerint plerisque ſatis grata, tum noſtris diebus ingrata ſint multis, præcipue mulieribus delicatulis*, ad Senatorem *Petr. Franc. d'Ricci*, Auditorem Præſidem Ordinis S. *Stephani*. Res odoratas, præſertim unguenta, apud veteres, Romanos inprimis, maximopere in uſu fuiſſe, multis teſtimoniis declarat. Experientia vero teſte, eæ hodie plerisque fœminis, uti diximus, nauſeæ eſſe cœperunt. Hujus rei cauſam nec in mutata organorum olfactus in hominibus noſtri ævi conditione, nec in alterata ipſorum odoramentorum natura, quærendam eſſe, ſatis liquet. Nec quoque eam in nimis delicata, qua mulieres hodiernæ præ antiquis vitam degunt, conſuetudine poſitam eſſe, judicat. Eam exinde

Digitized by Google

inde potius repetit, quod mulieres, ad ſedandas paſſiones hyſtericas rebus fœtidis uti aſſuetæ, ex odoratarum perceptione vel dolorem quendam contra ſentiant, vel ſentire ſaltem timeant, adeoque nauſeam earum concipiant, quæ, ſemel oborta dein vi imaginationis, alia vice iterum recurrat. Simul quoque conſuetudinis efficaciam hac in re maximam agnoſcit.

Non dubitamus, harum Epiſtolarum, quæ ſatis eleganter ſcriptæ ſunt, & utilia multa continent, lectionem jucundiſſimam fore Lectoribus, etiam iis, qui non ſunt vulgaribus aſſueti, ſed ſublimiora inprimis amant, & in cauſas rerum penitius inquirendi ſtudio ducuntur.

SOLIS DEFECTUS, DIE XXIV QUINTILIS Anno MDCCXLVIII Veronæ e ſpecula Maffejana obſervatus a JO. PAULO GULIENTIO & JO. FRANCISCO SEGUIERIO, Aſtronomiæ cultoribus.

Ad inſignem Solis defectum diligenter inſpiciendum, Lunæque appulſum receſſumque recte ſtatuendos, inſtrumentis quatuor uſi ſumus: nempe horologio oſcillatorio, teleſcopiis duobus, altero dioptrico, catadioptrico altero, & Helioſcopio. Horologii motum ad medii temporis menſuram *Seguierius* exegerat per tranſitum ſtellæ ζ, quæ in Serpentario, & per appulſum centri Solis ad circulum Meridianum. Helioſcopium *Gulientius* paraverat, in cujus fundo Solis imago, cujus diameter unciarum duarum cum ſemiſſe, circellis XII ad digitos dimetiendos diſtincta, depingebatur. Hæc autem ejus erat magnitudinis, ut etiam dimidii digiti, ſi libuiſſet, ſatis commode notari poſſent. His ita paratis, *Seguierius* catadioptrico teleſcopio, *Gulientius* dioptrico, ut, ſi alter ceſſaſſet, alter ejus vicem ſuppleret, ſequentes Solis deficientis phaſes ſudiſſimo cœlo proſpexerunt; adſtantibus plurimis clariſſimis viris, qui φαινόμενον videndi cauſa in ædes *Maffejanas* convenerant:

			Tempore vero.			
Initium			22.h	8'	35"	diei 24.
Digiti obſcurati.	1.			17.	8.	
	2.			26.	8.	
	3.			35.	20.	
	4.			44.	35.	
	5.			53.	53.	
	6.		23.	3.	13.	
	7.			13.	37.	
	8.			24.	59.	
	9.			40.	47.	
Maxima obſcuratio	9.	5'	circiter.	45.	22.	
	9.			49.	57.	
	8.		0	5.	45.	diei 25.
	7.			17.	7.	
	6.			27.	31.	
	5.			36.	51.	
	4.			46.	9.	
	3.			55.	24.	
	2.		1.	4.	36.	
	1.			13.	36.	
Finis Eclipſis				22.	9.	

LUNÆ DEFECTUS, EX EADEM SPECULA OBſervatus die VIII Sextilis An. MDCCXLVIII.

Initium verum per nubes ſtatuere non licuit; accidit tamen inter ſcrupulos 56' & 57' horæ X temp. ver. poſt Meridiem.

Umbra tangit Grimaldum	11.h	13'	58"
Grimaldus totus conteſtus.		22.	7.
Umbra attingit mare Nectaris.		43.	8.
Grimaldus emerſus.		58.	44.
Mare Humorum extra umbram	12	32.	18.
Mare Nectaris extra umbram.		44.	57.
Tycho detegitur.		47.	45.
Finis Eclipſis.	13.	11.	24.

Ceteras phaſes per nubes obſervare non licuit.

DE-

DESCRIPTIO FIGURARUM PRÆCIPUARUM, a natura in pretioſa Tabula marmorea, coloris rubri, longitudinis ulnæ 1, digitor. 3, menſuræ Lipſienſis, latitudinis ulnæ 1, depictarum.

Cum in manus noſtras inciderit relatio, Gallica & Germanica lingua, utraque eadem in pagina conjuncta, edita menſe Aprilis hujus anni a tabulæ poſſeſſore, Doctore *Godofredo Rudolpho Pommero*, alias *Bugenhagen* dicto, JCto Lipſienſi haud vulgaris notæ, hoc naturæ artificium (neque enim ars humana ullam ejus partem ſibi vindicare poteſt,) ut noſtra quoque opera pluribus innoteſcat, efficiendum cenſemus. Curavit autem Poſſeſſor Conſultiſſimus, ut omnes figuræ antea a lapidariæ rei peritis, exercitatisque pictoribus, quam optime examinarentur, quo eo diſtinctius accuratiusque ſimilitudo imaginum cum archetypis, colorum elegans quoque varietas, annotarentur, & in lucem producerentur. Centum ſunt figuræ, quas enumerat, ex quibus aliquas ſolummodo, pretii non exigui, recenſebimus. Spectatur vero *n.* 1 magnum & ſubalbidum caput Delphini marini, oculo ſubfuſco, ore recurvo, pinnis & ſquamis rubeis & albis; *n.* 5 Fuſi oblongi teſſellati, partim rubri, partim albi, in ſcuto oblongo, prout apparent in inſignibus Bavaricis & Palatinis, quanquam colore cœruleo & albo teſſellati; *n.* 7 Cornucopiæ, ex quo prominent fructus varii generis & colorum variorum, præſertim malum grande badii coloris; *n.* 8 Corbis quadrata ex viminibus albis quaſi contexta, floribus variis repleta, inter quos roſa mileſia eminet; *n.* 12 Perdix, in dorſo jacens, maculis albis rubriſque diſtincta; *n.* 19 Bombyx albus, ad vivum quaſi formatus, eo in ſtatu, quo metaxæ ſuæ texendæ ſe præparat; *n.* 23 Epiſcopus, inſula rubeſcente ornatus, facie ſubnigra, ante

Baptiſterium ovale crocei coloris poſitus, adſtante figura alia hominis, quaſi Diaconi, cujus caput mitella flavida tectum eſt, corpus vero integumento flavido, veluti ſtola, indutum; *n. 25* Camelus albus, in pedes proſtratus, gibboſus; *n. 40* Siren marina, qualem itineraria deſcribunt, caudata, ſed brachiis truncata, colore albo & rubeſcente; denique *n. 74* habetur caverna, arcu albo, ſuperius in pyramidem abeunte tecta. Conſpicitur in ea ad dextram figura hominis ſedentis, albo integumento induti, & ante cavernam adeſt petra quadrangularis oblonga, colore roſeo, ſepulcri ſimilitudinem exhibens. Unde Conſ. Poſſeſſor tabulæ, dum hæc recenſet, excitari in nobis hac repræſentatione poſſe memoriam ſepulcri & reſurrectionis Servatoris, monet, hucque *v. 1 — 8 Cap. XVI* D. Marci trahit. Plures ejusmodi naturæ luſuum curioſi & periti homines, etiam dignitate præſtantes, qui tabulam hanc conſpexerunt, fidem nobis faciunt certiſſimam, & reſpondere has aliasque figuras deſcriptioni, & nihil hic omnino vel quoad delineationem, vel quoad colores, (qui vividi & egregii ſunt,) arti, omnia naturæ, deberi; etſi non dubitandum ſit, quasdam, quæ minutiores ſunt, microſcopii ope diſtinctius & elegantius conſpici poſſe. Quicquid vero ſit, magni æſtimanda eſt hæc tabula, quæ tam exiguo ſpatio tantum numerum elegantium picturarum exhibet, illarumque non ex maculis, alias paſſim in marmoribus reperiundis, phantaſia rectrice pro lubitu conſarcinatarum. Multum vero falleretur, qui, humanæ induſtriæ hæc tabulæ ornamenta deberi, ſuſpicaretur. Præterquam enim, quod tantam multitudinem tam ſubtilium figurarum tam nitide effingere, impoſtoris cujusvis artem ſuperat, docet etiam αὐτοψία, nihil ab arte marmori, aut, quod verius dici poteſt, achati, præterquam polituram, acceſſiſſe, ut nemo, qui tabulam viderit, poſſit in eam ſententiam deſcendere, quaſi id tabulæ acciderit, quod in aliis ejusmodi curioſis, v. g. lapidibus, a D. *Jo. Barthol. Adamo Beringero* in *Lithographia Wircebur-*

Wirceburgenſi A. 1726 deſcriptis, accidiſſe, acutiores jure exiſtimarunt. Ceterum nulli dubitamus, curioſis omnibus gratiſſimum fore, ſi Conſ. Poſſeſſor promiſſum impleat, L circiter figuras, ab oculatis artificibus adhuc noviter detectas, cum harum rerum amatoribus alia Scheda, additis etiam figuris æri inciſis, communicandi.

Einleitung in die Gotteſgelahrheit, ꝛc.

hoc eſt,

JOANNIS GEORGII WALCHII INTRODUCtio in Theologiam Dogmaticam.

Jenæ, impenſis viduæ Crœckeriæ, 1749, 8.

Alph. 3 plag. 10.

Celeberrimus Jenenſium Theologus, & Conſeſſus eccleſiaſtici Conſiliarius, utiliſſimam in ſe ſuſcepit operam, librum Theologiæ dogmaticæ, diligentiſſime conſcriptum, cum orbe Chriſtiano communicans, cujus forma interna ita eſt comparata, ut doctrinæ, ordinis, perſpicuitatis, & elegantis brevitatis, ergo, ubi Autor feliciter medium tenet, inter vaſtiſſima Syſtematum Theologicorum volumina, & ſuccincta nimis Compendia, non ſtudioſæ modo juventutis, ſed uniuſcujusque lectoris, animum, doctrinæ ſanctioris cupidiſſimum, vel maxime ad ſe poſſit allicere. Operæ hinc pretium facturos nos eſſe, arbitramur, ſi ex præcognitis de revelatæ, & inprimis dogmaticæ, Theologiæ præceptionibus nonnulla delibaverimus, & ſuccincte deinde habitum integri libelli dederimus expoſitum. In univerſum Theologia eſt doctrina earum rerum, quæ ad religionem neceſſario referuntur, ſive ex religione naturali, ſive ex divinitus Pag. 4.
manifeſtata doctrina, procedat. Alia hinc eſt naturalis, alia revelata Theologia, cujus poſterioris ratio formalis in 5.
eo conſiſtit, quod ſit doctrina, ſecundum quam veritates divinæ proponuntur ita, ſicut Deus in Scriptura Sacra ad impetrandam ſalutem eas & cognoſcendas, & applicandas, revela-

Digitized by Google

revelavit. Iſtæ recte dividuntur in duo rerum genera,
Pag. 7. ſcilicet vel in fidei, vel morum, præceptiones, cujus principium cognoſcendi, quatenus revelata eſt doctrina, ſola eſt Scriptura Sacra, ita tamen, ut ratio recta adhibeatur ad
9. formam cognitionis ſolidioris aſſequendam, ſine qua nunquam iſta impetratur. Multæ deinceps dantur Theologiæ ſpecies, ſecundum modum & ordinem eam tractandi. Hinc alia eſt polemica, ſymbolica, & patriſtica; alia vero exegetica, catechetica, & ſyſtematica. Quod doctrinæ genus a Theologia dogmatica & morali non, niſi ratione
12. modi proponendi, differt. Ex hoc conficitur, ad verum Theologum non ſolum cognitionis veræ habitum, ſed neceſſario id quoque, requiri, ut ejus cognitio ſit vivida atque efficax, & ut voluntatem moveat ad ſtudium vir-
13. tutum in vita exercendum. Præter hanc cognitionis rectitudinem divinam, recte ſtatuit Noſter, imo vero Theologo adeſſe debere ſapientiam, varios animi humani motus ſecernendi atque dijudicandi; dexteritatem, veritates divinas proponendi, explicandi, defendendi; denique
14. ſanctitatem vitæ, per omnes vitæ dies colendam. Ex his omnibus Celeberrimus conficit Autor, controverſias de Theologia irregeniti motas, non tam rei ipſius rationem ingredi, quam ad uſum varium verbi veri potius ſpectare. Saltem certiſſimum eſt, irregenitum hominem, fundamentales callentem linguas, veritatum divinarum concentum ſibi in memoriam colligere, aliosque illuminare poſſe; ſed metaphyſice verum Theologum non eſſe, id
17. eſt, talem, qualem Deus requirat. Explicatur deinde vera Theologiæ dogmaticæ notio, &, qua ra-
20. tione vel habitus, vel doctrina, circa eam verſetur, declaratur, addito ejusdem objecto, ſcilicet rerum ad fidem pertinentium, quarum tractatio triplici continetur forma,
21. ſcilicet curata explicatione verborum atque rerum, in unoquoque articulo fidei occurrentium; ſolida deinde probatione, ex natura rei & Scriptura ſacra derivanda; denique ordinis boni commendatione, ex quo fit, ut capita

rerum

rerum cum ſingulis momentis reliquarum doctrinarum Pag. 23.
congrue conveniant atque cohæreant. Ad finem *præcognitorum* hiſtoria variarum traditur Theologiam proponendi methodorum, in Lutherano, Romano, & Reformatorum, cœtu his & ſuperioribus temporibus uſitatarum, quibus enarratio potiorum Autorum adjungitur, quibus 27.
legendis purioris cœtus Theologus operam dare, atque cum hac lectione meditationem & precationem conjungere, debet, ut finem aſſequatur, quem ipſe ſibi præſcripſit. Ad Capitum ordinem, atque rei tractionem, pedem promovemus, ubi duplici modo de Celeberrimi Autoris opera, in hoc libro poſita, ut certi ſint Lectores, efficere ſtudebimus. Primo in univerſum rei tractandæ methodum exhibebimus; deinde vero aliquem ſaltem Articulum potiorem in ſummam redigemus, ut habeat optimus quisque, unde de toto libro exiſtimare poſſit. Ordo rerum tractandarum ita eſt inſtitutus, ut materiæ connexæ, quantum potuit fieri, inter ſe non ſolum ratione Articulorum generaliorum, ſed ſingularium etiam veritatum, in unoquoque Capite obviarum, conjunctæ appareant. Tria hinc rerum momenta potiora ſunt tractanda. Alia ad Deum, homines ſalvantem; alia ad homines ſalvandos; alia ad ſalutis impetrandæ rationem ipſam, pertinent, quæ, præpoſita doctrina de religione 29.
Chriſtiana, & Scriptura Sacra, ordine & accurate omnia ſunt 91.
explicata. Ad calcem operis ii Chriſtianæ fidei adjuncti ſunt Articuli, qui vel ſaluti æternæ ſunt oppoſiti, vel ad ſalutem, pleniſſime accipiendam, proxime accedunt. Uniuscujusque Articuli tractatio eſt vel dogmatica, vel hiſtorica. In Sectione dogmatica rei totius pertractandæ ratio exponitur, & connexio ejus cum præcedentibus declaratur, ubi, quod præclare factum, Celeberrimus Autor momentum articuli propoſuit, quatenus ad fidem & ſalutem doctrina quæque plus minusve concurrat, fundamentum deinde cognoſcendi in ſingulis Articulis diligenter traditur, & tractatio rerum perſpicue ſolideque inſtituitur ita, ut omnia explicite proponantur, variæ & inter

ſe diverſæ res diſtinguantur; partes & ſpecies diſtincte conſtituantur; argumenta confirmantia ex ratione & Scriptura, pro re nata, depromantur, &, ubi res plena myſterii adeſt, id ſaltem efficiatur, ut, nihil contra rationem illi ineſſe, dilucide appareat. Cum hac dogmatica Sectione alia eſt conjuncta, ſcilicet hiſtorica, ubi fata doctrinæ breviter enarrantur, errores & controverſiæ notantur, & ubivis clare demonſtratur, ſanam atque puriorem doctrinam omnium temporum laude floruiſſe, atque a Deo eſſe conſervatam. Factum hoc inprimis eum in finem, ut literarum ſanctiorum ſtudioſi in perdiſcenda Theologia dogmatica occaſionem habeant ſymbolicam ſalutandi Theologiam, atque aditum feliciſſimum ad Theologiam polemicam ſibi comparandi. Hæc eſt facies totius libri, ab omnibus literarum divinarum cultoribus vehementer approbanda. Pergamus nunc ad brevem Capitum enarrationem, ex quibus ſpecimen, ſaltem unicum, cum Lectoribus communicabimus. Præpoſita itaque, quod antea jam monuimus, doctrina de religione Chriſtiana, & Scriptura Sacra, per *duo* priora *Capita*, a *tertio* ad *nonum* uſque, Deitatis eſſentia, atque opera divina, pertractantur. Caput *tertium*
Pag. 164. de Deo agit, cui in reliquis ſeparatim doctrina de trini-
227. tate; de decretis divinis, inprimis quatenus ad ſalutem hu-
260. manam ſpectant; de creatione; de angelis, & providen-
279. tia denique divina, additur. In his omnibus continetur
308. doctrina ad Deum referenda, quam præceptiones ſanctio-
345. res de homine excipiunt, ſecundum triplicem ſtatum conſiderato, ſcilicet innocentiæ, lapſus, & reſtitutionis in in-
373. tegrum. Hinc in *Capite nono* de ſtatu innocentiæ primo-
385. rum parentum in genere agitur. *Decimum* de imagine divina & ordine ſalutis, qui fuit ante lapſum, ſecundum li-
403. teras ſanctiores præceptiones tradit, quibus in *undecimo*
425. & *duodecimo Capite* doctrina de lapſu primorum parentum, & de peccati origine ex corrupta primi hominis poſt lapſum conditione, annectitur. Sequitur hinc ſtatus reſtitutionis, ubi integra doctrinarum ſeries quatuor momenta abſolvit;

Digitized by Google

abſolvit; ſunt enim vel fundamentum ſalutis, vel ordo ejuſ- Pag. 471.
dem, vel operationes bonitatis plenæ, & media ſalutis, attendenda. Hinc in *decimo tertio* & ſequentibus binis *Capitibus* de ſalute hominum poſt lapſum, ejusque repara- 483.
tione in univerſum, agitur; itemque de gratia divina, interno ſcilicet fundamento ſalutis, & de Chriſto, externo ſalutis fundamento. Sequitur Articulus de fide in Chri- 615.
ſtum in *decimo ſexto Capite*, cujus partes ſingulas ſtri- 616
ctim enarrabimus. Articulus hic eſt purus, & doctrinam maximi momenti continet, ſiquidem unusquisque ſalvandus, de fidei ſubſtantia, ejus exploratione, certitudine, & incremento, cognitionem ut habeat, neceſſe eſt. Hinc fundamentales inter & primarias in religione doctrinas referenda eſt eius præceptio. Fundamentum cognoſcendi ſola eſt Scriptura ſacra, ſive objectum fidei, ſive formam & 617.
effectus illius conſideremus. Fides, qua ſubſtantiam ſuam, eſt certa quædam animi humani conditio, quatenus effectus nonnulli ſingulares in eo proveniunt, cujus partes ſunt cognitio vera & certa, acceptatio meriti Chriſti, & denique fiducia, qua certiſſima eſt mens de applicata & 619.
obſignata gratia divina, a Chriſto parta. Subſtantia fidei 622.
eadem quidem ſemper eſt, ſuos tamen admittit gradus, quamcunque ejus partem reſpicias, ſive ſit a Deo, modicam menſuram fidei largiente, ſive a credentibus ipſis, incrementum capientibus, vel negligentibus. Sive ſit fir- 624.
ma, ſive minus firma fides, vitam tamen in ſe habet, bonis operibus ſe exſerentem, atque intus operantem. Primarius hinc vitæ fidei effectus eſt juſtificatio; ſecundarius ſancti- 625.
catio, ſeu potius ſanctimonia vitæ, ex virtute ſanctificante fidei procedens. Qui uterque effectus a fidei ſub- 626.
ſtantia probe eſt ſeparandus. In ſe tamen fides non natu- 627.
ræ, ſed gratiæ, eſt opus, a Deo producta, ſive ordinario 628.
fiat, ſive extraordinario modo, idemque in omnibus depre- 631.
henditur hominibus, ſive adultis, ſive recens natis. Præſentia fidei intelligitur vel ex effectibus animi, ſubſtantiam fidei ingredientibus, v. g. cognitione ſalutari, fiducia in Chriſto, & reliquis; vel ex fructibus fidei, virtutibus

Pag. 633. ſcilicet hominem Chriſtianum decentibus. De futura fidei
perſeverantia certus unusquisque eſſe vere poteſt, ſub con-
ditione ſcilicet, ſi gratiam divinam continuo admittat, at-
que in ſe operari ſinat. Fides ſi adeſt in homine,
vel augmentum admittit, vel decrementum, ita ut et-
634. iam tota pereat, quod ſuas, vel internas, vel exter-
635. nas, cauſas habet. Hic duplex genus occurrit homi-
num: aliud electorum, de quibus Deus reſipiſcentiam
636. & recuperationem fidei prævidit; aliud reprobatorum,
637. quorum conſtantem incredulitatem Deus præſcivit. Hæc
dogmatica eſt tractatio, cui ſuccedit hiſtorica, in qua ec-
cleſiæ Romanæ, Reformatæ, Arminianorum, & Fanatico-
639. rum, doctrina de fide, &, quos ibi committunt, erroribus,
640. exponitur. Deinde vero ex libris purioris eccleſiæ & Pa-
642. trum eccleſiaſticorum memoria, ut & ex libris noſtris ſymbo-
644. licis, oſtenditur, puriorem doctrinam hujus Articuli ſemper
ſartam & ſanam eſſe conſervatam, nec deeſſe Autores,
695. qui huic doctrinæ illuſtrandæ operam dederunt. Sequi-
717. tur deinceps *Caput decimum ſeptimum*, in quo de ju-
ſtificatione, de divina vocatione, de gratioſa illumina-
773. tione, de regeneratione, converſione, & reſipiſcentia,
802. de ſanctificatione & renovatione, de verbo divino & le-
gis & evangelii, de Sacramentis in genere, & ſacra
cœna, denique de eccleſia & triplici ſtatu hominum,
970. agitur. *Capita* a *vigeſimo octavo* uſque ad *trigeſimum*
1053. *tertium* ultima rerum momenta, doctrinam ſcilicet de
morte temporali, de reſurrectione mortuorum, de judi-
1107. cio extremo, de vita æterna, & de æterna damnatio-
ne, ſecundum methodum, cum Lectoribus hac enarra-
tione communicatam, perſpicue, ſolide, diligenterque,
tractant, quæ indicio ſunt luculento, Celeberrimum Auto-
rem ſanctioris diſciplinæ alumnis & doctoribus concinna
hac veritatum theologicarum congerie egregiam commo-
daſſe operam, quæ omni applauſu digna videtur.

Schrifft

Schrifftmäſige Abhandlung von Belohnungen in ewigen Hütten ꝛc.

id eſt,

COMMENTATIO THEOLOGICA DE PRÆmiis vitæ æternæ ſecundum teſtimonia Novi Teſtamenti, concinnata a JO. FRIDERICO FRISCHIO, A. M. SS. Theol. Baccal. & Conc. Sabbat. Thomano Lipſ.

Lipſiæ, ſumtibus Bernhardi Chriſtophori Breitkopfii, 1749, 8.

Alph. 1 plag. 12.

Digna omnino eſt doctrina illa, de præmiis vitæ futuræ præcipiens, quæ ſecundum partes ſuas rite explicetur, cum tot tantaque in Codice ſacro de ea occurrant teſtimonia, interpretationem divinorum oraculorum, concentum doctrinarum fidei, quin & morum Chriſtianorum cultum & ſuavitatem, juvantia atque confirmantia. Accedit huc diverſitas ſententiarum, ab adverſariis hac de re conceptarum, quorum alii minus, alii vero plus, quam e norma divinæ doctrinæ par eſt, huic capiti religionis Chriſtianæ tribuunt. Nec eſt verendum, ne ſuperflua hæc ſit Autoris opera, dum fere nulla, pauciſſima ſaltem, de hac præmiorum æternorum conditione, in libellis & voluminibus theologicis occurrant, eademque ſatis manca atque infirma. Totum opuſculum in *duodecim* dividitur *Capita*, quorum prius in univerſum de *præmiis vitæ æternæ* agit. Diſtincta hic proponitur atque confirmatur notio de ſalute futura, quoad eſſentiam, & bona accidentalia, conſiderata, quo diſtinguatur recte ſalus, omnibus electis communis, ab illa accidentali felicitate, ſingulis ſanctis propria futura. Hæc dicitur alias *gradus*, ſeu *præmium*, in vita æterna. Interdum etiam *vita æterna* ſenſu ampliori præmia ſimul continet ſalutis æternæ, & potiorem eorum rationem

Pag. 3. 4.

tionem habet, quod facile ex rebus circumſtantibus poteſt
colligi, dummodo attendas *opera*, quibuscum *vitæ æternæ*
denominatio conjungitur. Tunc enim ſemper ſub hac no-
minis poſitione præmia vitæ æternæ indicantur, cujus rei
exemplum Noſter ſolide demonſtravit ex *Matth. XXV, 31-46.*
Pag. 9. Ex hoc fluit, in ſacris paginis ſalutem æternam, in ſe ſpe-
ctatam, a præmiis æternis curate diſtingui, eadem cautio-
ne, qua damnatio a pœna in ſtatu damnationis diſtincta
proponitur. Omnia enim ad diſtinctam *fidei* atque *incre-*
dulitatis, itemque *operum* uniuscujusque *bonorum* & *malo-*
14. *rum*, notionem referuntur. Præſtructis his, aliisque, ad
rem ſuam pertinentibus, ita præmia futuræ vitæ definit
Noſter, quod ſint *Bona futuri ſeculi, & quidem talia,*
quæ Deus ex libera gratia ſuis electis per Chriſtum judicem
deſignatum, in die noviſſimo & judicio hominum univerſali, pro-
pter & ſecundum opera ſua bona conferre promiſit, ut ſanctitatem
rerum ſuarum majeſtaticam, atque eſſentialem ſuam juſtitiam re-
muneratoriam, manifeſtaret, & ſalutem ſanctorum amplificaret.
15. Hæc finitio rei fundamenti loco ponitur omnium ex ordine di-
cendorum. Dubitationes, in univerſum contra hanc doctri-
nam ab adverſariis prolatæ, ad calcem hujus Capitis propo-
19. nuntur, acuteque refelluntur, quibus diviſio præmiorum
generalis in *legalia*, *gratioſa*, *naturalia*, *arbitraria*, *remo-*
21. *tiva*, *poſitiva*, *ordinaria*, atque *extraordinaria*, additur,
&, ſub quo rerum genere præmia æterna continentur,
23. diſquiritur. *Secundum Caput* certam atque indubita-
tam præmiorum iſtorum proponit *exiſtentiam*, ex pro-
miſſionibus divinis N. T. repetitam. In *duas* hoc Ca-
put abit *Sectiones*, quarum *prior* evidentia tradit
Scripturæ teſtimonia, in *tres* claſſes ab Autore diviſa.
25. *Prior* harum locos tractat eos, in quibus clariſſimis verbis
32. *merces* in cœlis promittitur, quo refertur *Matth. V, 12, X,*
41, 42, Luc. VI, 35, 1 Cor. III, 8-14, ubi prolixa additur hu-
jus teſtimonii explicatio, ex viſceribus textus ſacri confir-
mans, de jactura præmiorum hic loqui *Paulum*, quam fa-
cerent

cerent doctores, problemata modo theologica & curioſa tractantes, muneris vero dignitatem negligentes. *Secunda* claſſis ea continet argumenta ſanctiora, ubi Deus unicuique daturus dicitur ſecundum *opera ſua*, quæ quidem non eadem, ſed diverſa longe, & magno intervallo inter ſe ſunt ſeparata, quod ex *Matth. XVI, 26*, *Rom. II, 5, 12*, aliisque teſtimoniis, patet. Ultimo in loco Noſter monet, atque ex graviſſimis rerum momentis hic confirmat, verba Græca: Ἰεδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι ita eſſe accipienda: Deum, tum Judæo, tum Græco, primarias eſſe attributurum prærogativas, dummodo inſignem eximiamque uterque exercuiſſet pietatem. *Tertio loco* omnia hic adducuntur teſtimonia, virtutis cujusdam cultum, & præmium hinc propoſitum ſingulare, indicantia. Præter reliqua notamus, amplam Auctorem explicationem tradere loci *Marc. X, 21 ſeq.* juvenemque, Servatorem ibi compellantem, evocatum ab ipſo ad munus doctoris publicum, & inde juſſum eſſe, ut omnia, huic dignitati recte proſpecturus, bona ſua venderet. Pius alias, infirmus modo, videtur fuiſſe virtutis ſtudioſus. Eadem concinnitate hic explicatur *Pſ. CXII, 9*, & ad præmia futura liberalitatis applicatur. In expoſitione loci *Paulini 1 Tim. VI, 17 — 19*, parentheſin ſtatuit Noſter, quod quidem recte facere videtur, a vocabulis Θεῷ ζῶντι ad verba uſque ἵνα ἐπιλάβωνται, faciendam. *Sectio ſecunda* hujus Capitis binas illuſtrat parabolas, ad certitudinem futurorum præmiorum ſpectantes, quarum prior illuſtris illa de *operariis in vinea*, altera de *receptione amicorum in æterna tabernacula*, agit. Poſterior iſta, *Luc. XVI, 1 — 19*, deſcripta, ita tractatur, ut in aprico collocetur, ſententias doctorum virorum hac de re eſſe tortuoſas & coactas, cum verbis non conſpirantes, & rebus plane adverſas, multisque tricis impeditas. Hinc Noſter ſecundum ſimplicem verborum ſenſum diligenter ſermonem Chriſti enarrat, rerumque pondera addit, ſecundum quæ ea mens doctoris cœleſtis declaratur, ut hoc ſibi velle videatur dictum: *Reconciliate vobis amicos bonis humanis, ut iidem*

Pag. 38. 40. 41. 44. 47. 49. 50. 55. 60. 67. 68. 72. 74. 80. 84.

iidem amici in æterna illa vita vos recipiant in ſua tabernacula, a Deo ipſis præmii loco data. Ita deinde rem omnem Noſter declarat, virtutes pauperum eſſe acquiſituras ſibi ex gratia divina præmia tabernaculorum cœleſtia; virtutes vero divitum ſibi eſſe ex Dei voluntate conciliaturas, cohabitationem in tabernaculis, pauperibus illis datis. Utroque in loco eſt præmium. Utrinque ponitur virtus. Utrinque jam præſupponitur fides & ſalus ex fide, cui ſalus ex operibus accidentalis, ſeu
Pag. 89. præmium virtutis in fide perculta, adjicitur. Difficultates ex hac forſitan cauſa oriturae, facile diluuntur. Ceterum videmus, verba Chriſti: εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, *in futuram*
99. *ætatem ſuam*, converti, quod theotiſce dicitur: *auf ihren*
100. *Unterhalt, ihr künftiges Leben.* His diligenter dijudicatis, eadem ratione explicatio alterius parabolæ inſtituitur. Eno-
104. datur hic ſcopus & ratio dicentis, defenditurque, de præmiis æternis vere agi, ex connexione verborum & rerum
108. confirmatur; dubitationibus reſpondetur, gravitas parabolæ peroratur: prærogativa operariorum duplex ſtatuitur,
115.
119. quarum prima ordinem prioritatis, altera æqualem mercedem penſi diurni conficit. Omnis res eo redit, ut Servator moneat, *omnes virtutis Chriſtianæ ſtudioſos*, qui ſcilicet deſcribunt operarios in vinea, *præmiis in vita æterna eſſe exornandos, ita tamen, ut illi, qui majorem virtutis gra-*
121. *dum attigerint*, & liberius ejus exercitium ediderint, *majus præmium* ſint accepturi *præ illis*, qui *infirmis greſſibus* in palæſtra virtutum & arena bonorum operum verſati fuerint,
125. *præmiis* ſemper *futuris innitentes*, ex iisque quaſi *robur agendi* petentes. Uberior hujus explicationis eſt copia, quam ſco-
127. pus noſter hic conſequi queat. Poſtea multæ doctrinæ morum ex hac parabola eliciuntur, & recentiori cuidam explicationi, a viro quodam docto ſuppeditatæ, diligenter reſpondetur, ac plane ea refellitur, ita ut, ſententiam Chri-
129. ſti minime ad Apoſtolos, & doctores eccleſiæ, quod vulgo
139. fieri videmus, reſtringendam eſſe, recte doceatur. Poſtremo loco Noſter judicium ſuum de oratione ſacra cel.
148. *Franckii*, hoc de argumento habita, modeſte addit, quod de doctiſſimi *Heuſingeri* labore ſimili modo factum eſſe videmus.

Ter-

Digitized by Google

Tertium Caput de liberrima Dei *gratia in fundandis præmiis* Pag. 155.
ſanctorum agit, ubi, præſuppoſitis iis, quæ ad poſſibilem
præmiorum rationem in virtutibus humanis, iisque imper- 161.
fectis, pertinent, recte aſſeritur, ex parte Dei primo hic
ad benigniſſimam ejus voluntatem eſſe reſpiciendum, cujus
idea declaratur, &, quatenus hæc gratia libera ſit, & ad præ-
mia futura libere agat, diſtincte proponitur, ita ut libertas
Dei hic *remote* conſideretur, ratione ſubjecti libere creati,
& poſt lapſum libere reparati; itemque *proxime*, intuitu poſ- 163.
ſibilitatis internæ, & facultatis, ad virtutis ſtudium agentis,
itemque conditionis præmiorum, hoc, vel illo, modo libere
a Deo ordinandæ, & in univerſum conſtituendæ. Reliqua
non fiunt libera, ſed ex ſanctitate & juſtitia divina neceſ- 165.
ſaria procedunt. Hoc ut dilucidius pateſcat per oppoſita,
concinne additur dijudicatio orationis cujusdam ſacræ, a cel. 169.
quodam Hamburgenſium Theologo *de libertate gratiæ divi-
næ*, ad *Matth.* XX, *1 — 16*, conſcriptæ, & collectioni oratio- 180.
num ſacrarum Hamburgenſi inſertæ, ubi tum de libertate Dei
in *vocandis* hominibus, tum in *remunerandis* iisdem, actum 188.
fuit, ita tamen, ut hæc omnia a ſententia Servatoris quam
longiſſime abeſſe videantur, quod Noſter per ſingulas partes
probe monuit, ſuoque argumento hac opera inſignem lucem
addidit. Præter reliqua hic exponitur, quomodo libera 191.
Dei gratia in remunerationibus opera ſimul hominum re- 192.
ſpiciat; qua ratione dona, a creatore hominibus ex natura 199.
& gratia conceſſa, a præmiis virtutum ſint diſtincta; deni- 209.
que quæ falſo aſſumantur in doctrina iſta, quatenus ad gra-
tiam divinam ſpectat. Sequitur *quartum Caput*, quod de
ſanctitate Dei in *decernendis præmiis æternis*, & actu conſti- 213.
tuendis, præcipit. Velle Deum bonum morale, id eſt, vir- 219.
tutem, idemque ſibi complacere, & ratio & Scriptura di- 226.
ctitat, atque ex eo confirmat, quia obedientia erga Deum
in virtutis finibus continetur. Obedientia vero, Deo præ-
ſtita, ſeu bonum morale, vanum eſſe nequit vi
ſanctitatis divinæ, qua Deus obſervationem legum ſua-
rum neceſſario vult, nec, inutilem illam eſſe, ferre poteſt, quo 229.
diſcrimen inter homines, legem obſervantes, & temere

Bbbb negli-

Pag. 231. negligentes, ſtatuatur ſanctiſſimum. Hinc fluit præmio-
234. rum & pœnarum indubitata ratio. Ex his etiam princi-
240. piis deinde facili progreſſu argumentationis ad æterna præ-
mia concluſio eſt formanda, quod Noſter ſibi datum ju-
dicat, & dicta ſua non ſolum confirmatione triplici, ſatis
gravi, corroborat, ſed contra aliorum etiam impetus in
tuto collocat. Ad ſequens *Caput quintum* enarrandum nos
243. accingimus, quod de *juſtitia Dei in diſtribuendis præmiis*
æternis ſecundum menſuram donorum & gradum virtutis
præcipit. Eo hic diligentiam ſuam confert Autor, ut a
generalioribus ad ſpecialiora deſcendat, atque oſtendat,
quid in ſingulis hominibus remunerandis juſtitia divina
249. ſit reſpectura. Hinc juſtitia remunerativa ita deſcribitur,
ut ſit proprietas eſſentiæ divinæ, qua in dijudicandis
251. actionibus humanis præmia bonorum ita conſtituuntur at-
que diſtribuuntur, ut cum moralitate legis divinæ exacte
258. conveniant. Huc reſpicit *Paulus 1 Tim. IV, 7, 8, Rom. II, 5,*
2 Theſſ. I, 6, 7, quin & *Joannes* in *Apocalypſi*, cujus teſti-
monium *Cap. XX, 12, 13*, præclare ad rem præſentem expli-
catur, atque applicatur. Ex eo fluit veracitas & integritas
264. judiciorum divinorum, præmia decernentium diverſa, ex
269. menſura & uſu donorum, benigne unicuique attributo-
277. rum, quorum exempla proponit Chriſtus *Matth. XXV,*
14 — 23, & *Luc. XIX, 13 — 26.* Omnia tamen ad gradum
virtutis referuntur, de quo multa ab Autore docte pro-
279. ponuntur, ratione cognitionis & moventium cauſarum,
ratione etiam libertatis, promtitudinis, & quæſitæ gloriæ divi-
næ. Infiniti hic occurrunt gradus & diverſitates, ex qui-
288. bus bene conjicitur, præmia electorum ſingulorum infinitis
modis inter ſe fore diverſa. Singulis rerum argumentis ſua ex
290. Codice divino adduntur pondera, inter quæ notatu dignus
eſt locus *Jac I, 25*, ab Autore ita expeditus, ut ad perfe-
ctionem *legis*, non *evangelii*, Apoſtolus reſpiciat. Paulo poſt
298. teſtimonium *Davidis Pſalmo LXV, 8*, noviter ita fuit expli-
303. catum, ut de *præmiis Servatori propriis* oratio ſit accipien-
da, In *ſexto Capite* ſecundum ordinem librorum N. T.
variæ

Digitized by Google

variæ traduntur *ſpecies* præmiorum, a Deo promiſſorum.
Diviſiones hic accuratæ ab Autore proponuntur. Sunt enim
alia præmia partis cujusdam beatitudinis eſſentialis gradus
majores; alia mere accidentalia bona. Alia ad cor- Pag. 306.
pus, alia ad animum, propius pertinent. Alia ſunt etiam 313.
diverſa ex diverſo ſtatu hominum, qualia ſunt præmia Pro- 322.
phetarum, divitum, pauperum, & reliqua. Referuntur huc
diverſi gloriæ gradus, accubitus in regno cœlorum, gre-
mium *Abrahami*, ſeſſio in thronis, laudatio coram angelis
publica, coronæ, aliaque, felici conatu ab Autore ſecun-
dum veritatum divinarum concentum enucleata. Inter 326.
alia videmus, teſtimonium *Pauli Rom. X, 9, 10,* ubi *confeſſio*
oris occurrit, non de fidei profeſſione, ſed de *Evangelii*
prædicatione, ex omni orationis ſerie, ab Autore accipi.
Cauſæ quædam etiam hic proponuntur, quare plurima præ- 344.
mia, tanquam corporalia, in libris ſanctioribus fuerint
propoſita. JudicioLectorum placido iſta omnia relinquuntur 349.
cum ceteris, ubi de præmiis determinatis, & indetermina-
tis, diſquiſitio inſtituitur. *Caput ſeptimum rationem for-*
malem præmiorum promiſſorum continet, ſeu, quomodo 358.
præmiorum conditio ſapientiſſime cum virtutis habitu con-
ſpiret, oſtendit. Proferuntur hic exempla patientiæ,
miſericordiæ, modeſtiæ, aliarumque virtutum, ſuis præmiis 363.
exornandarum. Sic v. g. pauperes, veſtibus privati, in
cœlo veſtimentis induuntur glorioſis. Conſtanter patien-
tes coronis & palmis inſigniuntur; eſurientes & ſitientes
lignum vitæ comedunt, & ab agno in amœnitate ſatian-
tur. Ii, quorum nomina fuerunt proſciſſa, & quaſi inter 370.
homines deleta, novo nomine ornantur. Idem fit in aliis,
ab Autore diligenter conquiſitis, quibus judicium ipſe 380.
addit ſuum, ita ſtatuendo, Deum ſapientiſſime arctum in- 384.
ter virtuta & præmia vinculum ligaſſe, iisque inprimis pu-
blice propoſuiſſe virtutibus præmia, quarum exercitium
inſignis eſt neceſſitatis atque difficultatis, quod ex intimis
Telematologiæ & Scripturæ S. viſceribus declaratur. *Octa-* 391.
vum Caput de *tempore* agit, *quo præmia virtutum ſunt di-*

ſtribuenda. Confirmatur hic ex claris Scripturæ locis, ju-
dicium Chriſti univerſale tempus eſſe, quo præmia & mer-
Pag. 395. ces virtutis ſtudioſis diſtribuantur. Ex his ea lucem fœne-
rantur teſtimonia, in quibus tempus diſtributionis hujus
400. minus clare indigitatur. Nec minus ſimili ratione dubita-
tionibus obviam itur, quæ circa hanc doctrinam doctiores
403. animos ſubire poſſunt. Duratio præmiorum erit æterna,
quod non ſolum dicta Scripturæ loquuntur, ſed ex aliis
407. etiam argumentis rerum probatum redditur. Acute hic
Autor ad oppoſitum concludit, & *æternitatem pœnarum*
infernalium, ex hac æterna præmiorum cœleſtium duratio-
409. ne, ob paritatem cauſarum fundamentalium, confirmat,
412. quibus ad finem *Capitis* quæſtio de incremento præmio-
rum in vita æterna expedita additur. De recta hujus do-
ctrinæ applicatione in *nono Capite* per *binas Sectiones* cogi-
414. tationes ſuas Noſter profert, quarum prior *uſum*, poſte-
rior *abuſum*, tradit. Ad *purius* quod ſpectat, monet Noſter,
415. ita doctrinam hanc eſſe tractandam, ut virtus ſanctorum
417. firmior atque perfectior reddatur; ut inſtinctus naturales,
virtuti noxii, aliæque difficultates, removeantur; ut majora
& graviora legis felicius obſerventur, & in diuturnitate
calamitatum virtus non langueſcat. Multiplicem hujus rei
419. uſum Autor ex exemplis ſanctorum offert, qui eadem ra-
426. tione hanc ſibi doctrinam applicarunt. Impiis tamen hæc
434. nobiliſſima doctrina non eſt applicanda, licet ita poſſit
uſurpari, ut cognitione præmiorum excellentiſſimorum ad
regnum cœlorum amplectendum invitentur. Abuſus in
439. *poſteriori Sectione* tam ad falſam hujus doctrinæ explicatio-
442. nem, quam applicationem, refertur. *Caput decimum* mul-
445. tas diſſolvit *quæſtiones*, in hoc argumentum incidentes, v. g.
an omnes electi præmia ſint accepturi, quod Autor negat,
ideo, quia non omnes in ſtatu perfectæ moralitatis & vir-
451. tutis fuerunt; an præmia ſint neganda, aut repudianda;
455. an docti viri in æternis habitationibus majora ſint habituri
458. præmia, quam reliqui, qui hac in vita indocti fuerint:
an præmia in ſtatu innocentiæ fuiſſent futura, & alia mul-
ta,

Digitized by Google

a, quæ ex ſuis fundamentis ab Autore reſolvuntur. *Un-* Pag. 462.
decimum Caput de *beatorum* agit *bonis*, a Servatore in ora- 467.
tione montana *Matth. V* propoſitis. Sex argumentis con- 468.
firmat Noſter, in hac orationis pericope, de præmiis, & 471.
quidem æternis, ſingulis virtutibus promiſſis, agi, quod
per omnes partes breviter confirmatum datur. *Caput duo-* 477.
decimum nobilem tractat materiam de *prægustu præmiorum*,
Servatori in monte glorificationis dato. Exacte hic recen- 480.
ſentur, atque, docte explicantur ſingula teſtimonia Evangeliſta- 483.
rum, eam rem præclare confirmantia, quæ nos
monent, glorificationem Chriſti in monte quaſi prægu-
ſtum ipſi dediſſe futurorum præmiorum, poſt paſſionem
ipſi relictorum, quo eo alacrior ad acerbitatem mortis,
brevi tempore poſt ſubeundæ, redderetur. Indicat
hoc ſplendor corporis Chriſti transformati; oſtendunt veri-
tatem hujus rei legati cœleſtes *Moſes* & *Elias*, in ſedibus 485.
æternis jam præmiis ſuis ornati, hinc in claritate ſua ap-
parentes. Huc etiam facit exitus Chriſti, qui (ἔξοδος) 489.
non eſt paſſio, ſed elatio in cœlum, in locum futuræ glori-
ficationis, quod nervoſe ab Autore probatur. Deinde ne- 495.
ceſſitas hujus glorioſi prægustus oſtenditur, et contra Cl. 498.
Michaelis diſputatur, qui timorem mortis in Servatore ni- 501.
mis acriter negaverat. Denique cauſæ afferuntur probabi- 504.
les, quare *Moſes* & *Elias* apparuerint Chriſto, & quare
diſcipuli illi tres, *Petrus*, *Jacobus*, & *Joannes*, in transfor-
matione iſta montana comites Chriſti fuerint. Hæ ſunt
ſtricturæ libelli, in quo conſcribendo omnem operam at-
que diligentiam collocavit Cl. Autor, & recens confectam N.
Teſtamenti verſionem *Heumannianam* plurimis in locis emen-
davit, ut cauſæ ſuæ nulla ex parte deeſſe videretur.

Vernünftige Gedancken von dem Urſprung der Quellen, ꝛc.
hoc eſt,
COGITATIONES RATIONALES DE ORIGINE Fontium, aquæ putealis, aliiſque affinis argumenti

materiis; cum veritatis amantibus communicatæ, e Latino ſermone in Germanicum translatæ, additamentis, eo ſpectantibus, auctæ, Indicibusque neceſſariis inſtructæ, ab HENRICO KUHNIO, J. U. D. & Math. Prof. Publ. Gedanenſi.

Berolini & Lipſiæ, apud Ambroſium Haudium & J. C. Spenerum, 1746, 8 maj.

Plag. 16, Tabb. 2.

Diſquiſitiones hæ, quibus novum de origine fontium ſyſtema propoſuit Cl. Autor, præmium A. 1740 ab Academia Scientiarum Burdigalenſi retulerunt, ibidemque A. 1741 Latino, quo ab Autore exaratæ erant, ſermone, una cum verſione Gallica, ſub titulo *Meditationum de Origine fontium*, in lucem prodierunt. Earum contenta tunc expoſuimus in *Actis* noſtris *A. 1743 Menſ. Jun. P. I pag. 314 — 322.* Contra hypotheſin Cl. Autoris varias objectiones moverat Anonymus quidam Gallus in *Diario Trevoltienſi A. 1741.* His copioſe reſpondit in *Actis A. 1742 pag. 264 ſeq.* & *pag. 318 ſeq.* Poſtquam dein vidiſſet, multos in Germania cupiditate teneri, cogitationes haſce vernacula lingua legendi, ipſe laborem earum transferendarum in ſe ſuſcipere eo minus dubitavit, quod, Gallicam verſionem multoties a ſenſu ſuo vero receſſiſſe, erroresque alios bene multos hic commiſſos, reperiſſet. Comparent ergo nunc denuo illæ meditationes, ſed nonnihil auctiores. Ut enim, indice exacto & locupleti eas inſtructas eſſe, taceamus, variæ quoque ipſum ad ſcriptum factæ ſunt acceſſiones. Cum enim dubia illa exinde potiſſimum orta intelligeret Autor, quod non ubique ſenſum libelli verum aſſecutus ſit lector; omnia iſta loca, quæ paulo obſcuriora, vel incertiora, videri poſſunt legentibus, illuſtrare, & uberius explicare, conſultum duxit. Hæc vero additamenta, ne ſenſum turbarent, non ipſi textui inſeruit, ſed ſeparatim exhibuit. De his igitur ſaltem in præſenti mentionem faciemus; eosque, qui ipſius libri

libri capita uberius expoſita legere cupiunt, ad citatam recenſionem ablegamus. Ex collatione Tabularum geographicarum ſpecialium oſtendit, declivitatis fluminum quantitatem mediam tuto ſupponi poſſe $\frac{1}{100}$ longitudinis. Demonſtrationem, quam pro ſphæricitate telluris attulit *Tacquetus* in *App. Elem. Geom.* refellit, &, in quo lateat vitium argumentandi, palam facit. Phænomenon de inflammatione vaporum in latrina, candela demiſſa, cum inſigni fragore exorta, recenſet. Aquas ſtagnantes eo majori quantitate evaporare, quo ſunt minus profundæ, contra ac putat *Hallejus*, experimentis oſtendit. De voragine quodam abſorbente in lacu ſtagnante, aliquot a Gedano milliaribus, mentionem injicit, qui ideo notatu dignus eſt, quod vix alibi adhuc, niſi in maribus fluviisque, non autem in aqua ſtagnanti, ejusmodi voragines cogniti fuerint. Silentio præterimus alia, quæ vel minoris ſunt momenti, vel jam in *Reſponſione ad dubia A. 1742* allata fuerunt. Ceterum nitidiſſima charta & typi elegantes haud leve ornamentum præſenti libro conciliant.

Pag. 10. 15. 91. 105. 216.

JAC. FRIDER. REIMANNI ACCESSIONES uberiores ad Catalogum Bibliothecæ Theologicæ Syſtematico-criticum a Sectione I usque ad Sectionem VI, in lucem publicam editæ a JO. WILHELMO REIMANNO, Filio, Paſtore Kemmenſi in Epiſcopatu Hildeſienſi.

Brunſuigæ, apud viduam B. Lud. Schrœderi, 1747, 8.
Alph. 1 plag. 11.

Sororius Noſtri, beatus *Theunius*, editurum ſe promiſerat illas acceſſiones, quæ, poſt generi mortem, ab Autoris filio deſiderabantur. Hic igitur, ut eo melius tot hominum votis ſatisfaciat, ſimul in ipſa Præfatione dotes libri atque tam ſcribendi, quam edendi, cauſas impellentes exequitur. Duplicem ejus utilitatem promittit, quod faciat

ciat ad veritatem inveniendam, & ad curam diligentiamque curioſiorem in ſcriptoribus excitandam, quod apertiorem oſtendat viam, ad artem, quam *βιβλιογνωσίαν* Græci nominant, perveniendi. Notitia librorum vel hiſtorica bibliopolarum eſt, vel accuratior, eruditorum digna perſonis. Poſteriorem, ſive criticam, hic liber præcipue ſpectat, de erudita prudentia ſollicitus, qua quis primum de ſtilo, tum de proponendi ratione, ac tandem de veritate rerum, quæ in lectione librorum occurrunt, acutiſſime ſtatim judicare poteſt, ut, ab omni præconcepta ſententia liberatus, apertum ſibi habeat, quænam in quoque libro ſint virtutes, quæ maculæ. Id qui dijudicare voluerit, in Rhetoricæ, Logicæ, rerum multarum philoſophicarum, hiſtoricarum, ſacrarum, medicarum, & juridicarum, cognitione ſit verſatiſſimus, oportet. In Rhetorica, cujus munus proprium ſit de ſtilo, ſive triplici elocutionis charactere, judicium ferre, in Logica, quæ ſola intelligat, quid ſit ordo, quid in diſpoſitione deceat, quis ſit docendi modus adhibendus; ut reliqua ſilentio prætereamus. Ad ipſum ſcilicet opus progredimur, indidem, quæ per lancem ſaturam proponamus, decerpturi.
Pag. 3. *Dornmeieri* Philologia Biblica laudatur, tanquam libellus exiguæ molis, ſed utilitatis eximiæ; cum vir vario doctrinæ genere inſignis fuerit Autor, in quo, præter bene dicendi facultatem, plurimæ literæ, eæque reconditæ & exquiſitæ, fuerunt, ſubactum etiam judicium, & verecundia tanta, ut de rebus plerisque ac perſonis cum rubore ſententiam ſuam pronuntiaverit. Ad
24. *Jo. Ludolphi Bunemanni* memoriam *Lutheri* notatur, quod præbeat collectanea hiſtorico-literaria de *Luthero*, ejusque reformatione & ſcriptoribus, ad hiſtoriam hanc ſpectantibus, non indiligenter congeſta, nec ſine jucunditate & uti-
32. litate verſanda. De *Alb. Chriſt. Rothii* libro *de Trinitate Platonica* Lipſiæ A. 1693 edito dicitur, quod in ea trinitas quidem *Platonica* e ſcriptis *Platonis* & *Platonicorum* eruatur, ſed cum SS. Trinitate neque conferatur, neque errores, inde orti, oſtendantur, quod tamen in rubro ſe facturum promi-

romiſerit Autor, qui multo largiores & lautiores dapes
ponere potuiſſet, ſi *Gothofredi Voigtii* præclarum opu-
ulum de origine triados *Platonicæ*, quod Roſtochii A. 1680
rodierat, legiſſet, quippe in quo plus utique laboris,
uminis, doctrinæ, continetur. Ad *Martin Lodingers Troſt-* Pag. 52 ſeq.
chriſften und Briefe, qui liber cum Præfatione *Guſtavi Georg.*
eltneri & *El. Veils* Norimbergæ A. 1733 prodiit, obſervatur in-
r alia, quod hæc quarta ſit editio opuſculorum paracletico-
arænecticorum hujus Autoris, inter Salisburgenſes velut di-
initus excitati, totque cives excitantis. Eodem ſpectat *Jo-*
ph Schaitbergers evangeliſches Sendſchreiben, nebſt andern 54.
rbaulichen Tractætgen, cum Præfatione hiſtorica *Philale-*
hæ Evangelici, Francof. 1732. Autor erat metallifoſſor
alisburgenſis, qui de Pontificiis ad noſtros tranſiit, atque,
jectus e patria, ſuos hæc ad tribules ſcripſit, nec, quod
nnotuit, ſine fructu. *M. J. F. von der Straſſ Memoria thau-*
aſiandri Lutheri renovata, ſub Præſidio *J. C. Dannhaueri* 80.
rgentorati A. 1661 edita, dum percenſetur, additur: Opuſcu-
um infrequens & ad amuſſim, quod ſcalptum caput & præro-
os ſapit digitos, ſive orationem ejus ſpectes, ſive κατάςασιν
rerum delectum. Contra de *G. S. Treueri de Charactere ani-*
ni D. M. Lutheri Diſſ. quæ prodiit Helmſtadii A. 1717, dicitur,
uod præclare fuerit inchoata, ſed non plane expedita. De 84.
I. H. Peterſon Epiſtola ad *J. D. Butemeiſterum*, Gœttingæ A.
1722 edita, monetur, quod hæc ſit egregium monumentum,
nde appareat, quam parum in via literarum proceſſerit Autor,
ui non multo poſt, relicto apud Gœttingenſes Paſtoris mune-
e, cum univerſa familia ad Pontificios defecerit. Allegatur 96.
tiam *Hiſtoria de vita & actis D. Mart. Lutheri*, conſcripta a *Phil.*
Melanchthone & aliis, & in lucem data Wittebergæ A. 1552, quæ
aria variorum ſunt hypomnemata hiſtorica, ad *Lutheri* me-
moriam ſpectantia, *Melanchthonis* nempe, *Jonæ*, *Mich. Cælii*, *Jo.* 163.
Bugenhagii, &c. omnia lectu digna. De *J. J. Schmidii* Hiſtorico
Biblico dicitur, quod opus magis idoneum fuiſſet, ſi Biblio-
theca locupletiore Autor fuiſſet inſtructus, quales ſoleant eſ-
ſe in Pomerania infrequentiores. De *Jo. Botſacci* Prom- 168.

Digitized by Google

tuario allegoriarum notat, quod ſit juvenile ſcriptum, ſed ejusmodi, ut ex eo multum utilitatis & ornamenti capere poſſit, qui orationes ſacras quaſi ſtellulis illuſtrare ac diſtinguere geſtiat, dummodo eodem ſobrie, & verecunde, &
Pag. 192. cum judicio, ſciat uti. Ad *Martini Del-Rionis* Adagialia ſacra, Lugduni A. 1614 typis exſcripta, dicitur, quod ſit opus eruditum, arduum, nec cuivis, etiamſi ſe ruperit, expediendum; in quo MCCC loca S. S. obſcura explanentur ex indole linguæ ſanctæ & parallelismo locutionum ſimilium, in Autoribus ſacris & profanis obviarum, iisque editis atque ineditis. Quod adagiis V. T. adagia N. T. non addiderit, neque illis ultimam manum impoſuerit, fato eſt tribuendum, haud
201. ejus ſocordiæ. *Theodori Thummii* Tr. *de Feſtis Judæorum & Chriſtianorum*, editus Tubingæ A. 1634, dicitur opus affectum, non confectum, quod tantum abſit a perfectione, ut primæ li-
207. neæ vix appareant. Ex *C. S. Georgii* Sopherim, qui liber prodiit Wittenbergæ A. 1724, patere creditur, quam πολύσημα ſint Ebræorum vocabula, & quantæ ſit molis, vel unico tantum verbo exactam dare lucem. M. *G. F. Hagen* in libello *de pronuntiatione Ebræorum*, Halæ A. 1731 emiſſo, dicitur ſuperflua tam ſtudioſe perſequi, ut jurares, ex neceſſariis nihil reſta-
249. re, ubi exercere queas induſtriam. Dum *Bunemanni Lactantius* laudatur, notæ peregriæ vocantur, ut, ſi dixeris, hanc editionem reliquis omnibus palmam præripere, nihil fortaſſe dixeris a veritate alienum. Editor appellatur in conferendo contextu maxime induſtrius, in variis lectionibus dijudicandis modeſtus, in eligendo cautus, in mutando verecundus & timidus, atque earum formularum in-
303 ſeq. ſuetus, quæ familiares ſolent eſſe Criticis. Ad *Joach. Oporini Erlaeuterte Lehre der Ebraeer und Chriſten von guten und bœſen Engeln*, qui liber Hamburgi A. 1735, 8, editus eſt, variæ laudes ex merito adjunguntur, illiusque & hiſtorica & dog-
419 ſeq. matica excellentia prædicatur. Neque minus cum judicio laudantur *Jo. Andreæ Buttſtett Betrachtungen über die*
473 ſeq. *Unempfindlichkeit des Glaubens*; ut & *Car. Gottlob Hoffmanni de genuina lingua Græca modulatione ſine accentibus* Commenta-

nentatio, Lipſiæ A. 1733 excuſa. Ubi quidem B. Autor addit, optandum eſſe, ut, quæ hodie apud eruditos quampluri-mos in ſcriptione eviluit accentuum Græcorum autoritas, etiam in pronuntiatione vileſceret. Plane enim explora-tum eſſe, eos ante *Ariſtophanis* Byzantii tempora, qui Seculo II ante C. N. floruit, uſurpatos non fuiſſe, & Secu-lo demum VII poſt C. N. adhibitos a librariis. Plura ex doctrina de accentibus παράδοξα naſci, e. g. eandem ſylla-bam & brevem eſſe & longam, modulationem linguæ Græcæ tolli, plura fieri in S.S. δυσνόητα, cujus rei in teſtimonium *Marc. XI, 13*, allegavit, ubi pro ὂυ legi malit ἒυ, explicans: *denn bey dieſem Feigenbaum wars Zeit, daſs er hætte Feigen tragen ſollen.* Vel ex iſtis ſpeciminibus, & laudare noviſſe *Rei-nannum*, & vituperare, & judicare, patebit. Quodſi quis ad-diderit, ipſum & errare potuiſſe; neque id nos omnino negamus, neque, cum ſit mortuus, temere affirmamus.

JOANNIS VOGT CATALOGUS HISTORICO-criticus Librorum rariorum, jam curis tertiis recogni-tus, & copioſa acceſſione, & ſymbolis, & collatione Bi-bliophilorum per Germaniam doctiſſimo-rum, adauctus.

Hamburgi, ſumtibus Chriſtiani Heroldi, 1747, 8.

Alph. 2 plag. 2.

Proſperos ex merito habuit ſucceſſus *Jo. Vogtii*, templi cathedralis, ſive ad D. *Petri*, apud Bremenſes Paſtoris fideliſſimi, ac Theologi ſenioris, hic ipſe librorum rariorum index. Non laudes ſolum Autori, ſed & imitationem alio-rum ſtudiumque ſupplendi, peperit. Solum *Da-nielem Gerdeſium* nominamus, his noſtris dictis ut con-ſtet fides. Sed teſtis quoque nominari poterit repetita iſthæc editio, non omnino indigna, cujus & hic repetamus commemorationem. Præfixit iterum ac ſupplevit Autor ἀξιώ-ματα hiſtorica & critica de librorum raritate, poſtquam

Digitized by Google

eadem *Sam. Engel*, in Republica Helveto-Bernenſi Bibliothecarius primarius & doctiſſimus, egregie cribrarat, ac elegantiſſimis obſervationibus illuſtrata, in limine *Catalogi librorum in omni genere rariſſimorum* velut inſtaurarat; quæ & obſervationes & nova criteria hic leguntur. Multorum ſimul autoritatibus confirmatur, a libri raritate argumentum de illius præſtantia minime petendum eſſe, atque allegantur *Clericus* in *Bibl. ancien. & modern. T. VII pag. 3*, & in Præf. *Artis criticæ* ed. A. 1712, *Heumannus* in *Conſp. rei publ. liter. Cap. VI §. 11*, & *Beytræge zur critiſchen Hiſtorie der Deutſchen Sprache Tom. VII pag. 492.* Ipſa ſpecimina promiſcua ſecundum ordinem literarum, quo conſignatus eſt index, adjungemus. Inter *Nic. Abrami*, in Academia Muſſiponti ſacrarum literarum interpre-
Pag. 2. tis, ſcripta non ſine cauſa nominaverat ſingulatim *Gerdeſius Epitomen rudimentorum linguæ Hebraicæ, verſibus Lati-*
39 ſeq. *nis breviter comprehenſam. Apocalypſin reſeratam*, Elbingæ editam, refutatam eſſe, memoratur, a *Jo. Ge. Seldio* &
53 ſeq. *Jo. Henr. Urſino*, allegatis *Symbolis literariis*, Bremæ editis, *T. I pag. 584. Ariſtotelis* theologiam, ſeu myſticæ Ægyptiorum Philoſophiæ Libros XIV, Romæ A. 1518 in 4 editos, forſitan nunquam exſtitiſſe, putavit *E. S. Cyprianus* in Diſſ. *in illud Tertulliani: Hæreticorum patriarchæ Philoſophi, pag. 12*; contrarium autem docent & *Jo. Alb. Fabricii Biblioth. Græc. T. II pag. 162 ſeq.* & *Merckwürdigkeiten der Dreſd. Biblioth. T. I*
103. *pag. 238 ſeq.* Ad interpretationem ſanctiſſimarum literarum Germanicam, Wittenbergæ A. 1526 editam, additur, quod ſine dubio hæc omnium prima & rariſſima ſit editio, quæ exſtat in Bibliotheca *Frid. Chr. Leſſeri*, Paſtoris Nordhuſani, cujus
190. de eadem relatio inſerta legitur *Tomo III der Hamburg. vermiſchten Biblioth. pag. 370 ſeq. Champ Fleury auquel eſt contenu l' Art & Science de la deue & vraye Proportion de Lettres Attiques, qu' on dit autrement Lettres antiques, & vulgairement Lettres Romaines, proportionnées ſelon le corps & viſage humain*, liber Pariſiis A. 1529 in 4 vulgatus, adjectam habet obſervationem, quod ſit liber notatu maxime dignus, & inventu

ventu rariſſimus, copioſe autem deſcriptus in *Maittairii Annal. typograph. T. II pag 551 ſeq.* & in *Notabilibus Bibliothecæ Dresdenſis T. II pag. 62. Eman. Chryſoloræ Erotemata linguæ Græcæ*, in compendium redacta a *Guarino* Veronenſi, & cum vita ejusdem per *Ponticum Vironium* Ferrariæ A. 1509, 8, edita, ipſa raritate eſſe rariora dicuntur, quod & probant *Menagiana T. III pag. 38, Maittairii Annales T. II pag 202 ſeq.* & *Bunemann* in *Catalogo libror. rariſſ. pag. 109*, ubi pretium viginti thalerorum huic libro conſtituitur. Repetitæ vero editiones indicantur in *Jo. Chr. Mylii Memorab. Biblioth. Jenenſ. pag. 219 ſeq* Ita & ſe habet *Wolframs von Eſchenbach Heldengedicht von Parzival und Tyturell*, 1477, in fol. quod antiquiſſimum & rariſſimum Poeſeos Germanicæ monumentum olim ſe in Bibliotheca Wittenbergenſi evolviſſe, confirmat Autor. Exſtat id etiam in Bibliotheca Paulina Lipſienſi, ut patet ex *Joach. Felleri* Præf. ad *Jo Gerhard geiſtlich Andachten, in Deutſche Verſe gebracht von Tob. Richtern*, & Cel. *Jo. Chr. Godſchedii* Progr. *de rarioribus nonnullis Bibliothecæ Paulinæ Codicibus. Mich. Meiſneri Syntagma* jure pariter laudatur. Cujus cum hic contrahantur tituli, unde forſitan errorem ſibi concipere poſſunt lectores, cumque, inter alios hujus generis, bis ad manus ſit iſte libellus; obſervare licebit, quod jam anno 1622 ineunte fuerit editus, & titulus, qui annum habet 1623, recens cum ſequentibus paginis nonnullis adjectus. Docet id iisdem incluſa *Caſp. Barthii* epiſtola, & ipſe annus, tertio titulo additus. Primus habet: *Mich. Meiſneri* Syntagma ſuper annotamentis Philologorum; interjecta Diatriba de ſtigmatis, præſcripta epiſtola *Caſpari Barthii & Joſephi Scaligeri*, impenſis *Zach. Schureri*, typis *Pfeilſchmidiis*, anno Chriſtiano 1623. *Scaligeri* autem non eſt epiſtola, ſed Diatriba de Critica ad V. Cl. *P. Scriverium*, ex muſeo *Joach. Morſii*. Alter titulus eſt antiquior: *Michaelis Meiſneri Syntagma philologicum de annotamentis Criticorum, ſive de notis ſententiarum, cui adnatum Apoſpaſma*. Hoc novum habet titulum,

Pag. 197. 266. 451.

paginarum indiciis nihilo minus continuatis : *Michaelis*
Meiſneri Apoſpaſma philolologicum de notarum ſignis, illuſtra-
tum exemplis Græcis Catorum & verſione Latina Corculo-
rum. Hoſii Variſcorum, ex officina Pfeilſchmidiana, anno
Pag. 556. *MDCXXII.* Ad *Humfredi Prideaux Marmora Oxonienſia, ex*
Arundelianis, Seldenianis, aliisque, conflata, Londini A. 1677
575. fol. allegatur, ut alias ſæpe, præconium ex *Catalogo Hiſto-*
ricorum Freſnoio-Mencken. pag. 11. Dum liber ſatiricus *Hu-*
gonis a Frimberg, der Renner, Francof. A. 1549 fol. editus, me-
moratur, & abuſus indicantur, quos taxat, variique
Codices manu ſcripti adduntur, non immerito laudan-
tur *Morhofius de Lingua & Poeſi Germanorum, Jo. Chr.*
Gottſched in Progr. *de rarioribus nonnullis Bibliothecæ Pauli-*
næ Codicibus, Lipſ. 1746, *pag. 10 ſeq. Jo. Lud. Hæckerus* in
Catal. Biblioth. Heilbronnenſis pag. 71 ſeq. quibus forſitan ad-
jungi poteſt Cl. *Oetterus*, Conr. Erlang. in Comm. *de*
Poetis quibusdam medii ævi Teutonicis, inprimis de Hugone
577. *Trienbergo, Franco, ejusque Satyra, vulgo Renner dicta. Pe-*
tri Jo. Reſenii Edda antiqua, cum verſione antiqua *Ste-*
phani Olai, parochi in Islandia orientali, ejusque & *Gud-*
mundi Andreæ Scholiis ; & recentior *Snorronis*, cum ver-
ſione Danica & Latina, a *Magno Olai* confecta, additis va-
riis lectionibus & notis exegeticis, Hafniæ A. 1665, 4, dici-
tur liber inter exteros rariſſimus, de quo conſuli poſ-
ſunt *Jo. Mollerus* in *Iſagoga ad Hiſt. Cimbr. P. II pag. 5 ſeq.*
M. Beronius in *Diſputationibus de Eddis Islandicis,* Upſal.
1735, 4, atque inprimis Ccl. *Bruckerus* in *Hiſt. crit. philoſ.*
680. *T. I pag. 326 ſeq.* Ad *Tograi*, Poetæ Arabis doctiſ-
ſimi, Carmen Arabicum, una cum verſione Latina & no-
tis, praxin illius exhibentibus, opera *Eduardi Pocockii,*
Oxon. 1661, 8, obſervatur, quod iſte liber perrarus in *The-*
ſauro bibliothecali recenſeatur *T. II pag. 67*, quodque idem
Poema, cum verſione Latina *Jac. Golii*, ex ejusdem Codice
manu ſcriptum, a *Matth. Ancherſen* cum Præfatione ac Notis
Traj. ad Rh. A. 1707, 8, editum, quinque ſolum exemplaribus
exceptis, perierit ; quem in finem allegantur *Act. Er. Supplem.*
T. IV

Digitized by Google

T. IV pag. 156. Ubi demum *Waſſenbergii Florum* commemoratum videmus, dubitare nos, fatemur, utrum ſit *Elzevirianam* inter atque Francofurtanam editionem, quæ nobis ad manus eſt, differentia, nec ne, quando & paginæ omnino conſentiunt, & literæ cum ejus temporis Belgicis conveniunt, & parum veroſimile videtur, librum, eodem anno ter editum, adeo deinceps rarum eſſe factum. Quæ enim Cel. Editori ad manus eſt Dantiſci impreſſa, duplicem ac diverſum titulum, nec minus paginas 718, habens, cum noſtra ſaltem paginas 706, forſitan ob figuras, contextui impreſſas, tertia dicenda eſt. Noſtra ſolum æri inciſum titulum habet: *Der Ernewerder Teutſche Florus Waſenbergs mit Animadverſionen, Additionen, und Correctionen, deren in vorigen eingeruckten, ungleichen Hiſtorien verbeſſert, der Warheit reſtituirt, und biſs Anno 1647 continuirt, Franckfurt, bey Anthoni Hummen.*

C. VELLEJI PATERCULI QUÆ SUPERSUNT EX HISTORIA Romanæ Voluminibus duobus. Cum integris Scholiis, Notis, variis lectionibus, & animadverſionibus doctorum. Curante PETRO BURMANNO. Editio ſecunda, auctior & emendatior.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmannum, 1744, 8 maj. Alph. 2 plag. 11.

Magna eſt in utramque partem de *Vellejo* literatorum diſceptatio. Alii & ſtilum ejus & autoritatem in locum evehunt ampliſſimum; alii & illum deprimunt, & humillimæ adulationis accuſant Autorem. Ut ubique inter exceſſum ac defectum in medio conſiſtit virtus; ſic optimum eſſe arbitramur, non quidem aurei ſeculi, at in argenteo principem tamen aliquem, ſcriptorem noſtrum venerari; adulationem autem agnoſcere quidem, ſed, prout tunc erant tempora, excuſare potius, quam damnare. Hac ratione verum *Vellejo* pretium ſtatuere, quæque in ipſo evolvendo cautiones ſint adhibendæ, facili negotio diſcemus. In ordinem ipſum includet ſtili cultor; accuratius omnia expendet ſecundum veriſimilitudinis regulas Hiſtoricus; uterque tamen non ſine ſingulari fructu evolvet. Inde & nos, neque repetitam illam editionem, cramben alioqui

Digitized by Google

alioqui bis coctam nauſeantes, commemoratione noſtra indignam judicamus. Differt eadem ab antecedentibus & emendatione, & novarum quarundam annotationum adjectione. Notæ recentiores vel breve locorum, in quibus de *Velleji*, quibus ſubjiciuntur, verbis late diſputatur, indicium continent; vel ex notis,a nupero Editore, jam defuncto, ad famam vero quod attinet, immortali, margini adjectis, & a Clariſſimo ipſius filio *Caſparo Burmanno*, cum Bibliopola communicatis, ſunt deſcriptæ. Non ita easdem, quamvis perpaucas ac perbreves, comparatas eſſe exiſtimamus, ut aliquid indidem hic excerpere aut liceat, aut deceat: attamen, quo vel nonnihil dixiſſe videamur, eorum in gratiam, quibus antecedens editio non ad manus eſt, ordinem operis uno, quod ajunt, verbo indicabimus. Ante *Velleji* contextum inveniuntur breve *Luchtmanni* monitum, dedicatio de anno 1729, *P. Burmanni* Præfatio, elogia & judicia de *Vellejo*. Ipſi contextui ſubjiciuntur animadverſiones, de quibus, ut & variis *Velleji* editionibus, in Præfatione *Burmanniana* notitia quædam ſuppeditatur, ipſius *Burmanni*, *Schegkii*, *Lipſii*, *Cellarii*, *Auſonii*, *Popmæ*, *Hudſonii*, *Voſſii*, *Gruteri*, *Manutii*, *Bœcleri*, *Acidalii*, *Puteani*, *Rhenani*, *Burerii*, *Heinſii*, *Boxbornii*, atque aliorum. Agmen denique claudunt *Andreæ Schotti* in *Vellejum Paterculum* & *Jul. Frontinum* de Coloniis notæ, Annales *Vellejani*, ſeu vita *Velleji Paterculi* pro temporum ordine diſpoſita, ab *Henr. Dodwello*, dedicatio *B. Rhenani*, qua *Friderico*, Principi Saxonum Electori, editionem ſuam conſecravit, vita *Velleji*, Autore *Rhenano*, *Burerii* Præfatio, *Lipſii* dedicatio, *Velleji* vita & Præfatio, *Bœcleri* Præfatio duplex, *Nic. Heinſii* dedicatio ac Præfatio, excerpta ex opere *Gerh. Jo. Voſſii* de *Velleji* vita & ſcriptis, quibus cur, quæ Cel. *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibl. Lat.* ſcripſit, non ſint adjecta, ignoramus. Sed, ut in variis iſtis ſcriptis atque annotationibus præfixis, inſertis, ſubjunctis, ad ravim quædam inculcantur ac repetuntur, quædam omnino propoſitum non tangere videntur, ubi tamen in magis utilibus nonnunquam deſtituimur; ita maximam ſane laudem & gratiam meretur index rerum ac verborum, tam accuratus, quam copioſus, cui & notabiles potiſſimum animadverſiones haud raro immixtas habemus. In notas quoque *Vellejanas* index adeſt nequaquam contemnendus. Poſtremo neque typographia *Dammeana* quidquam vel nitoris, vel operæ, deſiderari paſſa fuit. Hinc, cum non niſi communia vitia, ſingulares autem virtutes, iſthæc habeat, una cum antecedenti, editio, inſigne utrique eſſe pretium ſtatuendum, facile patebit.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXLIX.

LITURGIA ROMANA VETUS, TRIA SACRAmentaria complectens, Leonianum ſcilicet, Gelaſianum, & antiquum Gregorianum, edente LUDOVICO ANTONIO MURATORIO, Sereniſſimi Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfecto, ad confirmandam præ ceteris Catholicæ eccleſiæ de euchariſtia doctrinam. Accedunt Miſſale Gothicum, Miſſale Francorum, duo Gallicana, & duo omnium vetuſtiſſimi Romanæ eccleſiæ libri rituales.

Tomi II.

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Paſqualis, 1748, fol. Alph. 9 plag. 21.

Exhauſtum quidem, quod pertractandum ſibi ſumſerat Cl. Autor, argumentum videbatur, quippe ab antiquioribus non ſolum, ſed recentioribus etiam, ſcriptoribus diligentiſſime occupatum, quos inter poſteriores celeberrima Cardinalis *Thomaſii* & *Jo. Mabillonii* nomina eminent, itemque *Bonæ* Cardinalis, qui primas fere inter eos partes tenet. Nec libri deſunt, ritus Miſſæ, in eccleſia Romana uſitatos, curate explicantes, inter quos, ſi a *Benedicti XIV*, ſanctiſſimi Pontificis, liturgicis operibus receſſeris, *Renaudotii*, *Martenii*, *Brunii*, & *Blanchinii*, monumenta

eccleſiaſtica quam maximæ ſunt autoritatis. Multiplices tamen cauſæ Noſtrum excitabant, ut, antiquitatis eccleſiaſticæ amplificandæ, & Romano-Catholicæ circa Miſſam doctrinæ aliquantum confirmandæ cauſa, præſentem in ſe ſuſciperet laborem, ubi hunc ſibi præcipue ſcopum præfixit, ut, ope vetuſtiſſimæ Romanæ Liturgiæ, doctrinam de Miſſa in eccleſia Dei ſtabilem ſemper & nunquam variatam floruiſſe, oſtenderet. *Tomus prior* in limine ponit *Diſſertationes* Autoris de rebus liturgicis, quæ *quatuor*
Pag. 2. *& viginti* abſolvuntur *Capitibus*, quorum *primum de origine ſacræ Liturgiæ* agit, ejus ſcilicet, quæ ritus Miſſæ, aliorumque Sacramentorum, complectitur, de qua nulla plane eſt dubitatio, quin jam Apoſtolis viventibus fuerit, varias exhibens precum formulas, in obeundo Altaris ſacrificio adhiberi ſolitas. Obtorto huc quaſi collo rapit Autor *Act. Apoſt. II*, 42, & *1 Tim. II*, 1, & ex *Juſtino Martyre*, *Tertulliano*, *Cyrillo Hieroſolymitano*, pro more conſueto, teſtimonia quædam
4. adducit, Miſſæ ſacrificium incruentum probantia, quæ quidem nobis, in re propoſita, minus evidentia videntur. Pluribus inde diſputatur contra doctiſſimum *Pe-*
8. *trum le Brun*, ante quintum eccleſiæ Seculum nullam ex Liturgiis, ſive Græcis, ſive Latinis, ſcripto fuiſſe commendatam, aſſerentem, atque negantem, per quatuor,
24. aut quinque, Eccleſiæ Secula Symbolum Apoſtolorum a quodam exaratum fuiſſe, ſed memoriæ tantum traditum. *Caput ſecundum* de *Romanæ eccleſiæ liturgia* agit, quæ qualis fuerit, quatuor primis Eccleſiæ Seculis, in ſacrificio ineffabili, fruſtra quæritur. *Innocentii I* vero temporibus, ut nulla Miſſæ diverſitas in Ordinibus & Conſecrationibus appareret, & inſtituta Apoſtolica integra ſervarentur, ſcripto opus fuit libro liturgico. Quæ itaque tunc temporis in uſu erant, ab Apoſtolis deſcendiſſe credebantur, ita ſcilicet, ut, quicquid ad ſubſtantiam Sacramentorum pertinet, aut in quo præcipua vis ineffabilis ſacrificii ſita eſt, id ab Apoſtolorum ævo ad noſtra uſque tempora ſemper in eccleſia univerſa obſervatum fuiſſe, ſtatuendum ſit.

Nec

ec ulla unquam in eo diſſidia fuerunt inter Latinos & Græ- Pag. 11.
s, aliosque Orientis, fideles, &, licet nunc cernamus,
ter Romanæ eccleſiæ & Græcorum Miſſam non leve
ſcrimen intercedere, in ſubſtantialibus tamen tam Roma- 13.
, quam reliquæ Chriſtiani orbis eccleſiæ, concordes per-
anſere ſemper, nec variationem, ita monente Autore,
bierunt. Cum vero priorum Seculorum Liturgiam
tendere non detur, antiquiora ſaltem illius monumenta
exemplaria prodere juvat, ex quibus *Sacramentarium Leo-
inum*, de quo in *Capite tertio* Autor diſſerere inſtituit,
imo hic loco nominatur. Editum hoc eſt nuper a *Blan-* 16.
inio, primum opinante, a S. *Leone* Papa I hoc fuiſ-
confectum. Res tamen omnis conjecturis nititur, qui-
is ſi ex ſententia Autoris noſtri fidendum ſit, ad San- 28.
i *Felicis III* tempora referendum omnino Sacramentari-
n iſtud videtur, ex quo ſane præſtantiſſimo Sacramenta- 35.
o multiplex eruditionis eccleſiaſticæ ſeges colligi poteſt,
ntiquiſſimo ſcilicet rei liturgicæ ſpecimine. Patet anti-
litatis illius ratio, uti ex aliis rebus circumſtantibus,
: etiam ex feſtis, in eo, aliisque Sacramentariis Roma- 37.
e eccleſiæ, occurrentibus. Nullius Confeſſoris ſolenni-
s ibi viſitur, niſi *Silveſtri* Papæ, cujus tamen nomen vel 38.
ſo Seculo Chriſti quarto additum videtur. Nulla ibi
nentio fit inventionis & exaltationis ſanctæ crucis; nulla
ſumtionis, aut nativitatis, Deiparæ, &, quod præcipue
neminiſſe juvat, index feſtorum, hic deſcriptorum, cum
ucheriano convenit Calendario, circa medium Seculum
uartum, ut putatur, exarato. Utrumque una cum *Gelaſia-* 45.
o & antiquo *Gregoriano* oculis ſubjicitur lectorum, ut,
ua conveniant, quave diſcrepent parte, facile invenire
ceat. In *Capite quinto* de *Sacramentario Gelaſiano* diſſeritur, 51.
e quo antiqua monumenta nihil habent, niſi *Gelaſium I*
ontificem anno Chriſti circiter 495 confeciſſe Sacra-
nentorum Præfationes & Orationes cauto ſermone. Infi- 53.
ias tamen ire nemo poterit, poſt *Gelaſium* additamenta
uiſſe facta, quod quidem non obſtat, quo minus Autor

 illius

Digitized by Google

Pag. 54. illius dicendus ſit S. *Gelaſius.* Hinc acriter pugnat contra *Jacobum Baſnagium* & *Chriſtophorum Matthæum Pfaffium*, antiquitatem hujus operis *Gelaſiani* impugnantes, at-
63. que ad Seculum decimum referentes. De *Sacramentario Gregoriano Caput quartum* monet, a S. *Gregorio Magno* coarctatum fuiſſe Sacramentarium *Gelaſianum*, atque in eum redactum ordinem, qui deinceps in Romana eccleſia ad noſtros uſque dies obſervatus eſt, additamentis tamen non paucis, ſed levibus identidem, factis, quibus quidem nihil ſubtractum fuit ſubſtantiæ *Gregoriani* fœtus. An Codex aliquis ſuperſit, purum ac genuinum *Gregoriani* Sacramentarii textum exhibens, recte dubitat Autor, & editiones ejus, ac prærogativas ſingularum, recenſet, additisque rebus criticis, circa textum verſantibus,
78. ſtatuit tandem, nec in Codice Vaticano, nec in Othoboniano, genuinum exhiberi Sacramentarium, quale
84. e S. *Gregorii* manibus prodiit. *Caput ſeptimum* diſquirit, in quonam olim ſita fuerit *varietas utentium Liturgia Romana*, ubi in univerſum tenendum eſſe, obiter præcipit, poſt Concilium Tridentinum Liturgiam omnium Catholicarum in Occidente eccleſiarum ſtabilem conſecutam fuiſſe unionem, excepta *Ambroſiana* eccleſia, diverſitatemque illius a Romana, in incruento ſacrificio, potiſſimum reſpicere Orationes, ſive Collectas, & alias Epiſtolarum ſacrarum atque Evangeliorum Lectiones, & complurium Præfationum uſum. In angulo pariter Toletanæ civitatis locus relinquitur *Mozarabicæ* vetuſtæ Liturgiæ. Antiquis etiam temporibus non mediocris varietas in *Miſſalibus* eccleſiaſticis deprehendebatur, quæ vero ſubſtantiæ myſterii, atque eſſentialibus præcipuisque ritibus Miſſæ, nihil officiebat,
86. quod alii jam docuerunt viri doctiſſimi, & a Noſtro ſpeciminibus quibusdam probatur. Enarrantur dein ritus quotidianæ Miſſæ, ex Codice Mutinenſis eccleſiæ,
98. ante annos ſexcentos ſcripto, ſumti, ut lectores exemplum
101. habeant eorum, quæ barbaricis temporibus in ſacris fuerint uſitata. *Octavum Caput* explicat, quid Romanæ eccle-

ſiæ

æ adverſarii adverſus Miſſam & Euchariſtiam moliti ſint.)ocet hic Autor doctiſſimus, veteres Liturgias has, præter eliquas, habuiſſe prærogativas, quod dogmatum larga con;eries in iis deprehendatur, ubi ex tot orationibus, ritiɔus, & cerimoniis, dignoſci facile queat, quid a tot Secu.is eccleſia orthodoxa de Unitate ac Trinitate Dei, de divi.ıitate, incarnatione Chriſti, reliquisque fidei partibus, ſenſerit. Nam, quæ ibi dogmata occurrunt, non unius privati doctoris ſententiæ ſunt, ſed univerſæ illius eccleſiæ, quæ iisdem liturgiis utebatur. Idem eſt tenendum de Sacramentariis, in quibus Catholica de Sacramentis continetur doctrina. Contra hanc *Binghamus*, Britannus, inſurgens, & potiora Catholicorum dogmata aut diſſimulans, aut damnans, cum reliquis Proteſtantibus, oppugnatur, in rebus ſcilicet notiſſimis, maximeque controverſis inter di- Pag. 107.
verſos fidei ſocios, de reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia, de transſubſtantiatione, & reliquis, huc facientibus, quæ omittere juvat, ne cramben, vel centies recoctam, apponamus. Preſſius inſiſtit veſtigiis 119.
propoſiti a ſe argumenti Autor, & *Capite nono* dicere aggreditur, *quid veteres Romanæ Eccleſiæ Liturgiæ de Euchariſtia tradant*. Docet hic primo, differre mores Romanos a Græcis, poſt recitationem verborum inſtitutionis Spiritum S. invocantibus, ut illabens in dona efficiat cor- 120.
pus & ſanguinem Chriſti. Verum enim vero a nonnullis Catholicis graviſſimis rationibus fuit oſtenſum, nequaquam tolerandos eſſe Græcos, niſi palam fateantur, ex unis Domini verbis integram ſequi transſubſtantiationem. De ipſa tamen præſentia reali in Euchariſtia, deque mutatione, ſeu transſubſtantiatione, nulla unquam inter Occidentis & Orientis eccleſias diſcordia & concertatio fuit. Probatur dein ex Liturgia, ſacerdotes petere, ut ſacra dona fiant 121.
corpus & ſanguis Domini non ficte, nec metaphorice, ſed realiter, ita, ut convertantur in corpus & ſanguinem. Petitio enim nititur omnipotentia Dei, cui id poſſibile eſt, & exemplo Chriſti, qui idem in Cœna præſtitit. Nega- 123.

Digitized by Google

tur hinc, & fabulis accenſetur, *Paſchaſium Ratbertum* pri-
mum fuiſſe, qui realitatem corporis & ſanguinis Chriſti
in Euchariſtiam, ut plurimi ſtatuunt, intulerit. Dicitur
hoc omne commentum ex eo confirmandum facile, quod
conſenſum omnium eccleſiarum pro ſua ſententia addu-
xerit *Ratbertus*, neque ſit inventus, qui huic aſſenſioni
contradixerit. Sic Romana etiam Liturgia, ante *Paſchaſii*
certo tempora uſitata, ſacrorum donorum mutationem,
& realem præſentiam rerum inviſibilium, infert, dum
Pag. 125. ſenſus literalis *Fiat corpus* eo proxime valeat. Huc refe-
runtur verba ex Sacramentario *Gelaſiano* atque *Miſſali Fran-*
corum, ubi ad ordinationem Presbyterorum imploratur Deus:
ut purum & immaculatum miniſterii tui donum cuſtodiant,
& per obſequium plebis tuæ, corpus & ſanguinem filii tui
127. *immaculata benedictione transforment.* Idem fit in reliquis,
ad ritus eccleſiæ Romanæ ſpectantibus, libris. *Caput deci-*
130. *mum conſenſum Ambroſianæ eccleſiæ cum Romana* in doctri-
na de Euchariſtia urget, ſiquidem ex Canone antiquo
135. Miſſæ Ambroſianæ in Cœna Domini conſtet, converſionem
atque immutationem, ſive, ut nunc loquuntur Romanæ
eccleſiæ aſſeclæ, transſubſtantiationem, panis & vini in
Euchariſtia, fuiſſe in eccleſia Mediolanenſi creditam, quæ
141. ex Miſſali etiam Gothico, Francico, & Gallicano
vetere, in *Capite undecimo* ab Autore pari diligen-
146. tia, ut priora, deſcripta fuit. Neque alia fuit do-
ctrina *Mozarabicæ* Liturgiæ, qua per tot Secula uſæ fue-
148. runt Hiſpaniarum eccleſiæ. *Caput duodecimum* de *Orienta-*
lium eccleſiarum Liturgiis cum Romana conſonis agit, ubi
149. iterum iterumque contra *Binghamum* acerbe diſputatur.
Inter ea ita argumentatur Noſter: *Si in Euchariſtia reali-*
ter adeſt, & ſumitur corpus Chriſti, neceſſario ſequitur,
converſum fuiſſe in illud panem. Sed unusquisque facile vi-
det, conſequentiam illam neceſſariam non eſſe, dum con-
junctim cum pane & realiter cum eo ſine transſubſtantia-
tione adeſſe poteſt, & vere ita adeſt, quod vel ſenſus, gu-
ſtus ſcilicet, olfactus, & viſus, abunde docent. Teſtimo-

nia

nia ex *Theodoreto*, *Ephraem Antiocheno*, aliiſque, adducta, Pag. 150.
non neceſſariam involvunt panis immutationem, uti ſæpe 156.
multumque hac de re inter Proteſtantes & Romanæ eccle-
ſiæ ſocios diſceptatum fuit. In *ſequentibus duobus Capiti-* 159.
bus idem transſubſtantiationis dogma ex *Liturgiis orientali-*
um Chriſtianorum, ſive Græcorum, ſive Syrorum, item- 170.
que ex *Liturgiis* Ægyptiis, confirmatur, quibus *Habiſſino-*
rum, ſive *Æthiopum*, additur conſenſus, & nonnulla contra 176.
Jobum Ludolphum hac de re monentur. *Caput decimum*
quintum totum contra *Samuelem Baſnagium* eſt directum, in 180.
quo dogmata ejus, adverſus transſubſtantiationem propoſi-
ta, ab Autore refutata leguntur. Ex his Autor ad eam 193.
decidendam prolabitur quæſtionem, an Sacrificium in ſacra
Miſſa verum ex vetuſtiſſimis eccleſiarum Occidentalium Li-
turgiis confirmari poſſit, quod agere inſtituit in *Capite de-*
cimo ſexto; cujus initia contra *Lutherum* tam dura ſunt,
ut *Muratorium*, hoc eſt, Virum humanitatis nomine du-
dum omnibus laudatum, vix agnoſcas, cum ſcribit, *Lutherum,*
a diabolo edoctum, *Sacrificium e ſacra Miſſa abrogaſſe*. *Ca-* 202.
put decimum ſeptimum conſenſum *orientalium eccleſiarum de*
vero Sacrificio in Miſſa urget, cui in *Capite ſequenti* confir- 211.
matio ex priorum Seculorum Liturgiis, a Patribus propo- 214.
ſitis, additur. Ibidem in *Lutherum* impie Autor invehitur, ſo- 227.
lam N. T. autoritatem, non Patrum ſcripta, hac in cau-
ſa, & recte quidem, ſequi volentem. Per *Caput decimum*
nonum adoratio Euchariſtiæ ex Liturgiis & Patrum teſti-
moniis confirmata proponitur, & contra novitatem, ritui 236.
huic objectam, diſputatur, quibus omnibus in *Capite vi-*
geſimo alii inſuper ritus, in controverſiam venientes, ad-
duntur vindicati. Pertinet huc *Confeſſio generalis* peccato- 246.
rum ſuorum, ac populi adſtantis, a Sacerdote ad altare 248.
adſcendente facta, & quæ ſunt huic confinia, in hoc & *ſe-*
quenti Capite propoſita, atque contra Proteſtantes vindica- 256.
ta, quatenus ex Miſſæ Romanæ ritibus id fieri potuit. In
Capite vigeſimo ſecundo de *invocatione & commemoratione*
Sanctorum in Liturgia, a Proteſtantibus improbata atque
damnata, agitur, ita, ut antiquus in Eccleſia Dei, omni-
umque

Digitized by Google

umque Liturgiarum conſenſus urgeatur, qui, recte coli San-
Pag. 257. ctos, ad cœleſtem patriam translatos, docet, ut in eis honoretur & glorificetur Deus, per cujus gratiam & dona ſanctam illi duxere vitam, aut pro Chriſto tormenta
270. ac mortem ſuſtinuere, dignique cœleſti beatitudine ſunt facti. *Caput vigeſimum tertium* de *aſſervato poſt ſancta myſteria corpore Chriſti*, & de heterodoxis, abutentibus in hanc rem *Heſychii Hieroſolymitani* verbis, exponit, contra *Binghamum* aliosque acriter diſputante Autore, qui in *ſe-*
280. *quenti*, eodemque *ultimo*, *Capite* de reverentia corpori Chriſti poſt ſacrificium aſſervato, præſtita, ejusque corporis publica expoſitione & circumgeſtatione in ſacris ſupplicationibus, nonnulla addit, & contra adverſarios eccleſiæ ſuæ antiquitatem hujus ritus propugnare ſtudet. Poſtea ſequitur *Sa-*
293. *cramentarium Leonianum*, ſive Liber Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, a Sancto *Leone* Papa I, ut videtur, con-
483. fectus, ex Codice, ante mille annos conſcripto, qui exſtat in Bibliotheca Capituli Veronenſis, typis hic expreſſus, atque ad finem usque *prioris Tomi*, cum *Sacramentario Gelaſiano*, ex editione Cardinalis *Thomaſii* deſcripto, excurrens.

Tomum ſecundum Liturgici hujus Operis conficit impreſſum *Sacramentarium Gregorianum*, ſive Sacramentorum ordo, a S. *Gregorio I* Papa compoſitus, ex Codice Vaticanæ Bibliothecæ, ante nongentos annos exarato; quem excipit *Miſſale Gothicum*, *Francorum*, & *Gallicanum vetus*, ſingula nongentis annis vetuſtiora, cura & ſtudio *Joſephi Mariæ Thomaſii* olim evulgata, & typis hic expoſita. Agmen denique claudunt *antiqui duo libri rituales* ſanctæ Romanæ eccleſiæ, a *Mabillonio* jam olim editi. Ceterum notamus, ſpecimina quædam characterum, æri inciſa, huic Operi ad conciliandam majorem dignitatem eſſe adjecta.

S. S. PATRUM APOSTOLORUM, BARNABÆ, HERMÆ, CLEMENTIS, IGNATII, Opera genuina, una cum IGNATII & POLYCARPI Martyriis, Verſio-

nibus

Digitized by Google

*bus antiquis ac recentioribus, variantibus lectioni-
us, ſelectisque variorum notis, illuſtrata. Acceſſe-
int S. IGNATII Epiſtolæ, tum interpolatæ, tum ſup-
poſititiæ, cura RICHARDI RU-
SEL, A. M.*

Volumina II.

Londini, apud Guil. Ruſſel, 1746, 8 maj.

Vol. I Alph. 1 plag. 18, Vol. II Alph. 1 plag. 20 ½.

Patrum primævorum ſcripta inſignem afferre futuro Theologo utilitatem, nemo facile in dubium vocare poteſt, cum ex illis appareat, quæ doctrina proximis ab internuntiorum Chriſti temporibus obtinuerit, & quibus ritibus atque cerimoniis primi Chriſtiani in cultu ſacro obſecundaverint. Quod cum probe intelligeret Cl. Editor, quo commodis illorum conſuleret, qui eximium illud, ſimul tamen pretioſum, Opus *Cotelerianum* ſibi comparare non poſſunt, conſtituit, primorum doctorum Chriſtianorum ſcripta, amplioribus annotationibus in arctum compulſis, & ſpuriis nonnullis, quæ *Cotelerius* exhibet, plane omiſſis, de novo publicare. Eſt enim in illa ſententia, quæ etiam probanda omnino, in lectione Patrum inde ab antiquiſſimis initium eſſe faciendum, ſcriptorum puriorum autem, ſi etiam ætatem genuinorum attingant, lectionem ſemper eſſe poſtponendam. Inde recenſet Codices MStos & editiones Scriptorum, qui in præſenti faſce exhibentur. *Barnabæ* Epiſtolam cum notis *Hugonis Menardi*, Monachi Congregationis S. *Mauri*, e Cod. MSto primus omnium dedit *Lucas Dacheri* A. 1646, 4. Quam editionem, quoniam ex uno dimanavit Codice, inemendatiſſimam pronuntiat *Iſ. Voſſius*, qui novam ad trium Codicum fidem publicavit Amſtelodami A. 1646, 4, quam aliæ ſunt ſecutæ. In hac Collectione exhibet illam, quæ reperitur in ultima editione *Coteleriana*, cum interpretatione antiqua Latina, itemque *Co-*

Digitized by Google

telerii, notis *Menardi*, *Voſſii*, & *Cotelerii*, contractis, interſperſis brevioribus *Felli*, *Bernardi*, *Wakii*, *Daviſii*, & *Clerici*. *Hermæ* Paſtor hic pariter comparet, qualis conſpicitur in ultima *Coteleriana* editione, textus ſcilicet Latinus, & quæ illius Græca ſuperſunt, additis ſelectis notis *Cotelerii*, *Felli*, *Clerici*, pariterque variantibus lectionibus, adjectis paucis annotationibus *Wakii*, nunc primum prolatis. *Clementis Epiſtolas* plures dederunt, quorum editiones ordine enarrantur. Has repetiit Noſter, ſecutus ſuperiores editiones, easque emendatiores, *Cotelerianam* maxime poſtremam. Textui Græco prioris Epiſtolæ, cum variantibus lectionibus a ſiniſtra collocato, ex adverſa parte reſpondet verſio *Coteleriana*, ſubjicitur minore forma utrinque *Juniana*, a Cl. *Fello* recenſita, cum *Wottonianis* variationibus, in margine poſitis. Subjiciuntur doctorum virorum annotationes, partim contractæ, partim integræ. Hæc inſunt *Volumini primo*. In *altero* occurrunt *Ignatii* Epiſtolæ genuinæ Græcæ, quæ eodem hic ordine diſponuntur, quo in Codice Mediceo Latinæ, uti in duobus MStis veteris interpretis *Uſſeriani*. Textus Græcus, ex ſuperioribus editionibus emendatus, una cum lectionibus variantibus, in ſiniſtris paginis eſt exſcriptus, cui in dextris interpres vetus ubique reſpondet, *Cotelerii* verſione utrique ſubjecta, in cujus locum in Epiſtola ad *Romanos* verſio *Clerici* ſubſtituitur, inferius poſitis notis *Uſſerii*, *Voſſii*, *Cotelerii*, & *Clerici*, quibus *Pearſonii Smithii*que annotationes, hic primum comparentes, adduntur. S. *Polycarpi* Epiſtola ſecundum ultimam *Cotelerianam* eſt deſcripta, additis Scholiis & annotationibus *Thomæ Smithii*, in *Coteleriana* a *Clerico* prætermiſſis. Excipit hanc S. *Ignatii* Martyrium, *locupletius multo*, ut Editor loquitur, *emendatius*, *ac dilucidius*, cum *Th. Smithii* Præfatione, verſione antiqua, Græcis obverſe collocata, & *Clerici* interpretatione. Verſioni priori *variantes* Codicum Cajenſis & Cottoniani *lectiones* notatu digniores, poſteriori præcipuæ in *Ruinarti* interpretatione *variationes*, in margine apponuntur, ſubjunctis omnibus annotationibus *Uſſerii*

ſerii, *Cotelerii*, *Smithii*, *Clerici*, adjecta *Pearſonii* Diſſ. de anno, quo *S. Ignatius* ad beſtias erat condemnatus. Sequitur S. *Polycarpi* Martyrium, cum antiqua Latina verſione, nova *Cotelerii*, una cum ſelectis notis *Junii*, *Uſſerii*, *Cotelerii*, & *Smithii*. Tum leguntur *Ignatii* Epiſtolæ longiores, tum ſpuriæ, tum interpolatæ, cum variantibus lectionibus, vetere vulgato interprete, item *Cotelerii* verſione, ejusdemque, ut & *Uſſerii*, annotationibus ſubjectis. Habet igitur hæc editio quædam ſibi priva, quæ in alia editione, ſaltem *Coteleriana*, non reperiuntur. Et hæc quidem inſunt in *Volumine I*: *Jo. Bear* Oratio de primævorum Patrum autoritate, *J. E. Grabii* Præfatio de S. *Clementis* Romani ſcriptis, *Patricii Junii* interpretatio *Epiſtolæ ad Corinthios prioris*, a Cl. *Fello* recenſita, *Wakii*, *Grabii*, *Millii*, *Wottoni*que, annotationes; in *Volumine II*: S. *Chryſoſtomi* in S. *Ignatium* Homilia, recentiorum judicia de S. *Ignatii* Epiſtolis, *Th. Smithii* Præfatio in Acta Martyrii S. *Ignatii*, *Pearſonii* Diſſ. ſuperius memorata, verſio antiqua Epiſtolæ circularis de S. *Polycarpi* martyrio, *Pearſonii*, *Smithii*que, annotationes.

Hæc etſi ad notitiam utiliſſimi hujus Operis ſufficere poſſent; quædam tamen Lectorum cauſa momenta ex illis excerpemus. *Jo. Bear* in Oratione, paulo ante memorata, explicandum ſibi ſumſit locum *2 Tim. II, 2*, probans, Apoſtolos, horumque ſucceſſores, in conſtituendis eccleſiarum doctoribus circumſpectos fuiſſe admodum. Hos, affirmat, præcellere reliquis potuiſſe, quoniam Spiritus S. donis fuerint exornati, adhæc Apoſtolorum ſcripta αὐτόγραφα in poteſtate ſua habuerint, ad quæ in dubiis caſibus recurrere potuerint, ſciverint denique explicationes Apoſtolorum doctrinæ Chriſtianæ, diſciplinam, ordinem. Quæ cum ex primorum Patrum ſcriptis haberi queant, illa negligenda non eſſe, contendit. Mirari ſubit, quare tam brevis ſit doctiſſimus Editor circa verba *Barnabæ pag. 12*, quibus de Apoſtolis pronuntiat fuiſſe ipſos ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρυς, ad quæ tamen pluribus commentantur *Menardus* & *Cotelerius*. Num verbis illis reſpiciatur ad id, quod *Paulus* de ſe fatetur

tur *1 Tim. I, 12, 15*, vel ad confeſſionem *Petri Luc. V, 8*. dici non poteſt, in hoc ſe *Petrus* peccatorem profitetur, in illo *Paulus* dicit, ſe gravioribus peccatis obſtrinxiſſe: &, ſi quidem id etiam de *Petro* & *Paulo* valeret, inde tamen effici non poſſet, Apoſtolos omnes omnium peccatorum graviſſimos fuiſſe. Quare verba non ita ſenſu rigido ſunt accipienda, quemadmodum alia in hac Epiſtola interpretatione mitiori ſunt temperanda. Voluit per hyperbolen Apoſtolos tanquam peccatores graviſſimos repræſentare, quo ſpem faceret illis, qui gravius reliquis deliquerint, fore, ut per gratiam Chriſti peccatorum ſuorum veniam impetrarent, quæ Apoſtolis cum tantorum donorum gratiæ communicatione obtigerit, qui tamen ante converſionem ſuam gravioribus ſeſe peccatis commacularint. *Hunc ſenſum* verbis dandum eſſe, ex illis liquet, quæ ſtatim ſubjicit: *ἵνα δείξῃ, ὅτι οὐκ ἦλθε καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.* Interim videntur hæc verba occaſionem dediſſe *Celſo*, Apoſtolos tanquam perditiſſimos ac flagitioſiſſimos traducendi, prouti *Origenes* adverſus *Celſum Lib. I Cap. XIII §. 2* verſ. *Moshem. p. 135* notavit. Myſterium duorum hircorum in die expiationum ſolenni explanat *Barnabas pag. 26*, ac de iis, quæ affert, judicium hoc fert Eruditiſſ. *Fellus: Tam exactam legis Moſaicæ & rituum Judaicorum cognitionem ſapiunt, ſcriptoremque non modo Iſraelitam, ſed etiam Levitam, qualis erat Barnabas, fuiſſe, demonſtrant.* Nobis aliud longe videtur, & res ipſa loquitur, perſonatum illum *Barnabam* ita rationes ſubducere, ut appareat, ipſum multa loqui contra legem & traditiones *πατροπαραδότους*, quæ vero his convenientia loquitur, illa tanquam lege quadam divinitus profecta, & literis perſcripta, profert, hoc fine, ut ſenſum typicum eo majori fiducia illis ſuperſtruere potuerit. De hirco, hoc die offerendo, ita loquitur: *τί οὖν λέγει ἐν τῷ προφήτῃ; καὶ φαγέτωσαν ἐκ τοῦ τράγου, τοῦ προσφερομένου τῇ νηστείᾳ ὑπὲρ πασῶν ἁμαρτιῶν.* Verba hæc nullibi in lege *Moſis* occurrunt. *Menardus* quidem & *Fellus* accipiunt de hirco, qui ſecundum *Num. XXIX, 11*, coll. *Joſepho A. J. Lib. III Cap.* 10 in

10 in die expiationum offerendus erat, de cujus tamen comeſtione nihil præcipitur. Quod ad comeſtionem attinet, provocat *Fellus* ad *Maimonidem de Sacrif. jug. Cap. X §. 1: Porro hircus* (addebatur quotidianis ſacrificiis), *qui mactabatur in hoſtiam pro peccato: is comedebatur veſperi.* Ita igitur conciliat *Barnabam* cum lege hac, *ſacerdotem hunc dicis cauſa de ſacrificio hirci oblati extrinſecus inter veſperas, populo jejunante, comediſſe.* Sed vero nollemus, verba hæc tanto excidiſſe Viro. Hircus, de quo loquitur *Barnabas*, eſt procul omni dubio is, qui mutabatur pro peccatis totius populi; dicit enim *τοῦ προσφερομένου τῇ νηστείᾳ ὑπὲρ πασῶν ἁμαρτιῶν.* Sed vero is totus comburebatur extra caſtra, adeo ut illius nil quidquam in ullius emolumentum cederet, *Lev. XVI, 27.* Hircus autem, de quo ſermo eſt *Num. XXIX, 11*, fuit ex ſacrificiis addititiis; contradiſtinguitur enim ſacrificio piaculari, ex hirco apparando. Sed dicat jam aliquis: caro victimarum piacularium cedebat ſacerdoti offerenti, poterat in epulas apparare. Verum eſt, ſed hoc die debebant juſtum tempus obſervare, & verba illa *inter veſperas* latiorem ſenſum admittere poſſunt. Ad quod populus univerſus lege divina erat obſtrictus, ad id etiam Pontificem maximum obligatum fuiſſe, nemo inficias ire poteſt. Legem perſcriptam habemus *Lev. XV, 29, 31.* Idem docet *Joſephus: δεκάτῃ δὲ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς κατὰ σελήνην διανηστεύονται ἕως ἑσπέρας, A. J. Lib. III Cap. X §. 3*, pariterque doctores Miſchnici יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה, *die expiationum quidquam comedere, aut bibere, eſt prohibitum, Joma Cap. I §. 1*, &, qui exiguam modo quantitatem cibi & potus aſſumebat, is reus habebatur. Atque hoc jejunium ad veſperam uſque durabat, qua ingruente, ſacris omnibus finitis, cum amicis epulabatur ſacerdos maximus. Quæ igitur *Maimonides* dicit de hirci comeſtione veſpertina, illa intelligenda ſunt de epulo veſpertino, non antecedanea comeſtione, quæ dicis cauſa fuerit facta. Pergit *Barnabas: καὶ φαγέτωσαν οἱ ἱερεῖς μόνοι πάντες τὸ ἔντερον ἄπλυτον μετὰ ὄξους.* Hæc *Fellus* explicat de comeſtione

ne agni paſchalis cum amaris *Exod. XII.* Sed enim verba *Barnabæ* ita comparata ſunt, ut nulla ratione excuſari queant; 1) nexus oſtendit, ipſum ſermonem continuare de eodem illo hirco, de quo modo locutus erat; 2) de agno paſchali non ſoli comedebant ſacerdotes; 3) comeſtio inteſtinorum non lotorum erat contra legem: ſic enim ſacerdotes ſe graviter polluiſſent. De hircis porro dicit *Barnabas*, debuiſſe eſſe καλὰς καὶ ὁμοίας, quod δευτερώσει Judæorum omnino convenit: præceptum enim erat, שיהין שגיהן שוין במראה ובקומה, *ut ſint æquales forma & ſtatura*, *Joma Cap. VI §. 1.* Quæ ſequuntur, καὶ ἐκπτύσατε πάντες, καὶ κατακεντήσατε καὶ περιθεῖτε τὸ ἔριον τὸ κόκκινον περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ex conſuetudine tantum, eaque particulari, inter Judæos ſub ultimis templi temporibus obtinuiſſe perhibentur. Ita enim in *Joma* perſcriptum legimus: *Et gradum ei* (hirco emiſſario) *fecerunt propter Babylonios, qui crines ei vellicabant, & dicebant ei: vade & exi; vade & exi*, *Cap. VI*, 4. Conf. R. *Chija* ad Codicem de die expiation. *Cap. III §. 15*, ad quem aliorum teſtimonia produxit *Blaſius Ugolinus* in Annot. *pag. 141, 142.* Hoc igitur tantum tribuitur Babyloniis & Alexandrinis, imo Eruditiſſ. *le Moyne Var. ſacr. Vol. II pag. 674* nomen בבליי accipit ut nomen appellativum, pro *turba hominum confuſa*, eademque *petulante*. De eo vero, quod hircum fuerint execrati, conſpuerint, & ſtimulis egerint, nil quidquam dicitur. Argumentum hic tantum ducimus ex iis, quæ Judæorum doctores dicunt, non examinantes, num ipſi vere iſtiusmodi gradum fecerint, & per illum hircum duxerint, quæ a viris, doctrina conſpicuis, in dubium vocantur. Hircum hunc *ad deſertum portatum fuiſſe*, quod in ſequentibus narrat *Barnabas*, ſecundum Judæorum traditiones non ita ſe habet; ductus potius fuit eo, nec panniculus iſte, fronti præligatus, eſt ablatus, & *frutici* impoſitus, ſed potius dimidia liugulæ pars petræ, unde detrudendus erat, alligabatur, qui locus dicebatur *Zuk, Joma Cap. VI §. 5, 6.* Fruticem dictum fuiſſe, aſſeverat

verat Ῥαχιὴλ, quæ vox vel ficta omnino eſt, vel, judice *Voſſio*, eſt pro Ῥαχὶν, quæ notat *rubum*, qui ſepibus materiam præbet; putemus tamen, illud ηλ non omnino prætermittendum eſſe, formatum forſitàn ex nomine divino אֵל. Ex quibus abunde apparet, Autorem Epiſtolæ hujus exiguam & confuſam rituum Judaicorum cognitionem habuiſſe. Ubi diſſerit de templo, de Judæis pronuntiat, ἐπὶ τὴν ὁδὸν ἤλπισαν, quæ verba vetus interpres reddit, *in ædem ſpem habuerunt.* Legi vult *Daviſius* ἐπὶ τὸν ναὸν, *le Moyne pag. 919.* ἕδος, unde facile oriri potuerit ὁδὸς: fuit enim templum quaſi *ſedes Dei.* Quid, ſi reponeretur οἶκος? Leve eſt, quod *Menardus* ad verba κοινωνήσεις ἐν πᾶσι τῷ πλησίον σȣ, ȣ̓κ ἐρεῖς ἴδια, notat, apparere inde, Autorem vixiſſe tempore Apoſtolorum. Imitatus eſt phraſin *Act. IV, 32*; ſed inde nondum liquet, ipſum iiſdem, quibus Apoſtoli, vixiſſe temporibus. Nec probari poteſt, in aliis eccleſiis, præter Hieroſolymitanam, bonorum communionem viguiſſe. Et, qui opes ſuas in commune contulit, ille non amplius habet, quod cum alio communicare poſſit. Nec ἴδια ex mente *Barnabæ* reſtringenda ſunt ad bona temporalia; ſequitur enim εἰ γὰρ ἐν τοῖς ἀφθάρτοις κοινωνοί ἐςε πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς φθαρτοῖς. Senſus igitur hic eſt, ſi cui ſunt animi dotes & facultates externæ, ne ita illas ſibi ſervet, ut in aliorum uſum non convertat, potius ut cum aliis communicet; dominus igitur ſuorum manet is, qui ex ſuis aliquid cum alio benigne communicat. Sed ſatis diu his immorati fuimus; ut ad reliqua progrediamur, inſtituti ratio non permittit. *Priori Volumini* index locorum Scripturæ; vocum Græcarum notatu digniorum, & rerum atque verborum memorabilium, eſt adjectus, ſed brevis admodum, *poſteriori* nullus. Chartæ & typorum nitor ſe Lectori commendabit.

EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM, ex verſione Æthiopici interpretis in Bibliis polyglottis Anglicanis editum; cum Græco fonte ſtudioſe contulit,

atque

atque plurimis, tam exegeticis, quam philologicis, obſervationibus textum partim, partim verſionem, illuſtravit, CHRISTOPHORUS AUGUSTUS BODE, A. M. Præfatus eſt D. CHRISTIANUS BENEDICTUS MICHAELIS, Theologiæ Græc. & OO. Ling. P. P. O. de Verſione Æthiopica N. T. generatim.

Halæ Magdeburgicæ, in officina libraria Baueriana, 1749, 4. Alph. 1 plag. 5.

Non doctam modo curioſitatem, ſed veram egregiamque doctrinæ etiam hermenevticæ utilitatem, viri eruditi aſſequi ſtudent, linguis orientalibus faventes, earumque cultum ad conferendas cum Græco fonte Verſiones ita applicantes, ut literis ſanctioribus docta inde expoſitio, vel concinna illuſtratio, contingat. Inter reliquos *Lud. de Dieu* & B. *J. H. Michaelis* huc referendi ſunt Duumviri, quorum uterque ſtudium non leve, in *Annotationibus* alter *Biblicis*, alter vero in *Critica* ſua, circa Verſiones orientales, in conſilium ſæpiſſime vocatas, adhibuit. Quod ad Æthiopicam tamen Verſionem attinet, ipſemet *Lud. de Dieu* præfando docet, ſe quædam tantum, eaque oppido pauca, operi ſuo de Verſione iſta inſeruiſſe, ut ſaltem guſtus aliquis translationis Æthiopicæ doctis daretur, quo de ejus pretio judicari poſſet. Multum humani tamen Criticus ille expertus eſt in transferenda & explicanda verſione Æthiopica, cujus exempla quædam paulo inferius in medium ſumus prolaturi. Cum vero translatio iſta ampliorem longe collationem mereretur, utiliſſimum de iſta cepit conſilium doctiſſimus Autor, ita tamen, ut in Evangelio tantum *Matthæi* præſentem laborem concluderet, errores *Lud. de Dieu* emendaret, quæ frugi eſſent, admitteret, omniaque nobiſcum communicaret, quæ notabili quodam exemplo in verſione Æthiopica a fonte differrent.

Typus

Digitized by Google

Typus vero Æthiopum cum deeſſet, loci Æthiopici ſecundum Latinam verſionem, quoad ejus fieri potuit, diligentiſſime fuerunt recenſiti, notisque adaucti uberioribus, & exegeticis, ſignificationes vocabulorum & phraſium Æthiopicarum, quin & ſenſum textus ſacri, ab Æthiope vel bene, vel male, expreſſi, accurate explicantibus; grammaticis etiam, in gratiam tironum Æthiopicæ linguæ adſcriptis; & criticis denique, quarum aliæ ad varias lectiones textus Græci pertinent, aliæ ad emendationem textus Æthiopici, in Bibliis Polyglottis Anglicanis, ut reliqua, ſatis mendoſe editi, inprimis ſpectant; aliæ vero *Jo. Millii* criticos labores ſub cenſuram vocant, & interpretem latinum in *Polyglottis* vellicant. Præter alia literarum ſubſidia uſus inprimis Noſter eſt in laboribus ſuis diligenter expediendis *Jobi Ludolfi* libris Æthiopicis, quos iterum iterumque volvendo & revolvendo ſuam Æthiopiſmi cognitionem largiter adauxit. Ante tamen, quam ſpecimina quædam Autoris edamus, de Præfatione doctiſſima Summe Venerabilis *Michaelis* nonnihil diſſerere juvat, initium præfandi a recenſione verſionum Æthiopicarum Novi Teſtamenti, & typis impreſſarum, Londinenſis ſcilicet atque Romanæ, & manu exaratarum, hic & illic latitantium, diligenter facientis. Diſputant viri docti, una, an duæ, dentur Verſiones Æthiopicæ Novi Teſt. inter quos plurimi pro poſteriori militant ſententia. Autor tamen Celeberrimus, minime, putat, exempla, hunc in finem allata, pro duplici Verſione pugnare, ſed varios modo librariorum lapſus, abuſumve judicii, indicare. Hinc ſufficere dicit, unam eandemque eſſe Æthiopicam N. T. verſionem, quam impreſſæ editiones, Romana & Anglicana, exhibent. De editione Romana, quam ipſe cimelii inſtar, admodum ſcilicet raram, in libraria ſua ſupellectile aſſervat Autor, recenſionem ampliorem inſtituere laborat. Ex titulis hujus editionis, Latino atque Æthiopico, declarat, eundem eſſe Autorem, *Fratrem Petrum Æthiopem* dictum, & *Teſfa-Tzionem* ſe cognominantem.

Digitized by Google

Confirmatur hoc ſubſcriptione, ubi vocatur *Comos*, id eſt, procurator eccleſiæ, ſeu, *Ludolfo* teſte, perſona, proximam ab Archipresbytero dignitatem eccleſiaſticam habens, deformato forte vocabulo ex Latino *Comes*, uti plurimi docti ſtatuunt viri. Adjutores vero translatoris illius fuiſſe videntur *Tenſea-Wald* & *Zaſel-ſe*, ex Æthiopibus, inſuperque quendam *Petrum Paulum* & *Bernardinum*, Europæos certo homines, quod epilogus dilucide ſatis exponit. Multos hic Venerabilis Halenſium Theologus exponit nævos, a *Lud. de Dieu* circa verſionem epilogi illius commiſſos, ubi in alia ille plane omnia abit, & plurima nomina propria pro appellativis, inconcinne nimis, explicat. Exhibetur deinde Epilogus, Evangelio *Marci* adjectus, & ab Autore præfante in Latinum ſermonem converſus: nec minus exhibetur Epilogus, univerſo N. T. ſub finem ſubjectus, & ex *Jobi Ludolfi* converſione huc translatus. Monet lectores Celeberrimus Autor, ne fidem habeant *Richardo Simonio*, in *Hiſtoria critica Verſionum* N. T. minus recte de Romana hac editione judicanti, & mancam illam dicenti, quod tamen minime ita ſe habet, dum omnes N. T. libelli canonici in converſione iſta Æthiopica apparent, mutato tamen circa quosdam ordine, cujus rei cauſam in altera Parte, *Simonio* non viſa, editores, & ex his Celeberrimus Autor, perorat. Ad Londinenſem N. T. Verſionem Æthiopicam quod attinet, de ea perhibet, eam Romanam ubique ſequi, ſervatis etiam mendis, quibus hæc ſcatebat, fere innumerabilibus. Idem præclare jam dudum obſervavit *J. Ludolfus*, de retentis non ſolum veteribus mendis, ſed de novis etiam ſuperadditis, multisque interpolationibus, multum queſtus in Bibliis Polyglottis, a *Brianno Waltono* editis. Exempla interpretationis plurima hic affert *Michaelis* Venerabilis. De interpretatione Latina, quam Angli Verſioni Æthiopicæ a latere adjunxerunt, acute Noſter judicat, gratiam interpretibus eſſe habendam de eo, quod egerint, veniam vero dandam de eo, quod reliquerint. Perfectior futura illa fuiſſet, ſi quis *Ludolfus* ei autor

tor contigiſſet. Multas hinc claudicationes ex Evangelio *Marci* Autor affert, ſub finem ediſſerens, innumeras fere habere reliquis in libris Verſionis Æthiopicæ interpretationem Latinam mendas. Verſionem tamen ipſam Æthiopicam antiquam ſatis eſſe, ex *Chryſoſtomi* teſtimoniis, a *Suicero* adductis, liquido apparet, licet non tam facile pateat, quando, quibusve autoribus, illa ſit confecta. Æthiopes ipſi S. *Frumentio* illam tribuunt autori, ſive, ut Æthiopibus appellatur, *Abba-Salamæ*. Hinc ætas hujus Verſionis attinget forte tempus *Conſtantini M.* Imperatoris & S. *Athanaſii*, Seculum ſcilicet poſt Chriſtum natum IV. Porro Venerabilis Autor probat ex inductione exemplorum, Æthiopicam N. T. Verſionem non ex Arabica, neque ex Coptica, neque ex Latina Vulgata, ſed ex ipſo Græco textu, eſſe deductam. Suas omnino hæc habet virtutes, ita, ut *Caſtellus* vere de interprete Æthiopico affirmet, eum præ reliquis interpretibus orientalibus omnibus genuinum ſenſum eſſe aſſecutum. Mendoſa tamen etiam aliquibus in locis interpretatio iſta, quod rerum exempla docent, deprehenditur. Finem denique addit Præfationi Autor, aliqua Æthiopis recenſens idiomata, quibus ea ſupplet, quæ in libello ſuo critico *de variis lectionibus N. T.* nuper ſcripſerat. Ad opus ipſum collationis Æthiopicæ, a Clariſſimo *Bodio* inſtitutæ, recenſendum nunc properamus, ſuccincte diligentiam Autoris per varia exempla in aprico poſituri. Interpretem Æthiopem vocabula peregrina, atque nominatim Græca, amare, vel initium ſtatim verſio-
nis illius probat, ubi ונגל זמתיוש, id eſt, *Evangelium Mat-* Pag. 2.
thæi, ſcribit. Satis conſtat, Æthiopes ſuas habere voces, quibus Evangelium poſſit exprimi, ſed adoptat hic Græcum *Wangel*, forte quia plane peculiare eſt traditum negotium in Evangelio ſanctiori annuntiandum, ab aliis
rebus læti nuntii maximo intervallo ſejunctum. Expoſi- 3.
tionem juvat Æthiopica Verſio in loco controverſo de nativitatis Jeſu libro, ubi diſſident interpretes ſanctioris doctrinæ, *βίβλον γενέσεως* modo ad totum Evangelium, a

 Matthæo

Matthæo deſcriptum, modo ad primam ejus pericopam, illam dictionem applicantes. In Æthiopica Verſione legit Noſter: ***Liber nativitatis Jeſu***, ſive ***Catalogus generationis Jeſu.*** Hinc doctiſſimas circa vocabula Æthiopica Autor addit obſervationes, &, in poſteriori translationis ſenſu facile ſibi acquieſcendum eſſe, ſtatuit. Errorem ſine dubio
Pag. 4. committit interpres noſter, vocabulum Χριϛȣ̃ omittens, quod Verſiones tamen omnes Orientales & Occidentales antiquiſſimæ retinent. Propter unicam vero iſtam verſionem lectionem textus receptiſſimam non eſſe ſollicitandam, aut ſta-
7. tuendum, interpretem in ſuo Codice vocabulum Χριϛȣ̃ non legiſſe, recte monet Autor. *Joſephum*, *Mariæ* virum, *ſponſum* dici ab interprete Æthiopico, facile ex Scripturæ S. conſuetudine, ejusque modo loquendi, affirmari poſſe putat, quæ *mariti* & *uxoris* nomina etiam de deſponſatis uſurpat, quod nec adeo mirandum videtur, cum ſponſalia ſint ipſe matrimonii contractus. Addidiſſe interdum Æthiopicum interpretem quidpiam ex ſuo ingenio, ibidem exemplum docet ad *v. 17 Cap. I*, ubi addit ille: *Et fuerunt omnes generationes ab Abrahamo uſque ad Chriſtum quadraginta & duæ.*
9. Qua re ſuperſedere commode potuiſſet. Notionem *juſti v. 19* eſſe retinendam ſecundum textum Græcum, Æthiopica etiam confirmat converſio, quæ ſequentia ſtatim *Matthæi* verba ita interpretatur: *non voluit*, (ut) *manifeſtaret eam.* Videtur hic interpres verba textus ſic intellexiſſe, quaſi *Joſephus* adulterii, vel ſcortationis crimen, quod de ſponſa ſua gravida ſuſpicabatur, noluiſſet in vulgus efferre, ne hoc ipſo *Mariæ* notam infamiæ, quæ exemplo eſſet aliis, inureret. Senſum hunc omnino, bene judicante Autore, vocabulum παραδειγματίζειν ſibi poſtulat, quod indicio eſt, quam commode explicationi textus Græci hæc Verſio inſervire queat. Notionem atque originem
11. vocabuli מלאך optime tradit Autor, e radice Æthiopica לאך, *miſit*, *legavit*, ſignificationem primam ejus repetens. In genere notat legatum, vel nuntium, ab alio miſſum; in ſpecie vero Æthiopes vel nuntium Dei cœleſtem, angelum

ſcilicet,

Digitized by Google

ſcilicet, vel terreſtres legatos, magiſtratus nimirum & principes, ita nominant. Ἀρχιερεῖς, quod ſemel nominaſſe ſufficiat, Æthiops ſemper efferre conſuevit per *principes ſacerdotum*, quod ſatis doϐte facit, quia proceres omnium ordinum ſacerdotalium per Græcam hanc diϐtionem in N. T. ſæpius indicantur. Emphaſeos & explicationis ergo interdum aliquid addere Interpretem, oſtendit Autor, Pag. 15.
præter reliqua plura exempla, etiam ex *Cap. II, 6*, ubi Græca ita transfert verba: *quoniam ex te exibit & naſcetur rex princeps*, ubi excellentiam & magnitudinem tum perſo- 16.
næ illius principis, de qua textus loquitur, tum nativita- 18.
tis ejus, genuino vocabulo deſcribit. Transponere ſolere Æthiopem verba, exemplo docet Autor *verſus 11* hujus *Capitis*, ubi *aurum & myrrham & thus* ponit. Hinc conjicit Noſter, vel ex memoria tranſpoſita hæc verba eum
ſcripſiſſe, ſive librariorum incuria illud accidiſſe. Sen- 19.
ſum juvat curatius enotandum Æthiops, ad *v. 14* Græcum vocabulum ἐγερθεὶς reddens, *& ſurgens ſtatim aſſumſit infantem*. Reϐte hic exprimit feſtinationem, a *Joſepho* ex mandato Dei convenienter adhibitam, dum particulam ele-
ganter addit, quam aliis in locis ſæpe repetere ſolet. 24.
Millium notat Autor ad *Cap. III v. 1*, qui in variis leϐtionibus, textui N. T. Græco ſubjeϐtis, leϐtoribus ſuis perſuadere voluit, verba ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας deeſſe in Æthiopica æque atque in Arabica Verſione. Quod tamen minus vere dixit, cum utroque in loco interpretes verba Græca exaϐte transtulerint, nec quidquam omiſerint.
Verba ἀξίους τῆς μετανοίας bene transferuntur in lingua 27.
Æthiopica: *qui decet vos in pœnitentia*, vel, quod *Ludovico de Dieu* placuit, *ad reſipiſcentiam*, ut ſcilicet tales fru-
ϐtus proferant, qui vere reſipiſcentibus conveniunt. Ad 29.
v. 16 obſervatur, linguam Æthiopicam numerum ſingularem vocabuli שמים, in Hebræa lingua deperditum, aſſervaſſe, in qua uſitatus eſt שמי, *ſamai*, *cœlum*, qui numerus ſingularis quoque hic legitur. Pari modo in eadem lingua occurrit nomen ſingulare מי, *aqua*, unde plurale

 Hebræo-

Digitized by Google

Hebræorum מים uſu venit. Minus accurate igitur Latinus Interpres in Polyglottis fecit, vocem ſingularem Æthiopis vertens *cælos*, quod tamen in ſua lingua *cælum* audit.
Pag. 31. In *Capite IV*, 4, *Millium* caſtigat Autor, variam lectionem ex eo fabricantem, quod in Verſione Æthiopica Græcum vocabulum *μόνῳ* deſit. Sed deceptus eſt ille interpretatione Latina, cui nimium credidit. Quodſi ipſum textum Æthiopicum inſpexiſſet, vel inſpicere potuiſſet, vidiſſet omnino, vocem hanc Græcam per par-
41. ticulam Æthiopicam eſſe expreſſam. Vere ſe habere Æthiopicam Verſionem, quæ *Cap. V*, *22*, *ῥακὰ pannoſum* vertit, quod & ipſe *Ludolfus* ex Codice Pariſienſi probat; ſed minus concinne textum ita Græcum exprimit Æthiops,
49. quod eadem in pericopa aliquoties obſervat Autor. Plenius vero ſenſum aſſequitur Æthiops, in *Cap. VI*, 4. verba Græca exponens: *& pater tuus*, *qui videt id*, *quod in occulto*, ubi ἐν τῷ κρύπτῳ rerum declarationem ſecundum Æthiopicam Verſionem ita exhibet, ut Deus iſta omnia
59. videat, quæ in occultis fiunt. Et hic ſine dubio ſenſus verborum Græcorum eſt optimus. Sub cenſuram vocat Noſter ad *Caput VII*, *23*, *Ludovicum de Dieu*, quod converterit: *nunquam novi vos*, cum diſerte in Verſione
65. Æthiopica dicatur: *non noverim eos.* Male tamen Æthiops *Cap. VIII*, *32*, κατὰ τοῦ κρημνοῦ vertit *præ conſternatione*, quod ſecundum Græca longe aliter ſe habet, niſi verba illa, quod Autor facit, ad antecedentia ab Interprete relata eſſe velimus, quod fieri facile poterit, ſi conſideremus, Æthiopes notis diſtinctionum plane carere, quod, *Ludolfo* etiam fatente, maximopere ſenſum ſuſpendit atque con-
73. fundit. In *Capite IX*, *24*, *Millius* iterum notatur, quod in variis ſuis lectionibus perhibuerit, ſecundum Æthiopem legendum eſſe, ἔλεγεν αὐτοῖς. Quod tamen cum veritate minime convenit, cum αὐτοῖς plane in Æthiopico
98. abſit exemplo. Male vertit Æthiops *Cap. XIII*, *9*, *omnis is*, *qui audit verbum regni cælorum*, *eſt is*, *qui non intelligit.* Senſum plane hæc verba non habent, niſi ita medelam

Digitized by Google

lam illis afferre velis, ut dicas cum Autore noſtro, particulam copulativam eſſe omiſſam, quod frequentiſſime fit in linguis orientalibus. Ad *Cap. XVI, 14, Lud. de Dieu* iterum notatur, Æthiopica verba, *& perſeveret, & tollat,* Pag. 118.
convertens: *& tollat, & ſumat*, quod quidem cum textu Æthiopico non conſpirat. Sic minime etiam eſt ſilentio 120.
prætereundum, doctiſſimum illum virum in *Cap. XVII, 2,* vocabulum *grando* ex Æthiopico textu convertiſſe *nix*, ubi ſine dubio ab imperito Latino interprete deceptus eſſe 133.
videtur. Nec minor ejus eſt hallucinatio, in *Capite XIX, 29*, vertentis: *& matrem uxoris ſuæ, & matrem filiorum ſuorum, & agros ſuos*, & reliqua; ubi Æthiops dicit: *& matrem ſuam, ſive uxorem ſuam, ſive liberos & agros ſuos.* Fruſtra inſuper *Millium* in variis lectionibus ad 145.
Cap. XXI, 28, Æthiopi interpreti adſcripſiſſe lectionem ἄνθρωπός τις pro edita ἄνθρωπος, recte docet Noſter, cum tale quid in Æthiopica translatione minime exſtet, ſed cum 167.
interpretatione tantum Latina. Pari ratione perperam vir ille doctiſſimus aſſerit, Æthiopem cum Syro & Arabe ad *Cap. XXV, 4,* ἀγγείοις αὐτῶν non expreſſiſſe, quod tamen utrumque vocabulum in Æthiopico exſtat idiomate, & *Millius* ab interprete Latino ſine dubio ſeductus eſt. Largiorem hic cum Lectoribus ex penu exegetica communicaremus meſſem, ſi copia ſuppeditaret chartæ, a nobis ultra modum non implendæ. Habebunt tamen ex ſpicilegio iſto doctiſſimi quique viri, unde doctrinam Autoris, diligentiam, & uſum Verſionis Æthiopicæ, ſuſpiciant atque mirentur, promiſſamque *Evangelii Matthæi Arabici* collationem avide exſpectent. Hujuſmodi ſingularum Orientalium Verſionum enarrationem in deſideriis eſſe doctorum virorum, præter reliquos, Venerabilis Abbas *Bengelius* nuper publice eſt profeſſus. Hinc vota adjicimus noſtra, ut deſideria iſta recte impleantur, idque in ſanctiorum literarum incrementum.

DE SAXIS, ACUBUS FERREIS, VITREISQUE fruſtis, non exiguæ molis, variæ ſuperficiei & figuræ,

Digitized by Google

ræ, aliisque plurimis rebus, plerumque per vomitum, aliquando etiam per inferiores partes, ejectis, tum & de miris animi & corporis morboſis affectionibus, quibus identidem per plures annos Cremonenſis Virgo quædam obnoxia fuit, Diſſertatio epiſtolaris PAULI VALCARENGHI, *primarii Medicinæ rationalis Profeſſoris in Regio Ticinenſi Archigymnaſio.*

Cremonæ, apud Petr. Richini, 1746, 4.

Plag. 13.

Valcarenghius, V. Cl. hanc Epiſtolam ad Epiſcopum Cremonæ, *Alexandrum Litta*, ſcripſit, per quem licuit ipſi
Pag. 2. Virginem illam Cremonenſem aliquoties examinare, & plura ab ipſa ſciſcitari, quam plerique a dæmone detineri exiſtimabant, ac multis modis vexari. Ut igitur Epiſcopo phænomenorum, in virgine illa obſervatorum, rationem reddere poſſet, &, quam male hæc ad dæmonem, tanquam ad cauſam, referantur, oſtendere, primo loco morbi hiſto-
II. riam dedit. Vigeſimum annum puella egit, quando, proſpera ante hac valetudine uſa, morbo laborare cœpit, medico malo, ut putabatur, devorato, quod ipſi amaſius obtulerat. Ab initio per quadriennium hiſtericis convulſionibus, iisque incomprehenſibili fere modo rationeque, ſæpe detenta eſt, atque ita affecta, ut modo viribus penitus fere deſtitueretur, modo robore ſupra modum valeret, tumque etiam mente caperetur, & non raro eſtatica fieret, variaque perageret, quorum nihil poſtea meminerat. His malis auctis, poſt quadriennium ſingultus frequens acceſſit, & ſæpe veterno preſſa fuit, ſæpiſſime furore percita, ut plurimum inſomnis, fanatica, maniaca, & in alios æque ac ſe ipſa, furibunda, evaſit. Tum quoque plerumque canina fere fame vexata, cibos indiſcriminatim avidiſſime ingeſſit, non raro mentis omnino compos facta eſt, meliusque ſe habuit, ſanguine ex utero fluente, quod tamen ſine ordine factum eſt, atque etiam a phlebotomia perma-

gnum

gnum levamen experta eſt. Senſit quoque ſtrangulationes frequentes, aphonias, rugitus inteſtinorum, alvum modo adſtrictam, modo fluentem, maximos in abdomine tumores extemplo factos, ac derepente evaneſcentes, urinæ ardores, ſtrangurias, aliaque, quæ non niſi a diabolo provenire poſſe exiſtimabantur. In qua opinione confirmati plerique fuerunt hoc, quod, cum ſibi, præter carnem ex brachio fruſtatim avulſam, papillam e ſiniſtra mamma dentibus abſtuliſſet, hæc appoſita iterum adglutinata fuiſſe ferebatur, quodque ſaxa, aliaque permagnæ molis corpora, ſæpe per vomitum ejecit, inter quæ præcipue ſaxum tres pollices longum; duos cum octo lineis latum, unum cum quinque lineis altum, & ferrea catena pollices tredecim longa, unum cum tribus lineis craſſa, fuit, quod porro ſimi-milia corpora ſæpe per anum, per urethram, per vaginam, & per hanc quidem maxima interdum cum ſanguine quoque, excrevit. Exiit quoque aliquando ferri lamina cum alimentis & fæcibus ex abdominis vulnere, quorum multa haud parva habuit, vario temporis intervallo ſanata. Virgo ipſa tum horum cauſam ignorabat, tum ſaxa illa ceteraque corpora ſe unquam devoraſſe negabat, etſi, ſe aliquando, ex profundo ſomno expergefactam, ſaxum aliquod ori admoviſſe, ut per œſophagum detruderet, faſſa eſt. Hactenus de hiſtoria. Poſt hæc *Valcarenghius* primum, peregrina illa corpora vere per os reliquaſque vias ejecta fuiſſe, ponit, atque ita probat, ut, ſe ipſum vidiſſe, dicat, præterquam quod ſuſpicio aliqua de ſaxo in ore detento, aut ſimili quadam fallacia, eſſet. Potuiſſe vero per illas vias, ſine earum laceratione ruptioneque tranſire, tum cedens flexiliſque earum natura, atque facta cum ipſis experimenta, probant, tum *Foreſti*, *Sennerti*, *Columbi*, *Donati*, aliorumque, teſtimonia, & *Amyandi* potiſſimum (*Abridg. Philoſ. Tranſact. Tom. III* §. 7) exemplum. Non parum quoque ad probandam hanc rem aliarum partium miræ extenſiones, ut arteriarum, inteſtinorum, veſicæ, ureterum, conferunt, de quibus Autor exempla allegat, ex quibus novum id eſt, quod Pag. 21. 22. 28-33

Digitized by Google

ipſe de veſica mirum in modum & ita dilatata, ut uſque
Pag. 33. in ſcroti fundum delaberetur, profert. Cum vero, res illas peregrinas, quas Autor ab initio oſtendit, generari in corpore humano non poſſe, puella, ſe devoraſſe, neget, atque abhorreat, indeque plerique eas a dæmone in ſtomachum puellæ detruſas fuiſſe, opinentur, *Valcarenghius*, inſanos rationisque expertes homines, monet, abſurda quæque peragere poſſe, alios quæſtus cauſa vere peragere, ac, res multas abſurdas a fœminis potiſſimum devoratas fuiſſe, per exempla probat; tumque, quia in Cremonenſi puella ejuſmodi rerum nullus appetitus prægreſſus eſſe dicatur, quo
43. jure tamen eas devoraſſe contendi queat, inquirit. Primum vero, dæmonem, ponit, corpora humana quidem in univerſum, præcipue vero fœminas, obſidere, tamen, virginum morbos, etſi maxime complicatos, non protinus ad dæmonem, vel maleficium aliquod, referendos eſſe, monet, verum ex amatorio furore provenire, quo etiam, vel hiſterica melancholia, Cremonenſem puellam detineri, amaſiumque proinde, etſi non quatenus medicum malum ipſi obtulerit, præcipuam ejus morbi cauſam eſſe, contendit. De-
55. inde, etſi maniaca inde evaſerit, tamen nihil obſtare, quo minus interdum mentis iterum compos fieret, aliter ac in
57. totali dementia fiat. Porro, etſi menſtrua ſatis liberaliter fluant, tamen interdum ſalaciorum puellarum uterum vicinaſque partes aphrodiſiæ acriore lympha non raro ſic vellicari, ut etiam in noſtra puella convulſionum pariter ac
63. perverſæ phantaſiæ ratio facile inde peti poſſit. Tumque omnium fere ſymptomatum, quibus puellam Cremonenſem affligi diximus, rationem a varia nervorum affectione deducit, per aphrodiſium illum liquorem facta. Inter cujus effectus, & a Chemicis de pulvere tonante relata ex-
65. perimenta, an ea, quam *Valcarenghius* ponit, analogia ſit, non parum dubitamus. Certiſſimum contra eſt, morbo-
67. ſas illas mentis affectiones animi ipſius vitio adſcribi non poſſe, qui potius, pro diverſa partium corporis diſpoſitione, mutationeque per minimam cauſam facta, diverſimode agit.

Digitized by Google

agit. Hac occaſione Autor, ſenſum motumque, dicit, non a Pag. 77.
ſpiritibus, verum ab oſcillatoriis menyngum motionibus, provenire, quas in voluntarias atque perennes dividit, & de quibus multa, nobis obſcuriora viſa, diſſerit. Ex oſcil- 91.
lationibus autem illis non tam involuntarias, quam voluntarias magis, in virgine illa, veſano amore captā, & conjugii ſpe, per amaſii mortem fruſtrata, ita perverſas fuiſſe, ut menynges ad oppoſitas contractiones ſubeundas ineptæ fierent; quod vel muſcularium fibrarum motibus illuſtrari queat, quæ, diutius in aliqua poſitione manentes, ad alios motus impotentes fiant. Neque vero puellam 98.
noſtram tam mira ſymptomata, ab aphrodiſio principio effecta, paſſuram fuiſſe, niſi partim gracilis texturæ eſſet, partim vehementes animi motus præiviſſent. Hinc *Valcarenghius* in menyngis oſcillationibus, nervorumque mutationibus, inde factis, rationem eorum quærit, quæ puella illa viſa ſibi ſit ſæpius videre, audire, olfacere, quæque adeo a ſola phantaſiæ læſione, etſi ita, enata ſint, ut veriſimiliter ſpecialis menyngum ſtructura præceſſerit. Atque 107.
a læſa per amorem, aphrodiſiumque illum ſuccum, quem, circa uterum hærentem, corroſivam pæne vim nactum fuiſſe putat, phantaſia reliqua omnia, quæ puella & in ſe furibunda egit, Autor non male deducit. Deinde, res illas 118.
peregrinas, oſtendit, ſine noxa potuiſſe in ventriculi cavo commorari, atque, ex urethra vaginaque ejectas, putat, a puella in eas partes prius intruſas fuiſſe, quando nempe compos ſui non erat. Poſt hæc, cum puella dicatur per- 126.
egrinas illas res, præcipiente ſacerdote, evomuiſſe, partim id ſacerdote etiam non præſente feciſſe probat, partim geſtus varios ſacerdotis nauſeam puellæ creare potuiſſe, tanto facilius putat, quanto pharyngis & œſophagi membranæ magis jam irritatæ antea fuerint. Neque vulnera, vel 128.
inteſtinis illata, cum non niſi certo temporis intervallo ſanata fuerint, cogere nos poſſe, ut, miraculoſi quid ſubeſſe, credamus, quin potius permulta exempla, obſervationesque, a circumſpectis Medicis factas, oſtendere, ſolam na-

 turam

Digitized by Google

turam ad ſananda hæc vulnera ſuffeciſſe, potuiſſeque etiam papillam mammæ iterum appoſitam adglutinari, cur-
Pag. 135. torum Chirurgiam evincere. Tandem vero, quod, ab Exorciſta Latine interrogata, eodem idiomate loqui dicatur, cum *Valcarenghius* ipſe audiverit, id quaſi ex habitu data occaſione feciſſe, & ſine ordine, cum nempe per decennium exorcizantes ſacerdotes audiens Latina aliqua ver-
142. ba didiciſſet. Oſtendit præterea Autor, unde rejectas peregrinas res puella depromſerit, eamque aliquando ab ærumnis hiſce penitus evaſuram, modo nihil amplius peregrini ingurgitaret, atque cum amicis ſociis mulieribus converſaretur, vias vero ſic dictas primas repurgaret, atque iis uteretur, quæ tumultuarios humorum æſtus refrænare queant. In fine Diſſertationis *Joſephi Migliavacca* Epiſtola ad *Valcarenghium* legitur. Eaque, præter morbi hiſtoriam, varias ad eam factas Animadverſiones continet, quæ a *Valcarenghio* prolata illuſtrant atque confirmant.

NOVUM LEXICON GRÆCO-LATINUM IN Novum D. N. J. C. Teſtamentum. Congeſſit, & annotationibus philologicis in uſum Scholarum illuſtravit, CHRISTIANUS SCHOETTGENIUS.

Lipſiæ, impenſis Bernh. Chriſt. Breitkopfii, 1746, 8.
Alph. 1 plag. 22.

Plures quidem jam exſtant vocabulorum Græcorum in N. T. indices, quos inter de *Paſoriano* ipſe Cel. *Schœttgenius* meruit, ac peculiaribus etiam ſuis prærogativis, præſertim quod ad ſignificationum conjunctionem diſtinctiorem & accuratiorem attinet, pollet *Stockianus*; neque tamen omnino actum egiſſe putabimus, & a more ſuo declinaſſe, diligentiſſimum hujus pariter *Lexici* Editorem. Dum quotidianis ſacer N. T. contextus illuſtratur curis, repetitis etiam opus eſt indiciorum collectionibus, ac velut ſupplementis. Hic autem non modo ſtatuam invenimus Mercu-

Digitized by Google

Mercurialem; ex ſeſe multa novit aſſiduus Minervæ comes ipſeque fidus interpres. Singulare autem adhuc meritum habet Editor. Notum eſt, quid in Ebræa lingua Judæorumque antiquitatibus præſtiterit inclutus *Horarum Hebraicarum* Autor; haud igitur potuit, quin huc pariter attentos oculos referret. Immo vero, ſuæ Junonis amore captus, longe diverſam in N. T. a reliquis ſcriptoribus Græcis rationem ſcribendi, ut & in LXXII interpretibus, deprehendit, ex vulgaribus gentilium Servatoris atque illius amicorum orationibus exponendam. Exempli loco, in præfatione, nominavit vocabula: *αἰὼν*, *κόσμος*, *φιτεία*, *ὑψόω*, *ἱκανὸς*, quibus alia multa jungi poſſe arbitratur. Ἀιὼν reſpondere ſignificatu dicitur Ebræorum τῷ עוֹלָם, quod quidem utrumque vocabulum nobis deſignare videtur Perpetuitatem, vel abſolute talem, vel ad definitum quendam circumſtantium rerum complexum, unde & plures *αἰῶνες* memorantur, & nexus rerum naturalium, quem vocant mundum, idem obtinet nomen. Is a Judæorum magiſtris dicitur עוֹלָם הַזֶּה, atque illis opponitur עוֹלָם הַבָּא: quæ tamen diſtinctio etiam ad complexum temporis Meſſiam exſpectantium, vel dies legis, eique oppoſitum exhibiti redemtoris, ab iisdem accommodatur; quo & ſacri ſcriptores adhibent ſenſu, ne minus, quatenus id cognorunt, profani. Vocabulum *κόσμος* cum primo aliquatenus conſentit. Ut enim illud notat mundum, reſpectu ad illius ſpatium definitum habitó, quo perpetuitatem ſuam abſolvit; ita hic præſertim ornatus ejusdem & apparatus conſideratur. Inde præſentem fortunam, conſpicuam, multitudinem, immo vel omnes homines, præcipuum mundi ornamentum, vel mundi apparatu captos, ſive improbos, deſignat. Quibus æque accommodatum ſenſum Cel. *Schættgenius* addit, antiqui nimirum fœderis, atque illius temporum deſignationis, ut & aſſeclarum, ſeu Judæorum Eo refert plurima loca, e. g. *Jo. I, 10, VIII, 23, IX, 39, XI, 9, XII, 25, 31, XIII. 1, XIV, 17, 22, 27, 30, 31, XV, 18 ſeq. XVI, 8, 11, 20, 28, 33, XVII, 6, 9, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 18,*

21, 23, 25, XVIII, 20, 36, 1 Cor. I, 20, III, 19, VIII, 31. Gal. IV, 3, VI, 14, Eph. II, 2, Col. II, 8, 20, 1 Jo. III, 1, 13, IV, 3, 4, 5, V, 4, quorum tamen pleraque forſitan & antecedentem aliquem ſenſum admittent. Ἱκανὸς per ſe notat idoneum ad rem aliquam præſtandam, convenientem, ſufficientem, ſatis magnum & multum, quo & pertinet *Luc. XXI, 38,* ἱκανόν ἐστι, quod Noſter exponit: *abſurdum eſt, quod profertis, deſinite tam inepta profari,* habere, addens, ſignificationem Ebrææ locutionis: הַ ךְ *ſufficit tibi*, quæ uſurpetur a Judæis, quoties ab altero aliquid abſurdi nuntiatur, qui tacere potius debebat. Φυτεία *Matth. XV*, ubi per allegoriam Chriſtus loquitur, ex formula Judæorum apud Magiſtros ſolenni קצץ נטיעות, eradicare *plantationes*. h. e. primaria fidei capita dejicere, exponitur, ut ſit *doctrina*. Ὑψόω, in altum tollo, ex Ebræorum loquendi modo indicare debet generatim *mori Jo. III, 14, XII, 23, 34,* ubi ſupplicium de cruce pendentis innuere Servator videtur. Eadem ex Ebræa lingua interpretandi ratio additur vocabulo ψυχὴ, inprimis loco *Ebr. X, 38.* In eo quidem rectius exponendo ſimul voc. πνεῦμα in ſacris conſiderari meretur. Ψυχὴ autem, quod alibi dicere meminimus, ſignificabit primo habitum *Job. XLI, 21, ό*, deinde animum, generatim tam hominum, quam brutorum, ejusque vitam; συνεκδοχικῶς autem vel mentem, vel, quo ſenſu ſæpius adhibetur, τῷ πνεύματι oppoſitum, inferiores animi facultates, naturam hominis corruptam ac perverſam, immo & hominem totum, rariſſime autem ſolum corpus, *Act. II, 27.* Quod reſtat, in oculis habuiſſe etiam hic videtur Cel. Autor Rev. *Jo. Laur. Moshemii* conſilia in *Obſervationum ſacrarum & hiſtorico-criticarum Lib. I* (Amſt. 1721) *Cap. 1, de eo, quod juſtum eſt circa SS. literarum ex Græcis & Latinis ſcriptoribus interpretationem & emendationem.* Non enim vocabulorum notationibus nimium adhæret, neque ad elegantias Græcorum ſcriptorum exigit omnia, neque myſteria in omnibus prope vocabulis quærit, & quæ ſunt alia hujusmodi. Contra vero, qui plura dabunt, ſcriptores curioſius allegat, ac præſertim idoneas inter-

interpretationes ipſarum N. T. rerum ſingulis in paginis conjungit.

PROBLEMA, ANALYSTIS, AD ID, UT SOLVATUR, PROPOSITUM.

Sit æquatio quarti gradus ſecundo termino deficiens

$$x^4 = pxx + qx + r$$

ubi p, q, & r, quantitates datas cum ſuis ſignis denotant. Transformetur dicta æquatio in hanc aliam itidem quarti gradus, ſed ſecundo termino pollentem:

$$x^4 = fx^3 + gxx + hx + r$$

hujus naturæ, ut incognita x eadem ſit in prima & ſecunda æquatione, & pariter idem ſit in æquatione utraque homogeneum comparationis r. Coefficientes vero ſecundæ æquationis, videlicet f, g, h, determinentur per coefficientes p & q æquationis primæ, & per commune homogeneum comparationis r.

PHILIPPI MAZOCHII, J. C. NEAPOLITANI, in cauſa Hilari Fide conſtituti actorum recenſio, qua totum Inſcriptionis Hilari judicium, per temporum articulos diſpoſitum, proponitur. Cui ſuis locis, præter acta cetera, inſeruntur partium allegationes ſequentes: I ALEXII SYMMACHI MAZOCHII ad Illuſtriſſimum DOMINICUM GEORGIUM de Hilari Epigrammate Epiſtola; II Diarii literarii Romani fragmentum; III LUDOVICI SABBATINI ad Eminentiſſ. BESOZZIUM de eadem Inſcriptione Epiſtola, ad editionem principem recenſita, cum ejusdem PHILIPPI MAZOCHII variis lectionibus, & animadverſionibus; IV ALEXII SYMMACHI MAZOCHII ad Illuſtriſſ. GEORGIUM de eadem Inſcriptione poſterior Epiſtola.

Neapoli,

Neapoli, 1745, 4 maj.
Plag. 8.

Mazochius, per ſe laudabili pietate ductus, *Alexium Symmachum*, patruum ſuum, iſthoc ſcripto defendit. Quamvis enim hic ipſe tantum obtrectationes cujusdam curet, *quantum aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas*; ille tamen educatoris ac doctoris, præter neceſſitudinem, famæ hoc dandum eſſe putavit, ut omnes ab ea maculas abſtergeret. Neque alia fuit ratio, quam ob rem ejusmodi defenſionem amico patrui fautori, *Vincentio Hippolyto* S. R. C. & R. Cameræ S. *Claræ*, adeoque Neapolitani fori, ſupremo Præſidi, quem non modo propter juridicam eruditionem, verum etiam eloquentiæ ac poeticæ ſtudia, celebrat, conſecraret. Hinc, num pie ſatis, alii judicent, J. M. J. præſidibus quaſi controverſiæ invocatis, eadem, ordine temporum ſervato, ſic exponitur. Anno 1743 Menſe Decembri in cœmeterio Prætextati Appia via Chriſtiana detecta fuit inſcriptio, cujus exemplum erat ejusmodi:

HIC . REQVIESCET . IN
PACE . FEDE . CVSTITVT
VS . ILARVS . QVI . VIXIT
ANNVS . E L . MS . XXV

Inferius conſpiciebatur ab utroque latere columba cum corona in roſtro, in medio vero notum illud monogramma Chriſti. Frater *Sylveſter Meranus* illius inſcriptionis exemplum ad *Benedictum XIV* detulit, qui ab ἀρχαιολόγοις illam inquirendam jubendo curavit. Inter hos *Dominicus Georgius*, ab intimo S. Pontificis ſacello, qui nuper *Adonis Martyrologio* illuſtrato inclaruit, ſcriptis ad *Bernardum Cangianum* Canonicum, Neapolitanum, menſe Januario, A. 1745 literis, quæ perierunt, ac paulo poſt ad Noſtri patruum, quæ hic ab eodem exhibentur, id ipſum negotium poſteriori commendavit.

davit. Juſſus igitur inquirere *Alexius*, quanquam edendo in faſtos marmoreos Commentario, non ſine juſſu primarii antiſtitis *Spinelli*, ſolum intentus, impetrato tamen ab eodem bidui ſpatio, epiſtolam ad *Georgium* ſcripſit, qua rem totam ita explicuit, ut non minimas ejusdem laudes mereret, dum et Autore inſcio publici juris eandem Romæ amicus faciebat. Miſſi *Alexio* exempli poſtremi linea præferebat: VIXIT. ANNVS. IL. MS. XXV. quod hic expoſuerat: vixit annos undequinquaginta, menſes XXV, ac priorem annorum ſummam ad vitam ante ſacrum fontem obtentum, alteram menſium ad conſequentem, idoneis ipſi argumentis ex antiquitate petitis accommodarat. Indicabatur autem deinceps, accuratius inſpecta inſcriptione, vanam hic fuiſſe diſtinctionem iſtam, verbaque *plus minus* legenda, ſic ut circiter XXV annos vixerit, cujus ſepulcro inſcriptio ſerviebat. *Symmachus*, aliter ſentiens, figuram alias inſolitam Ᵽ accipit pro P, & m, ita ut hæc ſola notet *plus minus* MS. *menſes*, exciderit autem lapicidæ negligentia poſt X. litera D, ac legendum ſit: *plus minus L, menſes X, dies XV*, vel, quod nos magis coactum arbitramur, itidem ad tempus ante ac poſt ſacrum lavacrum reſpici debeat. Hinc *Sabbatinus* proſiluit, cujus epiſtolam *Mazochius* inſerens, atque obſervationibus proſcindens, omnium riſui exponere laborat. Vel ex hactenus dictis maximum controverſiæ momentum patebit, quod efficit, ut, veniam nos eſſe conſecuturos, arbitremur, non ſolum ſi dicamus, noſtrum haud eſſe, tantas de Græcorum ſalute lites componere, verum etiam ne quidem ulterius proferre pedem audeamus. Attamen in mentem nobis ſimul veniunt regulæ quædam, tam Criticis & Antiquariis, quam omnibus omnino literatis, perquam commendabiles. Eſt inter eas *Horatianum* illud: *Turpe eſt, difficiles habere nugas*, quod abjicere ſuadet vana atque inutilia, nec niſi vere profutura, tanta rerum in copia, vitæque brevitate, permittit. Eodem ſpectat ſententia poetica: *Didiciſſe fideliter artes, emollit mores, nec ſinit eſſe*

Digitized by Google

feros, quæ quidem, ſi cum divini ſpiritus oraculis conferamus, omnibus acerbioribus jocis ac detorſionibus graviter interdicit. Utriusque tertia, quæ, non ſibi quemlibet natum eſſe, ſed Deo ac rei publicæ, contendit, fulcrum eſſe poterit atque argumentum.

NOVA LITERARIA.

Quæ nuper de *Symbolis* ſuis *literariis* Celeberrimus Florentinæ Academiæ Profeſſor, *Ant. Franc. Gorius*, publica tabula, in conſpectu orbis eruditi ſuſpenſa, nos docuit, ea, cum multis fore ſcitu admodum jucunda arbitremur, ſic, ut ſcripta ſunt a *Gorio*, legenda omnibus, qui horum ſunt curioſi, dabimus:

Symbolarum, *humaniſſimo Virorum doctorum plauſu atque approbatione, editis duobus Voluminibus, deſcriptisque in* Prodromo I *Opuſculi, quæ in ipſis continentur; nunc ea, quæ proferuntur in tribus ſequentibus Voluminibus, nempe III, IV, & V, intra proximum menſem Octobrem hujus anni in lucem prodituris, breviter deſcribere, & reliqua recenſere, optimum factu viſum eſt. Interim monemus eos, qui ſocietatem iniere, in poſterum ſolvendam eſſe in anteceſſum dimidiam pretii partem Voluminum, quæ prodibunt; ita tamen, ut nihil ſolvant, dum poſtrema edita Volumina exſtabunt, & accipient ab his, qui Typographei Imperialis Florentini curam agunt, nempe a* Jo. Cajetano *&* Sancte Franchio. *Reliqui, qui nec nomen, nec præviam pecuniæ ſymbolam, dederint, intra proximum Octobrem hujus anni 1749 ſolvent pro quolibet Volumine non tres, ſed Julios quinque.* Volumen *igitur* III *continet* I. D. Anſelmi Coſtadoni, *Veneti, Monachi Camald. & Bibliothecarii Monaſterii S. Michaelis de Muriano, in Græcam pervetuſtam Iconem ligni S. Crucis, inſertam in eburnea anaglypha tabula, Obſervationes. II. De mitrato Jeſu Chriſti crucifixi Capite, uti ſculptus eſt in vivifico Sanctæ Crucis ligno inſignis magnitudinis, quod ſervatur*

tur in Theſauro Baſilicæ Baptiſterii Florentini, *Commentarius* A. F. Gorii, *ejuſdem Baſil. Præpoſiti. III.* Pauli Mariæ Paciaudi, *Cler. Reg. Presbyteri*, *de veteri Chriſti Crucifixi ſigno*, *&* *antiquis Crucibus*, *quæ Ravennæ ſunt*, *Diatribe. Accedunt monumenta alia, nondum edita. Singula Volumina, cum edita, tum edenda*, *&* *quæ hic deſcribuntur*, *Tabulis non paucis, vel æri*, *vel buxo, inſculptis*, *ornantur*: *quapropter, cum hæc Volumina multis cum impendiis excudantur, qui non ſubſcripſerint intra ſancitum tempus*, *Societatis hujuſce fructum non percipient. In* Volumine IV, *quæ ſequuntur*, *continentur*: *I.* Jo. Baptiſtæ Paſſerii, *Piſaurenſis, de Hebraiſmo Ægyptiorum Diſſertatio. II. Accedit Lexicon Ægyptio-Hebraicum*, *nempe vocum Ægyptiarum*, *quæ ex Hebraica lingua derivantur. III & IV. Ejuſdem Cl. Autoris Diſſertationes duæ*: *I. Jupiter* πολυστεφὴς, *ſive de aheneo Jovis ſigno antiquo*, *duplici ſerto coronato ; II. de Nummo æreo Balleorum*, *qui nunc primum in lucem prodit. V. de Craſſitie laterum*, *quibus veteres in magnis molibus & ſubſtructionibus utebantur*, *Epiſtola P.* Jacobi Belgradii, *Soc. J. P. &c. VI. Ejuſdem Epiſtola altera*, *qua Baſis Ariminenſis Inſcriptio militaris, recens inventa*, *illuſtratur. VII.* Franciſci Ant. Zachariæ, *Soc. Jeſ. Presb. de C. Nonii Capiani Inſcriptione, Arimini nuper reperta*, *Epiſtola*, *&c. VIII. Ejuſdem Lettere ſopra alcune Antichità di Piſa.* Volumen V *hæc complectitur*: *I. Placitum, Ravennæ apud Claſſem habitum a Silveſtro II, Pont. Max. & Ottone III, Auguſto Imper. monumentum inſigne, nunc primum editum*, *atque Obſervationibus a Præſtant.* Lud. Ant. Muratorio *illuſtratum.* II. *Inſcriptiones antiquæ ineditæ*, *quibus Muſeum Monaſterii S. Pauli Romæ ornavit*, *& ſuum Ravennæ*, *Cl. Præſul D. Abbas* Paulus Ginannius, *qui eas exſcripſit*, *ac miſit* Gorio, *qui Notas adjecit. III. Exemplar Tabulæ Trajanæ ex ære; magnitudine & inſcriptione inſignis*, *pro Pueris & Puellis Alimentariis Reipublicæ Vellejatium*, *in Italia inſtitutis liberalitate Trajani Aug. ex ipſo archetypo, in Placentina ditione nuper effoſſo, &c. editum cura & recenſione* A. F.

Hhhh 2 Gorii.

Gorii. *Illuſtratur Commentario ejuſdem* L. A. Muratorii *cum hoc titulo*: *IV Dell' inſigne Tavola di bronzo*, *ſpettante a i Fanciulli e Fanciulle Alimentarj di Trajano Auguſto nell' Italia*, *diſſotterrata nel Territorio di Piacenza l' anno* 1747 *intera edizione*, *e ſpoſizione fatta da* Lodovico Antonio Muratori &c. *V. Elenchus Opuſculorum*, *quæ in reliquis* Symbolarum *Voluminibus proferentur*. *In* Volumine VI *Opuſcula hæc continentur*: *I. P.* Zachariæ Franciſci Antonii, *S. I. P. de Inventione Sanctæ Crucis*. *II. Diſſertatio* Dominici Mariæ Mannii *de Titulo Dominicæ Crucis archetypo*, *ejuſque vera forma & epigraphe*, *ſeculorum barbarie*, *& artificum licentia*, *nunquam recte expreſſa*. *III. Theſes hiſtoricæ*, *chronologicæ*, *criticæ*, *philologicæ*, *&c. ad Vitam S. Conſtantini Magni Imperatoris Auguſti*, *propoſitæ ab* Antonio Maria Lupio, *Florentino*, *Soc. Jeſu*, *cum Annotationibus & Appendice* Franciſci Antonii Zachariæ, *ejuſdem Societatis*. *IV. Veteris Gemmæ*, *ad Chriſtianum uſum exſcalptæ*, *brevis explanatio*, *Autore* Franciſco *Equite* Victorio. *Editio tertia auctior*. *In* Volumine VII *exhibentur*: *I. Animadverſiones in lamellam æneam vetuſtiſſimam Muſei Victorii*, *auctæ ſecundis curis*, *& ab Autore recognitæ*. *II. P.* Franc. Ant. Zachariæ, *S. I. P. De Encolpiis*. *III. Ejuſdem Bibliotheca Capituli Piſtorienſis*. *IV. Lettere antiquarie inedite del P.* Anton Maria Lupi, *della Comp. di Geſu*, *colle Annotazioni del prelodato P.* Zaccaria. *V. Ejuſdem Monumentorum aliquot medii ævi ineditorum Spicilegium*. *VI. Ejuſdem Diſſertazione delle Scuole degli antichi Romani*. Volumen VIII *hæc habet*: *I. Sopra le figure circoſcritte al Circolo ed alla Sfera*, *Lettera del Sig.* Franceſco Maria Zanotti, *Pub. Lettore di Filoſofia nell' Univerſità di Bologna*, *e Segretario perpetuo dell' Acad. delle Scienze della med. Città*. *II. Lettera del R. D.* Felice Balaſſi, *C. R. del Salvatore al prelodato Sig. Zanotti*. *III. Sopra le nuove Proprietà delle Figure quadrilatere Diſſertazione del Sig. Conte* Gregorio Caſali, *Bologneſe*, *Profeſſore Soſtituto di Architettura militare*, *ed Accademico dell' Inſtituto delle Scienze*, *e dell' Arti*.

IV. De

IV. De magnitudine maritimi itineris invenienda nullis habitis aſtrorum obſervationibus Prælectio, habita in Archigymn. Patavino A. 1747 a Joanne Rynaldo *Comite* Carlio, *Publico Scientiæ Nauticæ & Geographiæ Profeſſore. V. Del med. Sig. Conte* Carli *Ricerche ſopra l' origine, ſtruttura, ed uſo, delle antiche Navi militari turrite. VI. Sopra l' iſteſſo oggetto Diſcorſo Accad. del Sig. Dottor* Andrea Pietro Giulianelli.

Elenchus Opuſculorum, quæ in ſequentibus Symbolarum Voluminibus proferentur:

Promiſſa jam ſunt bona fide, quam ſancte ſervabimus, hujusmodi Symbolarum Volumina XII, *quæ, Deo dante & favente, ut ſperamus, intra ſequentem annum 1750 in lucem exſtabunt. Cum autem, ut evenire ſolet, quorundam maleferiatorum hominum vitio, ne dicam invidia, apud exteros rumor increbuerit, qui vanus ac falſus omnino erit, telam hanc brevi interciſam & abruptam remanſuram; non abs re viſum eſt Clarorum Virorum Opuſcula hic enumerare, quæ majori ex parte jam penes nos ſunt; quamvis alia multa, præſertim ſcientifica, quæ nunc ſcribuntur, quamprimum abſoluta nobis promittantur: id vero perlubenter, Amicis quibuſdam monentibus, facimus, ut interim eorum præclari labores, queis nos incredibili humanitate ac ſtudio, paucorum menſium intervallo, donarunt, literato orbi innoteſcant: Acta Academiæ Flor. del Cimento ab origine ſua ad 1647, nunc primum ex autographo edita*; Matthæi Aegyptii *Comitis, Sereniſſ. Regis utriuſque Siciliæ Bibliothecarii, Epiſtolæ ad A. F. Gorium de Vaſculorum antiquorum picturis, ac de rarioribus Capuanorum, aliorumque populorum, Numis ineditis;* Anonymi *in fine Codicis Doniani Epitaphia antiqua Daciæ & Hungariæ, ab eo viſa & exſcripta, cura* Ant. Fr. Gorii *edita;* Anonymi Romani *marginales Notæ, recenſiones, emendationes ad fidem archetyporum in Epigrammata antiquæ Urbis, edita a* Jacobo Mazochio *anno MDXXI, regnante Leone X, P. M. ex Autographo* Jo. Bapt. Donii, *curante* A. F. Gorio; Fil. Baldinucci *Lettere ſpettanti all' eccellenti opere di vari celebri*

 Pittori,

Pittori, date ora in luce; De' Bardi *Giov. Gentil. Fiorentino. Diſcorſo ſopra la Muſica antica, e'l cantar bene*; Petri Angelii Bargæi *Epiſtolæ aliquot, nunc primum in lucem prolatæ*; P. Jac. Belgradius, *Soc. Jeſu Presb. &c. Opuſcula mathem. & philologica pro Symbolis elucubrat*; Joannis Dominici Bertoli, *Comitis & Canonici Aquilejenſis, Theſaurus Imperialium Numiſmatum pretioſiorum Latinorum & Græcorum ex omni metallo ac modulo, quæ nova, compendiaria, perbrevi, accurata, & nunquam antea excogitata, deſcriptione recenſentur*; *Idem abſoluto altero Aquilejenſium Inſcript. ant. Volumine, Opuſcula pro* Symbolis *parat*; Joſ. Binii, *Glemonenſis Baſilicæ Archipresbyteri, de Inſtitutis veterum Sanctimonialium Glemonenſium, cum hiſtoria præſertim Monaſteriorum S. Blaſii, S. Agnetis, & S. Claræ; qua occaſione eximia non pauca, nunquam antea edita, monumenta proferuntur & illuſtrantur*; *ejuſdem in Baptiſterium antiquum Sanctæ Glemonenſis Eccleſiæ Obſervationes*; *ejuſdem Selecta atque inſigniora medii ævi monumenta, e Modetienſi Tabulario depromta, nunc primum edita cum Notis ejuſdem*; *ejuſdem Memorie ſtoriche ſpettanti a Napino della Torre, Capitano Generale de' Fiorentini*; *Excerpta genealogica de Advenis, Civibus, & Incolis Glemonæ, præſertim Nobilibus Viris Florentinis, Senenſibus, &c. aliæ Lucubrationes, ab eodem V. C. in* Symbolis *proferendæ, promiſſæ ſunt*; Antonius Maria Biſcionius, *Canonicus Baſilicæ S. Laur. atque ejuſdem Imper. Bibliothecæ Præfectus, multa pro* Symbolis *Analecta, Opuſcula, & Monumenta medii ævi, in promtu habet edenda, præſertim, eo favente, ex Imperiali Medicea Laurentiana Bibliotheca depromta, quæ in ejus Catalogo accurate recenſentur*; Joſeph. Blanchinius, *Presbyter Congregationis Oratorii Romæ, ea, quæ ſequuntur, in* Symbolis *edenda* A. F. Gorio *humaniſſime dedit*; *Necrologium autographum Ordinis S. Benedicti a Guittone Monacho deſcriptum ab anno MLXXV, & a Succeſſoribus continuatum uſque ad XIII Seculum*; *Leonis X, P. M. Breves & Privilegia, collata Eccleſiæ Venetæ S. Georgii Martyris*;

Digitized by Google

tyris ; Hymni ſacri & Epigrammata vetuſta , ornamentis Eccleſiarum Romæ appoſita ; Paſſio Sanctorum Nazarii, Gervaſii, Protaſii, & Celſi pueri ,ex antiquiſſimo Codice ; Expoſitio Apocalypſis Joannis Apoſtoli, ex Codice vetuſtiſſimo nunc primum edita ; Ven. Beda Opuſculum de VI ætatibus mundi, deſcriptum e Codice Vallicelliano X Seculi, quod plurimum diſcrepat ab editionibus, curante eodem Cl. Joſepho Blanchinio ; *Prudentii, Epiſc Tricaſſenſis, Opuſculum, nunquam antea editum, quod tam e Veteri, quam e Novo, Teſtamento collegit, & ad ſacros Ordines properantes memoriæ commendari præcepit; in Cantica Canticorum Expoſitio , quæ, incertum, utrum ſit Epiphanii, Epiſcopi Cypri, an Philonis Carpathii, ſive alterius Autoris ; Litania Romana, ſcripta, ut videtur, Seculo X ; Diptychæ Tabulæ, nominibus plurimis inſcriptæ ; Nomina Fratrum de Societate XII Apoſtolorum ; Nomina Canonicorum Pariſiacenſium ; Nomina Infirmorum ; Nomina Defunctorum ;* Salvadore Maria *di* Blaſi , *Monaco Caſin. Lettore , e Bibliot. e Prefetto del Muſeo del Monaſtero Gregoriano di S. Martino di Palermo, Diſſertazione ſopra le pitture di un vaſo antico Greco Siculo ;* Philippi Bonarrotii, V. C. *Senatoris Florentini, Additamenta & Emendationes, ad marginem ſcriptæ ejus Operum i Medaglioni del Muſeo Carpegna, ed i Vetri antichi Cemeteriali, ex ejus autographo ;* Fed. Borromæi, *Cardinalis, Archiepiſcopi Mediolani, de Pictura ſacra Libri duo, ab eo aucti & recogniti : ſecunda editio, cum aliquot Annotationibus* A. F. Gorii ; *Ejuſdem Muſeum ;* Jo. Bottarius , *Præſul, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, complura rariora Opuſcula. cum edita tum inedita, pro* Symbolis *communicavit* ; Dominici Brichieri Columbo, *Patric. Finarienſis , quæ ſequuntur : I. Hiſtoriarum ac Fabularum, quarum D. Gregorius Nazianzenus meminit Oratione in Sancta Lumina, Explicatio, ex MSto Codice Auguſt. Vindobonenſis Bibliothecæ nunc primum eruta, & ad fidem Codicum Mediceæ Laurentianæ caſtigata : prodit Græce & Latine ;*

tine ; de Iſide Pharia , ejuſque cultu & ſacris ; de Ligniferis , Dendrophoris , & Centenariis , Diſquiſitiones VI, quibus variæ Codicis Theodoſiani Antiquitates explicantur ; de Auguſtalibus & Seviris , & de Paſtophoris ; Alexandri Brugiotti, *Profeſſ. Flor. de Magiſtratu Ædificiorum, olim Ædili nuncupato, Tractatus; ex quo deſumitur præſtantia juris ædificandi tam reſpectu Principis, quam ipſius magiſtratus , ex avtographo ejus nunc primum editus;* Petri, Burmanni *Fr. Fil. & Nep. Amſteladamenſis, Diſſertatio de Jure aureorum Annulorum , cum Additamento;* Jo. Raynaldus Carlius, *Comes, Publ. Scientiæ Nauticæ & Geographiæ in Patavino Archigymn. Profeſſor , Tractatum hunc elucubrat: Nuova Macchina da eſſo ideata, con cui più facilmente, che con ogn' altra, ſi può miſurare il corſo dell' Acque correnti ; idem alia Opuſcula ſcientifica ad Gorium parat* ; Calliſthenis Megapolitani *de Cive docto, honeſto, & probo, Liber I*; ej. *de Cive indocto, inhoneſto, & impoſtore, Liber II;* Joannis Hieronymi Carli, *in Collenſi publico Gymnaſio humanior. Liter. & in Semin. Theol. Profeſſoris, Monumenta, ex antiquis Codicibus excerpta, nunc primum edita, & Notis illuſtrata: præſertim Epiſtolæ aliquot Latinæ Celeb. Joannis Boccaccii, Oratoris Flor.* ; Gregorius Caſalius, *Comes, ſuperius laudatus, alias Lucubrationes pro* Symbolis *parat*; Jo. Checcotii, *Can. Theol. Vicetini, Explicationes Gemmarum aliquot antiquarum , & Diſſertationes pro* Symbolis; Jo. Clerici , *& aliorum Clarorum tranſmarinorum Virorum, ad Cel.* Ant. M. Salvinium *Epiſtolæ*; Antonius Mugellanus Cocchius, *Medicus in Flor. Archinoſocomio S. Mariæ Novæ, Anatomes Profeſſor, Muſei Florentini Imperialis Cimeliarcha , Lucubrationes aliquot pro* Symbolis *parat;* Eduardi Corſini, *e Cler. Reg. Schol. Piar. in Piſano Athenæo Profeſſoris, Animadverſiones in Epigraphen Græcam Lebetis ærei, donum Regis Mithridatis Eupatoris, ex Portu Antiate educti, nunc in Muſeo Capitolino reconditi; ejuſd. de Natali die Platonis, ejus ætate, & in Italiam itineribus;* Caroli Dati, *Patric. Florent. Obſervationes in Fragmen-*

Fragmenta Capitularis Lotharii Imper. Aug. Accedunt Chartæ omnium antiquiſſimæ, quæ in Florentinis Archivis aſſervantur, cum Notis A. F. Gorii, *qui eas in lucem nunc primum profert*; Vitaliani Donati, *Patav. Phil. Medici, ac Botanici, Storia naturale del Mare, iu cui ſi fanno conoſcere le leggi delle progreſſioni della Natura, con un Saggio delle ſuddette leggi*; Jo. Bapt. Donii, *Patric. Florent. Catalogus Autorum antiquorum & ſemiantiquorum, qui nondum in lucem prodiere, ex Vaticana, aliisque toto orbe celeberrimis Bibliothecis*; *ejuſd. Diſcorſo ſopra un Medaglione ſacro Greco d' oro al Sig. Card. Franceſco Barberini*; *ejuſd. Diſſ. de Veterum cultura per ignem*; *Epiſtolæ Clarorum Antiquariorum, qui, jubente Sereniſſ. Card. Leopoldo Medice, pretioſa omnis generis cimelia collegere, quæ in Muſeum Mediceum illata ſunt, ex avtographis*; Jac. Facciolatus *Elucubrationes aliquot ſuas pro* Symbolis *habet*; *Familiarum Magnatum Florentinorum ſeries ex vetuſtis monumentis: quarum gentilitia inſignia, ſive, ut ajunt, arma, mutata ſunt, cum obſervationibus*; Franciſci Florii, *Comitis, Canonici Aquilejenſis, Diſſertationes, quibus medii ævi monumenta, ritus, ac leges, expenduntur, & illuſtrantur*; *ejuſd. in Sepulcrum Gaſtonis, Aquilejenſium Patriarchæ Obſervationes; de Servis & Libertis medii ævi*; *alia opuſcula idem promiſit*; Juſti Fontanini, *Archiep. Ancyrani, Achates Iſiacus, e Muſeo Capponio depromtus, cum Auctario* A. F. Gorii; Jo. Fabbrinii, *ICti Florentini, Diſſertationes*; Eraſmi Frœlich, *Soc. Jeſu Presbyt. Animadverſiones in quosdam Nummos veteres Urbium cum Tabulis VI ære inciſis*; *editio altera, cum vetuſtis aliis monumentis ab Autore recognita, & aucta*; *ejuſd. Compendiariæ Notæ, in Numis Latinis expoſitæ*; Ant. Franciſcus Gorius, *harum* Symbolarum *Autor, Deo volente, & juvante, hæc, quæ recenſentur, in lucem proferet: de primævis Florentinis Chriſti fidelibus, eorumque Baptiſmate, Exercitationes; accedunt criticæ Animadverſiones; Admiranda Antiquitatum Herculanenſium, novis curis illuſtrata,*

 atque

atque a nonnullis difficultatibus vindicata, adjectis Clarorum Virorum jam editis obſervationibus: accedit Diſſertatio de illuſtribus Noniis, apud Campanos; de antiquis Eccleſiarum Hierothecis: qua occaſione Inſcriptiones Græcæ complures, quæ Lipſanothecas Baptiſterii Florentini ornabant, afferuntur & illuſtrantur; Vetuſti marmorei Ambonis Eccleſiæ Florentinæ Sancti Petri Scheradii ſacra Emblemata, nunc primum Tabulis æneis delineata, & obſervationibus illuſtrata; Monumenta ſacra inſigniora Abbatiæ S. Hilari, Ordinis Valliſumbroſæ, nunc primum prolata & illuſtrata; Spicilegia antiquorum Lapidum, ſcriptorum ex Epiſtolis Clarorum Virorum Amicorum; Diſſ. de priſco cultu S. Joſephi in Eccleſia Florentina; Hagiologium ſanctæ Florentinæ Eccleſiæ, ſive Lectiones antiquæ, Natali die Sanctorum Florentinorum in divinis Officiis recitari ſolitæ, in unum corpus collectæ, & exſcriptæ ad fidem Codicum vetuſtorum, cum Annotationibus; Diſſ. de fabrilibus inſtrumentis ac ſymbolis, quæ manibus gerunt XII Apoſtoli Chriſti Domini, in monumentis antiquis expreſſi; Liturgia antiqua Sanctæ Florentinæ Eccleſiæ, cum obſervationibus; Diſſ. de forma, cultu, ornatuque, veterum Baptiſteriorum apud Chriſtianos: qua occaſione Baptiſterium Florentinum illuſtratur, adjecta ejus Hiſtoriæ Synopſi; in Picturas ſacras omnium vetuſtiſſimas Florentinæ Eccleſiæ Obſervationes; Vetuſta monumenta Liturgica ad Baſilicam reconciliandam; Diptychi Quirinioni, nunc Vaticani, brevis hiſtoria; Diſſ. *de ritu attollendi faces in ſacris Eccleſiarum myſteriis; de Hoſpitali S. Jacobi de Altopaſſu, ejuſque magno Magiſtro & Fratribus &c.; Conſtitutiones, ſive Regulæ eorundem Fratrum, nunc primum e Codice membranaceo Cl. Senatoris* Capponii *editæ, adjectis obſervationibus: ubi Monumenta, Privilegia, Bullæ, Sigillorum ectypa, & antiquæ Inſcriptiones, ad idem Hoſpitale pertinentes, afferuntur; Picturæ ſacræ pervetuſti Codicis membranacei Græci, qui exſtat in Bibliotheca Abbatiæ Florentinæ Caſinenſium, cum obſervatio-*

ſervationibus; *Codicum rariorum deſcriptio*, *qui e Florentinis Bibliothecis in lucem proferri poſſunt*; *Gemmæ antiquæ Circenſes rariores*, *nunquam antea editæ*, *obſervationibus illuſtratæ*; *Diſſ. de Cultu Nili*, *ejuſque ex aquaticis plantis feracitate & utilitate*, *quam muſivi operis inſignis pictura*, *qua illuſtratur*, *oſtendit*; Sex. Rufi *V. C.* & P. Victoris *de Regionibus Urbis textus auctus & emendatus ad fidem complurium Codicum antiquorum*, *adjectis Annotationibus*; *in* Jani Gruteri *Corpus Inſcriptionum antiquarum Recenſiones*, *Auctaria*, *Emendationes*, *ex Autographo* Jo. Baptiſtæ Donii, *Patric. Flor. nunc primum ab* A. F. Gorio *excerptæ*, & *publici juris factæ*; *Gemmarum antiquarum annularium literatarum Sylloge*, *cum aliquot obſervationibus*; *Arruntiorum Sepulcra*, *Romæ detecta*, *in lucem edita*, & *illuſtrata*; *Columnæ antiquæ miliariæ*, *habita temporum & locorum ratione*, *accurato ordine digeſtæ*, & *annotationibus illuſtratæ*; *Spicilegium miſcellanearum Inſcriptionum antiquarum*, *quæ in editis Theſauris deſiderantur*; *Excerptum præcipue ex Epiſtolis Clarorum Amicorum*, & *Antiquariorum*; *Meditationes criticæ*, *quibus Cenſuræ Eruditorum Virorum in edita Opera* Ant. F. Gorii *expenduntur*; *Diſſ. de Chriſtianis Virginibus*, *earumque velamine ſacro*; *Diſſ. de Veſtali Virgine Maxima*, *ejuſque honoribus*, & *immunitate apud Romanos*; *Inſcriptiones antiquæ collectæ*, & *exſcriptæ a* Franciſco Philelpho; *Analecta Epitaphiorum*, *quæ Sepulcris Clarorum Virorum ab* A. F. Gorio *inſcripta ſunt*, *curante* Andrea Julianellio, *in Flor. Seminar. Eloq. Prof.*; *Diſſ. de præſtantia & utilitate Balneorum Piſanorum*: *qua occaſione Piſanum Laconicum affertur*, & *aliis dilucidationibus illuſtratur*; *nec non de Balneis & aquæductibus*, *a Mathilde Comitiſſa in publicum uſum apud Piſanos exſtructis*: *qua occaſione nondum edita monumenta proferuntur*; *Ichnographia Templi Dianæ*, & *Balnearum antiquarum Nemauſenſium*, *quæ detectæ*

Digitized by Google

ſunt cum aliquot ſcriptis marmoribus, anno 1739; Camilli, veterum Sacrificiorum miniſtri, Icon explicata, ex marmore antiquo, atque ex æreo ſigillo; Teſſerarum antiquarum theatralium, athleticarum, & quotquot hodie exſtant, Syntagma, cum Annotationibus; Diſſ. de Candelabris veterum: adjectis eorum figuris ex inſignioribus monumentis, quæ obſervationibus illuſtrantur; Diſſ. de Salinis veterum profanis, & de ſacris in uſum Baptiſteriorum; Jovis, aquilam paſcentis, ſimulacrum marmoreum Muſei Guarnacciani illuſtratum; Bernardi Oricellarii, Patricii Flor. Commentaria in Sex. Rufum & P. Victorem de Regionibus Urbis, ex ſingulari Codice Biblioth. Illuſtr. & Rev. Canonici Subdecani March. Gabrielis Riccardi, &c.; Diſſ. de Hecate Dea, ac Diis Triformibus, Diatribe, adjectis vetuſtis Anaglyphis, Inſcriptionibus, Numis, & Gemmis; Diſſ. de Officinis vitrariis veterum, & de vitreis ac chryſtallinis vaſculis; de inſignioribus Columnarum capitulis, Deorum imaginibus ornatis; de antiquarum ararum variis emblematis; de Urnarum cinerariarum variis emblematis; Sepulchreti Florentini Doniani & Roſſelliani Epitaphia illuſtrium Virorum inſigniora: accedunt majorum Monumentorum, vulgo i Laſtroni, ſelectæ figuræ; Muſei Goriani rariorum monumentorum brevis deſcriptio; de Navibus heroicis, quarum ſchemata, ex antiquis monumentis depromta, obſervationibus illuſtrantur; Ejuſd. Dianæ Epheſiæ ſimulacra duo inſigniora tum Imper. Muſei Florentini, tum Muſei March. Donati Guadagni, Patric. Flor. obſervationibus illuſtrata; Antiqua Monumenta duo Lucenſium expoſita, & obſervationibus illuſtrata; Pondera quadrata, ſive monetæ omnium vetuſtiſſimæ, in utraque facie emblematis typicis ornatæ, quæ libras quatuor, quinque, vel ſex, excedunt, nunc primum depromtæ ex Flor. Muſeo Guadagnio, cum obſervationibus; Morphei ſimulacra inſigniora, quæ in Florentinis Muſeis exſtant, illuſtrata; Florentinæ Reipublicæ honores, ſtipendia, praeconia,

nia, in Colluccium Salutatum, *Oratorem Florent. ejuſdem Secretarium, collata, cum ineditis monumentis*; Griſellinus, *Philoſ. & Mathem. Venetus, Opuſcula quædam pro* Symbolis *elucubrat*; Leop. A. Guadagni, *in Piſano Athen. Pandect. Profeſſoris, &c. de Florentino Pandectarum exemplari, an ſit Juſtiniani Imp. archetypum, & an ex eo ceteri, quos habemus, Pandectarum libri manaverint, Diſſertatio*; Jo. Caſpar Hagenbuchius, *Canonicus Turicenſis, & in Patrio Lyceo Prof. non pauca, in* Symbolis *edenda, miſit, ac nunc elucubrat, ad antiquariam ſcientiam ſpectantia*; Andreæ Petri Julianelli, *almæ Univerſ. Theolog. Florent. Cancellarii, Diſcorſo Accademico ſopra le Navi antiche turrite, loro origine, ſtruttura e uſo*; *Diatriba prelimitare ſopra un MS. inedito di* Filippo Pigafetta, *Patrizio Vicentino, ſopra i Trinceramenti e Approcci degli antichi, con molte memorie riguardanti la Vita del medeſimo*; *de Natali die Auguſtorum Auguſtarumque Commentarius ad inſigne Marmor Florentinum, editum Tomo I Inſcr. ant. Etruriæ Urbium pag. 316*; Hieronymus Lagomarſinius, *Soc. Jeſu Presb. Opuſcula aliquot inedita humaniſſime exhibebit*; Jo. Henrici Leichii, *Lipſienſis, Opuſcula & Diſſertationes quædam pro* Symbolis; Antonii Magliabechi, *Viri Celeberrimi, Meditationes & Cenſuræ in Opera doctorum Virorum*; *item Excerpta ex Memorabilibus Hiſtoriæ literariæ, ex autographis ejus Codicibus, qui in Bibliotheca Magliabechiana aſſervantur*; Dominici Mariæ Mannii, *ex multis, hæc: Eruditorum Typographorum Vitæ*; *de Principibus Viris de Guiſa*; *Bartholomæi Scalæ, Secretarii Reip. Florent. Vita*; *Delle Pile dell' Acqua Santa, e loro uſo*; Jac. Martorellius, *in Regio Neapol. Lyceo Græc. Liter. Profeſſor, Diatribas novi Syſtematis pro illuſtratione Homeri miſit, alias parat*; Mathematicorum *ex Claſſe XI Selecta ex Catalogo Codicum MSS. Bibliothecæ Magliabechianæ, ex curis V. C.* Jo. Targionii, *Medic. Prof. & Botan. ejuſdem Biblio-*

Bibliothecarii; *ejuſdem* Jo. Targionii *Annotationes in Iter Rutilii Numatiani; P.* Joſeph Maria Mazzolarius, *Soc. Jeſu Presb. Opuſcula pro* Symbolis *nunc elucubrat;* Lorenzo Medici, *il Magnifico, Lettere tratte dalle Originali del medeſimo, ora date in luce per la prima volta;* Ant. Lud. Muratorius *alia eximia ſui ingenii monumenta, in* Symbolis *edenda, miſit, & alia parat;* Oratorum *illuſtrium Florentinorum Orationes ſelectæ, quas coram Pontifice Maximo & Regibus habuere;* Pauli Mariæ Paciaudi, *ex Cler. Reg. Teatinis, cura, Clarorum Virorum Epiſtolæ aliquot, nunc primum prolatæ: I & II* Philippi a Turre, *Epiſcopi Adrienſis; III* Dominici Georgii *ad* Ill. *Scipionem Maffejum de obitu ejuſdem Præſulis; IV* Mich. Ang. Zorzi, *Patric. Vicet. de Nummo max. magnit. Severi Alexandri; ejuſd. de Sacris Chriſtianorum Balneis Liber ſingularis; idem alias pro* Symbolis *lucubrationes parat;* Joannis Baptiſtæ Paſſerii *Iſis Goriana, parvum nempe ejuſdem Deæ ſignum ex ære, in Muſeo Goriano aſſervatum, Diſſertatione explanatum; ejuſd.* Diſſ. *de Hebraiſmo Latinorum; ejuſd. aliæ Diſſertationes, antiquariam ſupellectilem illuſtrantes;* Bartholomæi Platinæ *Oratio ad Pium II P. M. de bello Turcis inferendo;* Alexandri Poliri, *e Cl. Reg. Sch. Piar. in Piſano Athenæo Humanior. Literar. Profeſſoris, Diatr. I de Cathedra B Petri Apoſtoli Romana; Diatr. II de Sancti Sebaſtiani Martyrio; Diatr. III de Quadrigis veterum; Diatr. IV in loca quadam Joannis Meurſii;* Euſebii Renaudotii, *aliorumque Clarorum Gallorum, Epiſtolæ ad Celeberr.* Antonium Mariam Salvinium, *Patric. Flor.*; Angelus Maria Riccius, *in Flor. Lyc. Græc. Lit. Prof. Opuſcula varia philologica in promtu habet edenda;* Antonii Mariæ Salvinii, *Patric. Florent. & in patrio Athenæo Græcarum Literar. Profeſſoris, Lectiones, quibus Græcorum Poetarum, præſertim Homeri, Heſiodi, Pindari, & variorum Autorum Græcorum, loca explicantur, & illuſtrantur; ejuſd. Epi-*

taphia

Digitized by Google

phia illuſtriora Clarorum ac Nobilium Virorum, *curante prælaudato* Julianellio; *Ejuſd. Carmina Latina, nunc primum in lucem edita; Ejuſd. Epiſtolæ ad Claros Viros, quibus antiqui Autores*, *&* *monumenta vetuſta, illuſtrantur*; Salvinus Salvinius, *Patr. & Canonicus Florentinus*, *complura Opuſcula & Monumenta, nondum edita, humaniſſime communicavit pro* Symbolis; Bartholomæi Scalæ, *Secretarii Reipublicæ Florentinæ, Epiſtolæ centum, ad Hiſtoriam Florent. pertinentes*, *ſelectæ ex inſigni Codice penes* Jo. Bapt. Dejum, *Imperiali Secretiori Tabulario Præfectum*, *nunc primum, curante* A. F. Gorio, *editæ*, *& illuſtratæ*, *cum ejus Vita*, *ſcripta a Cl.* Dominico M. Mannio; Dominici Schiavo, *Sacr. Th. Doct. Panormit. Explanatio picturæ Vaſculi antiqui Agrigentini: item de Siculis equis apud veteres*; *Ejuſd. in duos Crateres antiquos Diſſertatio*, *qua ſigillata vaſcula & picta illuſtrantur*; Jo. Conr. Stiglitius *Diatribas pro* Symbolis *elucubrat*; Joſephi Mariæ Suareſii, *Epiſcopi Vaſionenſis, Diatriba de Veſtibus literariis in Muſivis antiquis: accedit Mantiſſa ac duplex Lexicon Veſtiarium ſacrum & profanum*, *Autore* A. F. Gorio, *cum obſervationibus ejuſdem*; *Ejuſd.* Suareſii *Diatriba de Flabellis Pontificiis*, *ſeu Muſcariis pavoninis*, *cum Mantiſſa ejuſdem* Gorii; Hieronymus Tartarottus, *Roboretanus, variæ eruditionis Apophoreta, in* Symbolis *edenda*, *in promtu habet*, *& alia elucubrat*; Lælii Taurellii, *Juriſconſulti Fanenſis*, *Florentinæ Rotæ Auditoris*, *Oratio in Alexandri Medicis Ducis funere: adjectis Numis & aliis obſervationibus*, *curante* A. F. Gorio; Jo. Chryſoſt. Trombelli, *Abbatis Monaſterii & Eccl. S. Salvatoris Bonon. in Sermonem Sancti Antipatri Epiſcopi in Aſſumtione B. Mariæ V. nunc primum e tenebris erutum*, *Animadverſiones, & Notæ*; *idem alia Opuſcula, in* Symbolis *edenda, elucubrat*; Walchii *Fratres, Jenenſ. Gymnaſii Celeb. Profeſſores*, Gorianas Symbolas

Digitized by Google

Symbolas *ſuis lucubrationibus ornabunt*, & *jam in promtu ſe habere ſcripſerunt*; Franciſcus Valletta, *JCtus Neapolitanus*, *ſelecta quædam*, *nondum edita*, *Clarorum Virorum Opuſcula*, *quæ in domeſtica Bibliotheca aſſervantur*, *in* Symbolis *proferenda*, *promiſit*; Joannis Mariæ a Turre, *in Regio Neap. Lyceo*, & *in Academia Eccleſiaſt. in Ædibus Emin. Archiep. Phyſicæ Profeſſoris*, *Diſquiſitio de Attractione*; Pietro Della Valle *Diſcorſo della Muſica dell' età noſtra*, *che non è punto inferiore*, *anzi è migliore di quella dell' età paſſata*, *indirizzato a Lelio Guidiccioni*; Dominicus Vandellius, *in Mutinenſi Athenæo Publ. Math. Profeſſor*, *aliquot Opuſcula ſcientifica pro* Symbolis *parat*; Franciſci Victorii, *Equitis Ord. D. Stephani*, *Obſervationes in Epigraphen marmoreæ baſis Obeliſci Conſtantin. quæ in ejus Muſeo exſtat*; Laurentii del Torre, *Præpoſiti Congreg. Oratorii Utinenſis*, *Diſſertatio*, *ſive Explanatio duarum Tabularum antiquarum ex ebore*, *quibus pervetuſtum Pſalterium contectum eſt*; *idem alias lucubrationes pro* Symbolis *promiſit*; Franciſcus Ant. Zacharias, *S. Jeſu P. Opuſcula alia*; *varia omnigenæ eruditionis pro* Symbolis *elucubrat*; Jo. Baptiſta Zannobettius, *Florentinus*, *hæc in* Symbolis *edenda Opuſcula habet*: *Veterum Chriſtianorum Obſequia erga morientes*, *ex vetuſto Codice Liturgico Bibliothecæ Magliabechianæ*: *accedit Diatriba de ætate ejuſdem Codicis*, & *Notæ philologicæ*; *Euſebii*, *Ep. Cæſarienſis*, *Sermo de Corpore* & *Sanguine Domini e Codice antiquo*: *accedit Diatriba de Autore ejuſdem Sermonis*; *de ſtudio Linguarum Orientalium apud Florentinos Commentarius*; *Monumenta Fratrum Arvalium illuſtrata*, *ubi Collegii hujus initium*, *dignitas*, *ſacra*, *veſtes*, *munera*, & *alia notatu digna*, *illuſtrantur*; *de cultu Fontium apud veteres Diſſertatio*; *Anthologia Lapidaria*, *ſive Marmora metrica Græca*, *in unum collecta*, & *Notis illuſtrata*; *de ruſticatione Græcorum Diſſertatio*; *de Obeliſco Theodoſiano*, *Conſtantinopoli erecto*, *Diſſertatio*, *ubi Mechanica elevationis ejuſdem Obeliſci ex inſigni Anaglypho illuſtratur*; *de fœcunditate phyſica terræ Palæſtinæ Diſſertatio*; *ejuſdem de Diſpenſationibus apud veteres Romanos Diſſertatio*; Joſephi Lanzonii, *Medici Ferrarienſis*, *Epiſtola de uſu velorum cortinarumque apud veteres*, *Latine verſa*, *addito Auctario*; *ejuſd. de aquarum artificioſa ſparſione in theatris* & *conviviis veterum*, *auctario locupletata*; Franciſcus M. Zanottius, *ſuperius laudatus*, *alia pro* Symbolis *parat*; P. Leonardus Ximenes, *Soc. Jeſu Presb. Opuſcula Aſtronomica* & *Mathematica*, *in* Symbolis *edenda*, *elucubrat*.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

wrongly paged

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLIX.

DEGLI ANNALI DI GREGORIO XIII PONTEfice Maſſimo, &c.

hoc eſt,

ANNALES RERUM, A GREGORIO XIII, PONTIfice Maximo, geſtarum, compoſiti a P. JOANNE PETRO MAFFEI, Societatis Jeſu, ac in lucem dati a CAROLO COQUELINES, auſpiciis Papæ BENEDICTI XIV.

Tomi II.

Romæ, in typographeo Hieronymi Mainardi, 1742, 4. Tom. I Alph. 2 plag. $5\frac{1}{2}$, Tom. II Alph. 2 plag. 16.

In *Libros XIII* & ſummam geſtorum memorabilium, ſub finem enarratam, Opus hoc diſtributum eſt, adeo commemorabile ob res, præſidente ſuis *Gregorio XIII*, geſtas, ut magnæ Hiſtoriæ eccleſiaſticæ pars inde addiſci ac illuſtrari poſſit. Autor, id ſibi propoſitum fuiſſe, perhibet, ut ſucceſſionem perpetuam Pontificum a Chriſto & *Petro*, unicum eccleſiæ ſuæ privilegium, adverſus fraudes & mendacia (ita dicit) hæreticorum ſtabiliret. Mirum ſane, e vita unius Pontificis innoteſcere omnium ſucceſſionem. *Gregorius XIII* e familia domus *Boncompagniorum* Bononiæ progenitus fuit, familia orta ex gen- Tom. I pag. 2.

Kk kk te

Pag. 3. te *Dragoniorum* Aſſiſii. Generis conditor fuiſſe dicitur Baro Germanus, qui in Italiam venerat A. 961 cum Imperatore *Ottone Magno*, inſigni trium draconum in area rubra nobilitatus. Unde poſteris a Draconibus adhæſit cognomen. Superſunt Spoleti *Dragonii*, quorum origo ad ſtirpem eandem refertur. Imperante *Ottone III* A. 1003 dicitur ortus ex ea gente *Boncompagnus*, vir ſtrenuus, Aſſiſiis Viſſum demigrans, Comitatui Maceratæ & Ulmeti locisque ad Apenninum ibi
4. ſitis præfectus. *Joannes*, inde progenitus, A. 1140 circiter Bononiam ſeceſſit, cujus poſteri prædia quidem haud tenuerunt, illuſtres tamen dederunt viros. *Caſpar* fuit *Jacobi* pater, hic *Chriſtophori*, qui ex uxore *Angela Mareſcalchi* genuit
5. *Hugonem* præter *Boncompagnum*. *Hugoni* docile fuit ingenium. Ipſe legum prudentiam didicit arripuitque ex præceptis *Ludovici Gazzadini* & *Caroli Ruini*. Adſpiravit ad dignitatem Doctoralem, receptusque in Collegium XII publice per quinquennium magna cum laude docuit auditores Jus Canonicum & Civile. Romam venit A. 1538. natus annos 36, a Purpurato *Pariſio* honoratus, & eximie ſuſceptus. Pontifex eum creavit adjunctum Capitolio, & poſt annum Referendarium unius alteriusque ſubſignationis, rebus maximi momen-
6. ti cognitor datus. *Paulus III*, poſtquam Concilium Tridentinum indixerat, idque Bononiam ſtudebat potius agitare, paſſus eſt, ut *Joannes Baptiſta Cicada*, Cameræ Auditor, *Hu-*
7. *gonem* ſibi adſciſceret vicarium muneris. *Paulus IV* hunc *Datarii* ac *Conſultoris* munere ornavit, ac paulo poſt honoravit *Signatura gratiæ*, quam cognominant *del Conceſſo*, deinceps vero Epiſcopatu Veſtienſi intra regnum Neapolitanum ad radices montis Gargani. *Alphonſus Caraffa* Cardinalis ipſum allegit ſibi mandatarium, vel potius vicarium, expediendorum
8. negotiorum. *Pius IV*, actionum *Pauli IV* ſeverus cenſor, ipſum magni fecit, adjungens eum duobus *Caroli Borromæi* Cardinalis conſultoribus, Cardinalis, qui terris Status eccleſiaſtici præſidere juſſus erat a Pontifice patruo. *Alphonſo Caraffa* Cardinali, ob æs alienum grave conflatum in cuſtodiam dato, ſuppetias tulit per ſe & per aliorum fidem. Tanta animi

Digitized by Google

mi magnitudo ipſum admovit propius honorum incrementis. *Pius IV Hugonem* ad Concilium Tridentinum inter ſummos Pag. 9. rei ſacræ antiſtites miſit, jubens legatos ibi ſuos, ut illum ad conſiliorum admitterent communicationem, nec celarent proponenda in Concilio, facienda, reſpondenda. Lis, in Concilio exardeſcens *de Epiſcoporum reſidentia*, fuit tandem tradita arbitrio *Caroli* Cardinalis Lotharingi & *Hugonis Boncompagni*. Hi 10. decretum *de reſidentia* ita temperarunt, ut nemo non antiſtitum præſentium in eo acquieſceret. *Pius IV Hugonem* A. 1563 in Conſiſtorio eccleſiaſtico creavit curiæ Romanæ Purpuratum, addens verba: *Hic eſt, in quo dolus inventus non eſt.* Litem intenderant jam antiſtites quæſtionis ſacræ Hiſpaniæ Dominicano & Archiepiſcopo Toletano Fr. *Bartholomæo Caranza*, hæreſeos inſimulato. Legavit *Pius IV* Cardinalem S. *Sixti*, ſeu *Hugonem* noſtrum, tanquam *legatum* ſuum *a latere*, poteſtate condemnandi, vel abſolvendi, reum, citra rationem humanarum deſtinationum ullam inſtructum. Comitati ſunt 11. eum in Hiſpaniam *Joannes Baptiſta Caſtagna*, Roſſani Archiepiſcopus, *Joannes Aldobrandini*, Fr. *Felix*, Montis Alti Monachus, ac *M. Stephanus*, Servita Aretinus, viri ernditione inſignes. Recuſavit initio *Philippus II* Rex legato honorificam deductionem ad ſeſe tribuere, ſiquidem ad Regem hic non eſſet miſſus, ſed Archiepiſcopi cauſa. Approbavit tandem cerimoniam deductionis receptam, quam haud repetemus. Egit cum Rege legatus, qui ſecum duxerat duos Theologos ac duos Canoniſtas, ſuffragio conſultativo gaviſuros. Totidem viros tribunal quæſtionis ſacræ exhibuit. Obiit inter hæc Papa. Diceſſit legatus, Regis viatico inſtructus, Romam. Creatus fuit Pontifex *Pius V*, Cardinalis antea Alexandrinus. Hic *Hugonem* remiſſurus erat in Hiſpaniam, rediturum non niſi cauſa finita. Dedit novus Pontifex huic munus *Signaturæ Brevium*, ac annuas penſiones ædium cathedralium, Bononienſis ac Mantuanæ, ipſumque æque ac nepotem ſuum inter XL recepit. Obiit paulo poſt *Pius V*, cujus exequiæ in anni 1572 diem 12 Maji inciderunt. Electus fuit propediem *Hugo* in Pontificem, *Gregorius XIII* appellatus. Ce-

Digitized by Google

rimoniam electionis ac coronationis huc haud transſcribemus, quippe copioſius jam olim evulgatam. Coronatus fuit
Pag. 19. *Gregorius* ipſo Pentecoſtes die feſto, ſeu 20 Maji. Officium *Datariæ* attribuit *Matthæo Contarelli*, Gallo, integritatis ſpectatæ viro. In primo Conſiſtorio bullatam *Pii V* conſtitutionem de bonis Eccleſiæ Romanæ propriis *non infeudandis*
20. jurejurando ſuo confirmavit. Officium inquiſitionis ſacræ, quod executioni daret decreta & ritus Concilii Tridentini, corroboravit autoritate. Eo fine voluit *Pii V* conſtitutiones de Concilio illo ſervando haberi inviolatas. Noluit Epiſcopos ſimul eſſe *cameræ* ſuæ Clericos, aut *rotæ auditores*.
22. Cardinalis *Borromæus* reſignavit munus ſummi Pœnitentiarii & Archipresbyteri S. *Mariæ Majoris*, eo quod Archiepiſcopus erat Mediolani. Congregationem quinque Cardinalium ſtatuit, qui diligentiſſime *Indicem librorum prohibitorum* reviderent, a patribus, Concilio Tridentino delectis, compoſitum.
23. Fr. *Michaeli Medinæ*, Franciſcano, & D. *Petro Fontidonio*, Hiſpanis, id negotii dedit, ut perſequerentur priorum Pontificum mandata contra Centurias Magdeburgenſes. *Philippum Boncompagnium*, ſuum nepotem, inter Purpuratos curiæ Romanæ allegit. Claſſem contra Turcos *Philippus*
32. *II* nondum pergere voluit, Papa A. 1572 dolente. Operam nihilo minus dedit Pontifex, ut copiæ navales adverſus Turcum fœderatæ ne diſcederent. Ob lanienam Pariſienſem &
34. *Colignium* occiſum in gaudia diffluxit idem. Noſter *temperatam* vocat lætitiam, addens tamen, Pontificem, publica inſtituta proceſſione ſacra, Deo gratias eapropter perſolviſſe. Formulam abjurationis, quam *Henricus*, Nararræ Rex, tunc
39. ad Pontificem miſit, Noſter Italice exhibuit. Princeps *Condeus* æque miſit literas, abjuratæ religionis *Calvinianæ* indices. Gratiam permiſſi matrimonii & abſolutionem impertiit
41. Pontifex *Henrico*. Inter legatos Hiſpaniæ Galliæque Regum diſſolvit & pacavit certamen prærogativæ præcedendi.
44. Purpuratis curiæ Romanæ demandatum, ut ipſi utrisque effingerent cerimoniæ ordinem. Tumultus Hugonottarum Veſontione ſunt repreſſi. Varii legati Romam venerunt,

con-

Digitized by Google

congratulaturi Papæ dignitatem novem. Obiit inter hæc Rex Poloniæ, *Sigismundus Auguſtus*, ac regnum per electionem contigit *Henrico Valeſio*. Multum laboris ſuſtinuit *Gregorius* per Cardinalem *Commendonium*. ut genuino Romanæ Eccleſiæ aſſectatori id regnum tribueretur. Commendavit Polonis *Erneſtum*, Imperatoris filium ſecundum, vel, ſi ei Polonia minus faveret, *Henricum Valeſium*. *Stephanum Batorium* averſatus eſt, ſuſpectæ quippe religionis virum, & negotiis Turcicis implicatum. Litem eodem tempore moverunt Papæ Veneti de navigatione per mare Adriaticum, quod ipſi ſibi ſolis vindicabant, freti anniverſaria ſua cum mari *in ſignum veri dominii* deſponſatione. Hæc ad annum 1572, ſeu *Librum primum*. Singuli enim *Libri* ſingulorum annorum ſunt enarrationes. Ad *Librum II*, annumque 1573, gradum promovere libet. Confœderatorum Principum contra Turcos Pontifex urget & expedit deſtinationem. *Communio ſub utraque* denegatur Huſſitis Bohemis. Intra Pedemontium religio Romana profectibus augetur. *Henricus* Andegavenſis Rex Poloniæ eligitur, eique *roſa benedicta* per nuntium *Vincentium Laureum* deſtinatur. In Gallia turbæ creſcunt. Septem Epiſcopi ad luſtrandas nonnullas Italiæ eccleſias ablegantur. Controverſias agitant vicarius Mediolani gubernator & *Carolus Borromæus*, Archiepiſcopus, ſuper juriſdictione. Similis lis in regno Neapolitano exardeſcit. Venetiis idem ſaxum volvitur. Dux Florentinus amplificatur appellatione Ducis Magni. Genuenſes tumultuantur. Anconenſi in tractu milites adverſus Hugonottas conſcribuntur. Qui Anconam Turcis tradere conabantur, detecti ac puniti. *Joannes ab Auſtria* Tunetum ac Biſertam recuperat. *Joannes Aldobrandini* Purpuratus decedit. Ærario Pontificio augendo proſpicitur, & præparantur multa ad Jubileum celebrandum, quod Romani vocant *annum ſanctum*. Conſecratur multiplex *Dei Agnus*. Epiſcopus Friſingenſis, Dux Bavariæ natus, A. 1573 in Epiſcopum Hildeneshemenſem electus, a *Maffejo* corrupte vocatur *l'Amminiſtratore di Fleſſinga*. Idem quosdam Helvetios vocat

Pag. 56.
57.
58.

eat *Suizzeri Luterani pag. 70.* Filium Ducis Cliviæ, Monaſterienſi Epiſcopatui conſequendo imminentem, perhibet imbutum fuiſſe *opinionibus Huſſitarum pag. 79.* *Eliſabetham*, Angliæ Reginam, appellat *Iſabella Bolena baſtarda pag. 83*, indicans, præceptorem *Jacobi I*, poſtea Britanniæ Regis, Baronem *Alexandrum Eiſchinum*, fuiſſe clandeſtinum Pontificis Romani aſſectatorem. *Eliſabetham* vocat *averſam a Chriſto & a Sede Apoſtolica pag. 85.* Id vero in Autore laudandum eſt, quod conſilia & arcanas ſæpe deductiones detexerit, quibus *Gregorius XIII* Proteſtantes ſua cum eccleſia voluit
Pag. 94. conjungere. Conceſſum *Coſmo* Mediceo nomen Magni Ducis a *Pio V* & *Gregorio XIII* acceſſit, nulla Imperatoris *Maximiliani II* mentione adjecta. Vocat nos *Liber III*, & annus 1574. Proteſtantes in Polonia per *Henricum* Regem preſſos fuiſſe, licet inde cognoſcere. *Laureus*, nuntius Apo-
109. ſtolicus, rem ita digeſſit. Ut *Joannem*, Regem Sueciæ, *Gregorius XIII* reduceret ad Romanam eccleſiam, admodum laboravit. *Henricus*, e Polonia clanculum in Galliam redux, *Carolo*, fratri defuncto, ſucceſſit. Regem Hiſpaniæ & Galliæ Papa in fœdus contra Hugonottas coire voluit enixe, eamque ob cauſam conſenſit in id, ut *Philippus IV* 40000 Scutatos e bonis eccleſiaſticis divenditis ſibi pararet. Tunetum recuperatur a Sinano Baſſa. Obiit *Carolus*, Cardinalis Lotharingus, ac *Coſmus* Mediceus. Ut ſuſtentaretur jurisdictio eccleſiaſtica per regnum Neapolitanum, *Gregorius* lapidem movit quemcunque. Annus ſanctus prænuntiatus publice, ac porta
125. ſancta fuit aperta. *Maffejus Henrico III* id vertit vitio, quod redux in Galliam voluptatibus ſe addixit, atque conditionibus, a *Friderico*, Electore Palatino & Landgravio Haſſiæ, Proteſtan-
148. tium primipilo, propoſitis, auſcultavit & obſecutus fuit. A. 1575 orbis Romano-Catholicus Romam confluxit, ſibi ex Jubilei promiſſis proſpecturus, indulgentiasque pro peccatis in quatuor templis nacturus, quæ Pontifex ſubinde inviſit ipſe, cœlum ipſum placaturus. Coronam Poloniæ ut conciliaret *Maximiliano II*, admodum laboravit, certe *Erneſto*, filio *Maximiliani*. *Rudolphus II*, Rex Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum,

Digitized by Google

rum, electus, patris gaudia amplificavit. Impedivit *Gregorius Rudolphum*, quo minus hic Evangelicis, in Bohemia agentibus, publicum liberumque religionis ſuæ exercitium permitteret. *Maximilianum* patrem, regni Poloniæ candidatum, graviter monuit, ne Principibus, quos appellabat *hæreticos*, ulla annueret ratione, ſiquidem Romano-Catholici Bohemi minus futuri ſint imperio ejus contenti, quamprimum ipſe Proteſtantibus, in Polonia degentibus, nonnihil privilegii religioſi ſit impertiturus, licet Catholici in hac ſint numero Proteſtantibus inferiores. Hos appellat *Chriſto rebelles* & *ſceleratos Apoſtolicæ ſedis perſecutores*. Juravit *Rudolphus II* Pragæ hoc jusjurandum more antiquo: *Juro per Deum, beatiſſimam Virginem, & per omnes Sanctos, ſuper hac Evangelia, me conſervaturum leges, conſtitutiones, & privilegia Romæ. Sic me Deus adjuvet & omnes Sancti.* Paulo poſt parochiæ multæ Proteſtantibus & Huſſitis fuere ademtæ, & librorum impreſſor *hæreticus* fuit in cuſtodiam datus. Renovata fuerunt decreta contra Picardos, & Synagogæ clauſæ. Voluit Papa ibi inducere tribunal inquiſitionis ſacræ, ut *hæreticos* poſſet externa pœna afficere. At fieri haud potuit, ut remediis tam violentis eſſet locus. Amplificationem tamen Collegii Jeſuitarum Pragæ obtinuit Papa, *Olmuzii* idem inſtitutum urgens. Nuntio præcepit, ut operam daret imperatoriæ coronationi *Maximiliani II* peragendæ, qualis quondam Romæ fuerat expedita. At *Maximiliano* viſum eſt, id oneris detrectare ob infirmitatem corporis. Inſtitit igitur *Gregorius* monendo, ut *Rudolphus* filius promitteret, ſe ſuſcepturum coronam Romanam auream. Coronationis *Rudolphi II*, qua Regis Romanorum, repetere non vacat cerimonias. Coronationi huic *Gregorius* feſtum Romæ dixit diem. In Polonia alii *Maximilianum* Imperatorem, alii *Stephanum Batori*, alii Polonum hunc vel illum e primoribus, alii *Joannem*, Sueciæ Regem, alii *Baſilium* Ruſſum, alii *Alfonſum*, Ducem Ferrariæ, præoptabant ſibi Regem. Nuntius Papæ ſuam operam *Maximiliano* addixit. Electus fuit *Maximilianus* A. 1575, 12 Sept. Obſtiterunt Poloni, quo minus Archiepiſcopus proclamaret ele-

Pag. 151. 153. 154. 156. 157. 159. 168.

Pag. 173. electionem. Transſilvanus *Stephanus* fuit A. 1576, 14 Jan. in comitiis Andreoviæ prope Cracoviam electus, qui *Annam* Suecicam duxit uxorem Cal. Maji. Inde res ad bellum civile ſpectavit. *Chriſtophorus Shoroſcki*, frater Palatini Cracoviæ,
175. induit Warſoviæ religionem Romanam. Non quidem ille rebaptizatus eſt; attamen adjectum eſt ſupplementum ſanctæ cerimoniæ baptiſmi jam *recepti a miniſtris diabolicis*. Sic Noſter. *Henrico III* data ſunt in Galliam ſubſidia ad bellum, *contra hæreticos* gerendum. *Franciſcus* Alenſonenſis,
177. Pariſiis aufugiens ex feſto coronationis *Henrici III* die, cum *Hugonottis* arma corripuit, Regique rebellavit. In-
181. duciæ in Gallia firmatæ. Genuam turbat tumultus. Papa diſcordiam per *Philippum II* compeſcere ſtuduit. Imperator literas legatosque ad Senatum Genuenſem miſit. Conquievit tandem procella. Princeps Clivenſis Romæ decedit. *Erneſtus*, Princeps Bavaricus, Roma elabitur per fugam. Collegium Germanicum ibi domiciliis, templo, ac reditibus
206. novis, ornatur. Reditus novi attribuuntur Collegio Anglico Duacenſi. Anno 1575 exeunte, clauſit *Gregorius* portam ſanctam. Percurremus nunc geſta anni 1576, *Libro quinto* enarrata. Conjuratio Genuæ prodita & ſopita. Annum jam 14 *Caranza*, Archiepiſcopus Toletanus, in Caſtilia ac Romæ
223. detentus, & cuſtodiæ mancipatus erat. Controverſia ei intenta fuit Romæ Congregationibus definita. Deciſioni cau-
224. ſæ A. 1576, 14 Apr. dies dictus. Pontifex ipſe tunc ſententiam pronuntiavit, dixit, ipſum hæreſeos ſuſpectum eſſe, ac propterea obſtrictum ad eam deteſtandam & abjurandam per ſexdecim capita. Adjecta eſt clauſula, ipſum fore per quinquennium ab Archiepiſcopatu ſuſpenſum & ultra ad arbitrium Papæ, hoc eſt, ipſum adminiſtratione eccleſiæ ſuæ eo-
225. usque cariturum. Juravit *Caranza*, & in monaſterium S. *Dominici* dimiſſus eſt Orvietum, paulo poſt ex triſtitia & calculi doloribus defunctus. Reditus illius ſequeſtrati ex judicato ceſſerunt collectori, ſeu quaeſtori Apoſtolico. At Rex eos jam magnam partem occupaverat, ſummam nempe duorum auri millionum. Rex deſignavit *Caranzæ* ſucceſſorem *Caſparem*

rem Quirogam, Hiſpanum, Epiſcopum Concæ, olim Romæ *auditorem rotæ*. Contra Turcum junxit Papa Imperatorem, Regem Hiſpaniæ, ac Poloniæ Regem novum, qualitercunque. In comitiis Imperator nil hujus rei effectui dare valuit, Pag. 229.
ac paulo poſt obiit diem ſupremum. Comes Salentinus, ſtudio reſignandi Archiepiſcopum Colonienſem ſolicitatus, a *Gregorio* conſilium obtinuit, ut *Erneſtum*, Principem Bavariæ, Epiſcopum Hideshemenſem ſibi deligeret adjutorem, vel huic reſignaret Archiepiſcopatum. Obſtiterunt cathedrales Canonici, electionis jura ſibi vel turbari, vel eripi, nolentes. *Henrico III* Pontifex ſubſidia miſit pecuniaria ad bellum Refor- 236.
matis inferendum. At hic fuit adeo parum validus, ut pacem cum his reſarciret, eisque liberam religionis exercendæ facultatem indulgeret, invito Papa. Incitavit hic illum novis ſubſidiis ad pacem violandam. Rupit & revocavit eam velut infectam *Henricus*. Reformatis res denuo proſpere ſucceſſit 239.
adeo, ut *Gregorius* de Avenione & Comitatu Venaſcino eſſet ſolicitus. Ut Reformatis ægerrime faceret *Gregorius*, fœdus 241.
cum *Philippo II* adverſus *Eliſabetham*, Angliæ reginam, conflavit, confiſus Romano-Catholicis, per Angliam & Hiberniam obviis. Incidit vero bellum, quo *Sebaſtianus*, Rex Luſitaniæ, cum Rege Feſſano *Muleyo Menluco* implicatus, vitam poſuit. Metuit ſibi ipſe a barbaris Afris *Philippus*. In Flandria diſſidia coorta ſunt graviora. Hæ rationes *Philippum* a fœdere effectui dando avocarunt. Inſtitutus circa idem tempus fuit 246.
in urbe Chinenſi Macao Epiſcopatus ad faciliorem reddendum eis tranſitum, qui in Japoniam religionis cauſa mittendi eſſent. Rex Cochinæ legatum Romam, Luſitanis fœdere conjunctus, deſtinavit, qui, doloribus calculi retentus Lisbonæ, literas Regis ad Papam miſit. Tentavit *Gregorius* Ruſſos & Regem Sueciæ ad religionem adducere Romanam. In- 249.
ſtituit Romæ Collegium Græcum, in quo docerentur Græci adoleſcentes fidem Romanam. Spes erat Papæ, fore, ut hac via Græcos ſibi ſubmitteret univerſos. Ebræis ad religionem Romanam alliciendis operam navavit. In loco, quo obierat *Catharina* Senenſis, inſtituit *Seminarium neophytorum*, Purpu-

rati *Sirketi* tutelæ ſubmiſſum, nec non duo monaſteria, unum pro Franciſcanis, alterum pro Dominicanis. Libertatem commercii ſtabilit in terris ſuis. *Joannes* ab Auſtria ædem Lauretanam inviſit. Religionem Maltæ per Nuntium reformare ſtudet. Reformatos in Ducatu Pedemontii eradicare aggreditur. Venetos commovet, ut legationem Anglicanam ſuſcipere recuſarent. Patriarcham Aquilejenſem, qui intra Epiſcopatum non degebat, gravius admonet. Addemus paucula ex *Libro ſexto*, rerum anno 1577 geſtarum compendio. In Flandria Princeps Arauſicanus jura & privilegia ordinum ſuſtentat, ex quo Comes Egmondanus ac multi præterea innoxii fuerant a Prorege occiſi. Memoratu digna ſunt *Maffeji* verba: *Reges faciunt pacem, non ignoſcunt. Id Princeps Arauſicanus perpendit, ſibi admodum cavens, ſiquidem mors Comitis Egmondani ac tot Equitum innocentium eum docuerat vita ſua conſulere.* Nihilo minus Nuntius Papæ *Sega* conſiliis & auxilio adjuvit Hiſpaniarum Regem, vel potius ejus in Belgio Gubernatorem. Venit Archidux Auſtriæ *Matthias* in Flandriam, rerum ſummæ præfuturus, Bruxellæ ſacramentum fidelitatis ſibi exigens. *Maximilianus* pater & *Rudolphus* frater ignorabant *Matthæi* iter & conſilium. Inde diſſidia, quibus componendis *Gregorius* ſeſe accinxit. *Salentinus*, Elector Coloniæ, uxorem ducturus, reſignare ſtuduit Electoratum. Electus fuit *Gebhardus Truchſeſs*, quem Pontifex confirmavit. Confirmavit peræque imperatoriam *Rudolphi II* dignitatem. *Obedientiam* Papæ ſpondendam legati *Rudolphini* mutare ſtuduerunt in *obſequii* promiſſum. *Ferdinandus* enim *I* & *Maximilianus II* non ſpoponderant Papæ obedientiam. *Rudolphus II* religionis Romanæ cauſa voluit omnia. Reformatos, in Auſtriam profugos, perſecutus eſt. *Andream Langium*, Flavianum, qui ediderat librum *de Beatitudine*, & qui dicebatur maledictis eſſe plenus, carceri dedit. Treviris Collegium, Jeſuitis inſerviturum, fuit conditum. *Carolus*, Archidux Auſtriæ, Græcii inſtituit conſimile Collegium, & pro Germanis Seminarium. Seminario aſſignavit *Gregorius* ſexcentos ex ærario ſuo ſcutatos in ſingulos annos. Ordi-

Margin references: Pag. 252 (beside "tatem commercii"); 263 (beside "pendio"); 264 (beside "præterea innoxii"); 268 (beside "ejus in Belgio"); 276 (beside "dolphi II"); 277 (beside "Rudolphini"); 280 (beside "omnia"); 282 (beside "Carolus").

Ordines Ducatus Clivenſis a Duce petierunt, ut ſibi concederetur libertas exercendæ religionis Evangelicæ. Ducem impedivit Nuntius Papæ, quo minus precibus eorum annueret. Lucernæ fundatum eſt Collegium Jeſuiticum. *Gregorius* invitavit Germanos generoſiores, ut filios ſuos Romam in Collegium Germanicum erudiendos mitterent, aptos Canonicatibus cathedralibus obtinendis. *Stephanus Bator* in Polonia agitavit Petricoviæ comitia ſacra per Archiepiſcopum Gneſnenſem. Obſtitit initio rei Papa. At, audito, confirmatum iri decreta Concilii Tridentini, metum depoſuit, ac conſenſit. *Antonius Poſſevinus*, Jeſuita, in Sueciam ad Regem fuit a Papa ablegatus, iturus ad *Eliſabetham*, Reginam Angliæ, & Principem Arauſicanum, revocaturus ſingulos ad ſedis Romanæ decreta. *Philippus II* inter hæc cum Turco pacem fecit, inſciente Papa, quocum in lites incidit, eo quod Rex jus patronatus per Neapolitanum & Siciliæ regnum ſibi vindicabat. Conſenſit *Gregorius* ad dies, quibus *Philippus* futurus eſſet in vivis, diligenter tamen cavens, ne jurisdictionem eccleſiaſticam in regno amitteret Neapolitano, tum per ſemet, tum per Nuntios ſuos, inibi exercendam. In Extremadura ſecta Fratricellorum, qui ſeſe vocabant *Illuminatos*, cœpit repullulare. Reformati ſunt itaque juſſu Papæ *regulares* paſſim per Hiſpaniam. Barcinone fratres contra *Generalem* inſurrexerunt, dicti *de Mercede*. Sunt igitur ad obedientiam reducti. In regno Peru tres cathedrales eccleſiæ ſunt erectæ, una S. *Marthæ*, altera *Bruſilii*, tertia *Arequipæ*, Regique in has jus patronatus reſervatum. Archiepiſcopo Mexicano ſubſidium indultum contra *ſeculares*. Auxilia *Henrico III* ſuppeditata contra Hugonottas ea lege, ut pacem, cum eis initam, Rex irritam pronunciaret. Bellum reparatur. Pax coit rurſus, Papa indignante. Avenionem veniunt Capucini, novo monaſterio excepti. *Eduardus*, Luſitaniæ Rex, moritur. *Sebaſtianus* bellum in Africam transferre aggreditur. Unus e primoribus Hibernorum Romano-Catholicis venit Romam, petens, ut Hibernia jugo ditionis Anglicæ eripiatur. Dedit ei munera Pontifex cum literis ad *Philippum II* commendatitiis. *Albertus*

Pag. 286. 292. 296. 306.

Pag. 307. Auſtriacus purpuram induit Romanam cum galero. Mittit
Gregorius XIII Philippo II roſam benedictam. *Carolus* Lo-
tharingus, frater Reginæ Galliarum, eundem expetiit hono-
311. rem, quo *Albertus* fuerat ornatus. *Congregationem Calenda-*
316. *rii Gregorius* Romæ inchoavit. Acta anni 1578 complectitur
Liber VII. Delibabimus inde ſatis pauca. Animum adjecit
Gregorius ad Japoniam & Habeſſiniam, Romæ ſedi ſubjicien-
dam, ac ad Sueciæ regnum Polonico jungendum. Inſtituitur
Ordo Spiritus ſancti in Galliis. Cæditur in prælio Rex *Seba-*
ſtianus a Mauris. *Henricus* Cardinalis ei ſuccedit. Expedi-
tionem ſuſcipiunt Jeſuitæ in valles Waldenſium. Papa jubet
typis publicis exprimi regulam Monachorum S. *Baſilii.* Con-
gregationem condit ad edenda Græca Biblia. Inſtat paran-
dæ editioni novæ Decreti *Gratiani.* Fami & peſti remedia
opponit. Cœmeterium S. *Priſcillæ* reperitur. Purpurati
creantur novi. Reliqua omittimus, ad *Librum VIII* progreſſu-
Tom. II ri. A. 1579 ad conventum Colonienſem Epiſcopus *Roſſa-*
pag. 5. *ni* ablegatus fuit, munus Nuntii completurus. Ibi ordines
Flandriæ & Comes Naſſovicus propoſuerunt ea, quæ Nun-
tio viſa ſunt inſidiis fraudibusque plena. De ſucceſſore *Hen-*
44. *rici*, Regis Luſitanorum, paſſim fuit actum. Regis Gal-
liæ cum Soludurenſibus initum fœdus Pontifex ſtuduit redde-
52. re irritum. Meloduni in Gallia coierunt Clerici, conſtitu-
tam habentes apud animum publicam receptionem Concilii
Tridentini. Rege multa in contrarium monente, conventus
62. deſiit. *Giraldinus* in Hiberniam venit, ut Romano-Catholi-
66. cos adverſus Reginam ſollicitet. Mox defunctus reliquit fra-
tri *Joanni* telam, quam exorſus erat, pertexendam. Viſum fuit
Joannem, Regem inſulæ Ceilan, Catholicis aggregatum, in
76. ſolium reponere. Inſtituit *Gregorius* Collegium pro Griſoni-
bus in urbe Mediolano. Demandat Cardinali *Montalto*
reviſionem ac editionem Operum *Ambroſii.* Bullarium edi-
tur. Nuntius, in terris Palatinis ad tempus comprehenſus,
Coloniæ ſolennem peregit proceſſionis per *venerabile Sa-*
cramentum cerimoniam, eique ad dextram ivit Elector
Colonienſis, ad ſiniſtram Trevirenſis. Flandrorum legati li-
berum

beram religionis reformatæ facultatem expetierunt pro ſuis. Pag. 16.
lis, quos Hollandi miſerant, Nuntius ſignificavit neceſſitatem
ad Romanam diſciplinam redeundi. Recuſarunt, qui erant in-
de miſſi. Ducis Alenſonii cum *Eliſabetha* Regina matrimonium 20.
futurum diſtulit fama. *Henrico*, Portugalliæ Regi, uxorem
ducendi cupiditatem præferenti, Papa denegavit rei licen-
tiam. Literis deinde ad illum datis, clanculum Papæ 31.
ſuppoſitis, *Henrico* facultas indulta judicandi de legiti-
mis *Antonii* Bragantini natalibus. *Henricus Antonium* pro
legitimo haud reputavit. Hic cauſam transfert ad Papam, in-
vito *Henrico* ac dolente. Papa cauſæ cognitionem commit-
tit Nuntio ſuo, intra Luſitaniam agenti, & Archiepiſcopo Lis-
bonenſi. *Eliſabetha* Regina inſidiis *Gregoriani*s remedia op-
ponit. Liceat nunc ſummam Libri *noni*, quo acta anni 1580 81.
continentur, cum Lectore communicare. Obiit *Henricus* Car-
dinalis in Luſitania. Pontifex ſpe ſua excidit. *Philippus II*
regno potitur, ac Papæ ſimul offert conſilium & deſtinatio-
nem occupandi Angliam. Hugonottæ tantum non Avenio- 96.
nem capiunt. Rex Galliæ ægre fert promulgationem *Bullæ* 104.
in Cœna Domini, a *Gregorio XIII* in Gallias expeditam. *Mi-* 118.
chael Bajus, Prof. Theol. Lovanienſis, hæreſios ſuſpectatur.
Ipſe innocentiam ſuam argumentis idoneis declarat. Luthe- 130.
rani in Stiria & Carinthia augeſcunt. Ingolſtadii Seminarium 137.
inſtituitur. Vercellenſes ſtudent recipiendæ religioni refor-
matæ. Romæ Catechiſmus, Maronitis uſui futurus, formis 142.
publicis deſcribitur, quem duo Jeſuitæ in Libanum aſportant,
ac in Synodo diſtribuunt publica. Maronitæ ſe penitus con-
jungunt Romanis. Inde *Gregorius* animum applicat ad Pa- 148.
triarcham Pontificium Conſtantinopoli dandum, certe ad
Jeremiam II a commercio cum Tubingenſibus epiſtolari
disjungendum. Epiſcopatum erigit Cremæ. Veneti altercan- 150.
tur cum Papa ob libertatem ſuam eccleſiaſticam. Oſſa S. *Gre-* 157.
gorii Nazianzeni in baſilicam Vaticanam transferuntur. De-
cretum *Gratiani* correctum & collationes *Caſſiani* eduntur Ro-
mæ. Typographiæ orientales ibi inſtituuntur. Obierunt Cardi- 159.
nalis *Moronus*, & *Carolus Emanuel*, Dux Sabaudiæ. *Ferdinan-*

Digitized by Google

dus Archidux penitus ad Proteſtantes exſcindendos erat intentus, nec non ipſe *Carolus*. Procedendum eſt ad *Librum X*,
Pag. 133. 167. 181. & acta anni 1581. Hiſpanum inter ac Papam non bene convenit ob inducias ab illo cum Turcis ſtabilitas. In Boſnia quatuor Franciſcanorum monaſteria conduntur. Poloni cum Ruſſis bello implicantur. Hos *Antonius Poſſinus* ſtudet ad religionem adducere Romanam. In Gallia denuo actum de Concilii Tridentini decretis recipiendis. Libertas conſcientiæ permittitur Saluzii. Reformati intra Delfinatum ac Rex compaciſcuntur. Papæ valetudo attenuatur. *Libro XI* tractantur anni 1582 geſta. *Mandruccius* ad comitia imperii Auguſtana mittitur, ſignificaturus, *Gregorium XIII Rudolpho II* coronam imperialem in Italia impoſiturum. Elector Colonienſis Confeſſioni Auguſtanæ dat nomen, ſuccenſente Papa. In Turcos, jubet, Chriſtiani ut ferant arma. Calendarii correctio finitur, ac novi *Gregoriani* faſti interventu *Bullæ* promulgantur. Correctionem Martyrologii Romani *Baronius* dat effectui. Inſtitutionem *Jacobi*, ex *Maria* Scotica nati, ſuo ab arbitrio pendere, optavit *Gregorius*, non felicior miſſis in Ægyptum Apoſtolis. *Liber XII* geſta anno 1582 complectitur. Coloniæ examinantur acta Electoris, nuptias contrahentis. Comes *Salentinus* renuntiatur Coloniæ adminiſtrator. Sententia Papæ in *Gebhardum* lata ab Epiſcopo Vercellenſi dari debuit executioni. *Erneſtus* Bavarus eligitur Elector. Excipitur paſſim Calendarium *Gregorianum*. Apoſtoli huc illuc ad gentes miſſitati. Viſitationes eccleſiaſticæ increbreſcunt. In Japonia Jeſuitæ inſtituunt ſacella. *Libro XIII* indicatur, a *Carolo* Archiduce ſublata eſſe omnia privilegia, in terris ſuis Proteſtantibus conceſſa. Conſiderationes in Gallia ob ſucceſſionem fiunt. Ubique ipſe ſuæ eccleſiæ habet rationem, exſtirpare conatur obſtantes, & obit. Talis erat *Gregorius*.

PRESBYTERORUM ET DIACONORUM Achajæ de Martyrio S. Andreæ Apoſtoli Epiſtola Encyclica,

clica, Graece nunc primum ex Codice Bibl. Bodlejanae edita, Latine verſa, Notisque & Diſſertationibus illuſtrata ſtudio & cura CAROLI CHRISTIANI WOOG, *A. M. & Antiq. Sacr. in Acad. Lipſ. Prof. Publ.*

Lipſiae, ſumtibus haeredum Lanckiſianorum, 1749, 8. Alph. 1 plag. 4.

Praeſtat nunc Clariſſimus, & rei Chriſtianae antiquioris amantiſſimus aeque ac peritiſſimus Autor, quae ante aliquod tempus publice promiſit de Epiſtola Eccleſiae Achaicae Graeca, ſuper *Andreae*, legati divini, martyrio conſcripta, publici juris facienda. Satis praeclarum ut conſilium Viri doctiſſimi fuit, ita laudabile etiam rei promovendae eccleſiaſticae ex hac parte auxilium tulit, ut, miſcendo utile dulci, omne punctum tuliſſe videatur. Noſtrum erit, ab initio rem proſequi, & ſtrictim enarrare, quae in doctiſſimo hoc opuſculo continentur. Ex Praefatione diſcimus, originem debere hanc operam itineri, ante aliquot annos in Britanniam ab Autore ſuſcepto, & magno cum fructu confecto. Ibi cum in Oxonienſi literarum ſede illuſtri commoraretur, & affluentem optimorum Codicum, manu exaratorum, varietatem in Bibliotheca *Bodlejana* volveret, favente fortuna in Codicem incidit, qui Graece, textuque originali, tot Seculis deſiderato, Epiſtolam hanc Presbyterorum & Diaconorum Achajae continebat. Satis quidem bonae notae Codex eſt, & *Huntingtonianus* 457 numeratur, ex quo celeberrimus *Grabius* in *Spicilegio* ſuo martyrium *S. Theclae* curis ſecundis edidit; admodum autem mendoſus eſt, lectuque ſubinde difficilior. Omnem tamen Noſter adhibuit operam, ut exacta eſſet atque perpolita egregii hujus monumenti antiquitatis editio. Hinc ne apicem quidem literae mutavit, niſi ubi dicendorum nexus, oſcitatio librarii, & recta conſtruendi ſcribendique ratio, id exegerit, ubi vero vocabulum aliquod unius alteriusve literae mutatione, adjectione, vel detractione, corruptum inveniebat, ſuas ſtatim

in

in textu emendationes Noſter ſubſtituit, easdemque oculis lectorum exhibuit; in medio tamen ſimul paginæ intervallo omnes, vel minutiſſimas, Codicis ſcriptiones vitioſas appoſuit, ut ſuo quisque ingenio indulgere poſſit liberius, ſi cui emendationes Autoris non ſatis arrideant. E regione textus Græci novam verſionem Latinam, ad Græca luculenter confectam, adjecit, notisque & brevioribus & longioribus Græcam dictionem inſtruxit. His omnibus, præter ea, quæ ad calcem libri ſunt adjecta, *Exercitationes* ſunt præpoſitæ *tres*, ad uberiorem illuſtrationem & vindicias antiquiſſimi hujus Codicis ſpectantes, de quibus paulo poſt dicemus. *Prima Exercitatio* de vita *Andreæ* hiſtoricam nectit tractationem, atque ante omnia ea recenſet, quæ ex Scriptura Sacra de ejus vita conſtant, annota-
Pag. 6. tionibus ubique ab Autore illuſtrata. Inter quæ, quod ad reliqua omnino pertinet, memoratu dignum eſt, *Andream* primum in conſuetudinem & intimam ſocietatem a Servatore admiſſum, unde etiam πρωτοκλήτου cognomen apud Patres Græcos meruit. De itineribus ejus Autores tradunt
10. eccleſiaſtici, *Andream* in Scythiam usque penetraſſe, & in Colchide etiam, in Auguſta civitate, evangelicam doctrinam publice profeſſum eſſe, quin etiam ad Græcos migraſſe, &
13. per Thraciam iter ſuſcepiſſe, eccleſiam Byzantinam fundaſſe,
14. & Ruthenis quoque doctrinam annuntiaſſe ſalutarem, ut de iti-
16. nere, ad Æthiopes atque in Ægyptum inſtituto, nihil dicamus, re ſcilicet minime veriſimili, tædii, ſi legas, pleniſſima.
17. Idem eſt, quod multis verbis narrant veteres ſcriptores, de miraculis hujus Apoſtoli, de quibus nec ulla eſt dubitatio,
19. licet ſint, quæ fabulæ ſuſpicionem incurrant, ab *Abdia Babylonio* efficta, cujus generis etiam ſunt traditiones de reli-
21. quiis *Andreæ*, quarum hiſtoriam, ſubleſtæ quidem fidei, No-
25. ſter, data hac occaſione, exponit. His annectit recenſionem curatam Ordinum, in memoriam hujus legati, divinitus in orbem terrarum miſſi, a Scotis, quorum patronus ipſe, & Deus fere tutelaris fertur, & Ruthenis, inſtitutorum. Pertinet huc etiam Ordo equitum aurei velleris. Societates ipſi quoque ſunt

Digitized by Google

dicatæ illuſtres, inter quas eminet regia illa Londinenſis Pag. 31.
Societas, patrocinium *Andreæ* ſuſpiciens, & inter murarios 32.
liberos dicuntur quidam inveniri, S. *Andreæ* memoriam 33.
ſumma veneratione proſequentes. Ex quo apparet, vix alium
eſſe Apoſtolum, majori, quam *Andreas*, nominis celebritate tot
ſeculorum intervallis florentem. Pergit Noſter ad recenſendos 34.
libros, falſo titulo S. *Andreæ* adſcriptos, quorum duo inpri-
mis nominantur, *Evangelium* ſcilicet, quod quidem, *Beauſobrium* 37.
ſecutus, nunquam exſtitiſſe, Autor putat, & *Actus*, toto cœlo,
ut ex *Evodii* patet teſtimonio, ab hac Epiſtola diverſi, & ſine 39.
dubio a *Leucio Charino*, quem Papa *Gelaſius* diſcipulum diaboli 41.
vocavit, impoſtore nempe famigeratiſſimo, confićti. Monet hic 42.
Noſter contra Cel. *Pfaffium*, ante Seculum VI vixiſſe *Chari-* 43.
num, ab *Evodio*, *Auguſtino*, *Turibio*, aliiſque, Seculo ſexto
antiquioribus, jam excitatum, & a *Photio* ſatis graviter ob argu-
menti mediocritatem, & ſtili inelegantiam, in *Actibus* ſuppoſi- 44.
titiis reprehenſum, de quo præter *Ittigium* & *Fabricium* 45.
etiam *Tolandus* concinne ſatis commentatus eſt. Autores
denique, vitam S. *Andreæ* enarrantes, antiquiores æque atque
recentiores, huic Diſſertationi adduntur, ubi de *Simonis Meta-* 49.
phraſtæ in *Andream* commentatione ex *Lambecii* Bibliotheca
aliquid affertur, & *Tomi VIII* hujus Bibliothecæ raritas an-
cillæ Autoris, exempla hujus libri igni tradenti, adſcri-
bitur. Inſignis vero raritas operis, a *Sauſſæo* editi, de *Andrea*, 50.
fratre Simonis Petri, fruſtra a Cl. *Woogio* in Bibliothecis inſtru-
ćtiſſimis, in Bodlejana etiam Oxonienſium, quæſiti, ignorare
ſe, unde ſit, fatetur Noſter. Noſtrum ſi judicium inter- 55.
ponere liceat, facile rei hujus cauſam ex eo, quod de *Sauſſæo*
Autor, ex aliorum doctorum virorum teſtimoniis, addit, appa-
rere arbitramur. Succedit *ſecunda Exercitatio* præliminaris *de* 59.
Martyrio B. Andreæ, quæ in fronte ſtatim teſtimonia, undique 61.
ab Autore conquiſita ex *Hippolyto*, *Petro Chryſologo*, *Dorotheo* 62.
Tyrio, *Nicephoro Calliſto*, *Damaſo*, *Sophronio*, *Joanne Euchai-* 65.
tenſi, & *Uſuardo*, exhibet, ita tamen, ut, cum bona hic malis 66.
mixta appareant, omnia ad genuinum teſtimonium Epiſtolæ
Presbyterorum, tanquam ad Lydium lapidem, ab Autore

Mm mm exi-

Pag. 67. exigantur. Flagellis ante ſupplicium *Andream* fuiſſe cæſum, certo conſtat, licet ratio illius flagellationis impedita admo-
68. dum ſit, quæ Apoſtolo, ad quatuor palos alligato, humi accidiſſe videtur. Traditur etiam, in arbore olea, ſeu oliva, ne-
69. ci fuiſſe datum Apoſtolum, ex qua crucifixionis fama crux *Andreana*, ſodalibus Ordinum equeſtrium *Andreæ* uſitata, viridis coloris eſſe cœpit, crucem ex olivarum ligno vivo conſtructam ſignificans. De forma crucis interim varie diſ-
70. ceptatur. Decuſſatam fuiſſe crucem, omnis antiquitatis fa-
72. ma loquitur, contra quam vero *Lipſius* & *Tillemontius* pu-
74. gnant, ita tamen, ut, rem non confectam ab his duumviris, ſed in medio relinquendam eſſe, Autor judicet, niſi conſultius ſit, traditioni, cum antiquiſſimo crucis modo convenienti, fidem habere certiſſimam. Hoc tamen veritati non reſpondet, quod loquuntur quidam Autores, *Andream* inverſe
77. fuiſſe ſuſpenſum, cum ex genuino Epiſtolæ Presbyterorum teſtimonio tale quidpiam plane non eluceat, licet exinde conſtet, Apoſtolum clavis non fuiſſe cruci affixum, ſed funi-
78. bus alligatum. Hinc rejicitur *Bellarmini* ſententia, & confirmatur, vocabulum Græcum προσηλῶν in univerſum notare
80. omnem ſuſpendii, ſive clavis fiat, ſive funibus, modum, ſicut
82. etiam τριπάσσαλον recte de equuleo veterum ſumi debere, Au-
84. tor ſolide demonſtrat, & exinde docet, *Andream* in cruce, divaricatis manibus pedibusque, velut in equuleo, extenſum, fuiſſe
86. conſpectum. Veriſſimum etiam eſt, Apoſtolum biduo in
87. cruce vixiſſe, nec vivum ex ea, licet *Ægeas*, populo commoto, id conceſſerit, deponi voluiſſe, ſed placide ſubitoque exſpiraſſe, in eo dum eſſet, ut vivus adhuc, ſeu ſemimortuus potius, auferretur. Reliqua, ex *Abdia* hic addita, fabulis ſunt accenſenda, vel errori interpretis, Græca vocabula ſiniſtre ex-
88. plicantis. Locus, ubi diriſſimam obiit mortem *Andreas*, fuit certiſſime oppidum Patræ in Achaja, a Patris Theſſalonicis &
90. alia Patara, Lyciæ urbe, probe ſecernendo, cujus primas ori-
92. gines, & ſtatum ſequentem, quin etiam hodiernum, curate recenſet Noſter, & totius Achajæ circa ea tempora enarrat
96. fata, quo, certius quod ſtatuat de martyrio *Andreæ*, habeat. Inqui-

quirit deinde in nomen officiumque *Ægea*, in crucem tra- Pag. 98.
dentis Apoſtolum, & non ſine ſumma veritatis ſpecie, elabendi
rimis undique obſtructis, ſuſpicatur, illum modo Conſulem fuiſ-
ſe Patris, modo ὕπατον in Græcis dici monumentis, nec Pro- 99.
conſulares inter ordines nomen ejus legi, nec tantam dignita- 100.
tem, urbi Corintho annexam, Patris obtinuiſſe, inprimis tunc
temporis, quo Achajæ ſua erat conceſſa libertas. *Ægeam* ve-
ro nullam aliam occidendi Apoſtolum nactum fuiſſe cauſam, 102.
quam quod ipſe inimicitias contra religionem Chriſtianam ca-
pitales animo concepiſſet, ſatis liquido ex litis conteſtatione
in Epiſtola Presbyterorum conſtat. De tempore vero mar-
tyrii diverſitas ſententiarum dubitationes parit plurimas, quas 104.
inter ſuam etiam in medium profert Autor, in illa temporis
intervalla mortem *Andreæ* referens, quæ inter annum Chriſti
67, quo *Nero* libertate priſtina donavit Græciam, & 106.
annum 73 intercedunt, & hinc vel ſub *Ottonis* & *Vitellii* tem- 108.
poribus, vel, quod maxime ipſi placet, ſub *Veſpaſiani* imperio. 109.
Sequitur nunc *Exercitatio tertia*, critica & literaria, de hac
epiſtola Presbyterorum diligentiſſime perſcripta, & hic inſerta.
Ejus vero cum ſummam ante aliquod tempus in his *Actis* 114.
dederimus expoſitam, recenſendæ ei in præſentia ſuperſedere
poſſumus. Pergimus ad ipſam potius Epiſtolam, cui teſtimo- 224.
nia veterum de Presbyterorum Epiſtola ſunt præpoſita. Ipſa 227.
vero hæc Epiſtola in *undecim* diſpeſcitur *Capita*, quæ ſingula
enarrabimus. *Primum* continet introitum Epiſtolæ, ex quo 233.
patet, Seniores & Diaconos hanc Epiſtolam circularem qua- 234.
ſi & encyclicam ſcripſiſſe, qui pacem deinde legentibus
precantur, doctrinæque fidei, ab *Andrea* ipſis traditæ, in-
dicem addunt. In *Capite ſecundo* defenſio ſtrenua *Andreæ* 240.
contra *Ægeam* proponitur, exprobrantem Apoſtolo, quod 244.
homines ad impudentem ſuperſtitionem reducat, cui re-
ſpondet *Andreas*, ſe perſpectum habere, nec eum, nec Roma- 246.
norum principes, veritatem religionis cognoviſſe. Publice 249.
hinc ſalutarem doctrinam profitetur, & *Ægeæ* Conſuli Præ-
conceptam de Chriſto ut eximat opinionem, tanquam de ho- 250.
mine malefactore, exponit in *Capite tertio* ſpontaneam Serva- 252.

Pag. 256. toris mortem, quam prædixerat, pro humano genere obeun-
264. dam. Hinc exponit uberius *Andreas* myſterii crucis Chriſti
270. doctrinam, quæ in Epiſtola *quartum* & *quintum* conficit *Ca-*
279. *put*, cui in *ſequenti* doctrina Apoſtoli, præſente *Ægea* de vera
corporis Chriſti in ſacra Cœna præſentia expoſita, additur.
293. Narratur deinde hiſtoria de Apoſtolo in carcerem conjecto,
ibidemque, ſecundum *Caput. ſeptimum*, populum a ſeditione
dehortante, & ad fortiter ferendas vexationes illum cohortante.
305. *Octavum Caput Andream* ad tribunal iterum ductum, blandis-
que verbis ab *Ægea* compellatum, minis denique exceptum,
memorat, quas tamen forti intrepidoque animo tulit Apoſto-
317. lus. Reliqua *tria Capita* docent, Apoſtolum juſſu *Ægeæ* flagel-
325. lis cæſum, ubi de *κεντητηρίοις* doctam affert conjecturam Cla-
riſſ. *Woogius*, deinde a ſupplicio ſubeundo dehortationibus avo-
catum, tandem vero ad mortem eſſe condemnatum; ubi ora-
329. tio enarratur, ab *Andrea*, ad mortem properante, de cruce ha-
341. bita, ſolatio & gloria ſua. Cui denique additur, coactum *Ægeam* a
populo fuiſſe, ſanctum virum ut juberet a cruce deponi, quod
tamen quo minus fieret, ſubita mors *Andreæ* prohibuit. Ma-
nus enim admoventibus carnificibus cruci, ſubito decedebat
ſervus Dei, ignito curru, τῷ φωτὶ, quod Græca loquuntur
349. verba, ad Dominum properans. Finem hic facit Autor Epi-
ſtolæ, & recte hinc judicat, perpauca iſta, quæ in Codice oc-
currunt Græco, ab adulterina manu fuiſſe addita, idemque eſſe
352. ſtatuendum de miraculis reliquiſque enarrationibus, in Latina
verſione apud *Surium* hac in Epiſtola ſequentibus. Hac da-
ta occaſione ubique evidenter confirmat Noſter, impoſtoris
eſſe verba, vel garrientis & nugas vendentis, vel ſibi repu-
gnantis. Notas breviores textui ſtatim adjecit Noſter origi-
359. nali, in quibus philologicum, criticum, & theologicum, exhi-
buit literarum ſuarum ſtudium; quæ vero prolixiores juſto vide-
bantur annotationes, minuſque commode ad textum invenie-
bant locum, eas ad calcem adjecit Epiſtolæ. In illarum ſtatim
prima Autor de formula precandi, Κύριε ἐλέησον, diſſerit, ejus
γνησιότητα in Epiſtola, atque uſum ampliſſimum in Græco-
rum

Digitized by Google

rum officiis ſanctioribus, vindicat, &, gentilium etiam hanc fuiſſe precandi rationem conceptam, ex *Arriano* notat. Alio Pag. 366.
in loco ſedulo Autor navat operam, in cauſas inquirens, quare Chriſtiani impoſtorum nominibus fuerint adſperſi, & 367.
cur pietatem Chriſtianam ἀθεότητος appellatione infamaverint 368.
idolorum cultores, quidve ſentiendum ſit de inſcriptione *Neroniana*, quæ religioni Chriſtianæ in Hiſpania exſtinctæ tropæum ponit, nos docens. Doctiſſimas etiam deinde & am- 375.
pliſſimas quaſdam obſervationes deprehendimus, ad hiſtoriam 378.
euchariſticam, & veram Patrum intelligentiam, ſpectantes.
Idem eſt dicendum de obſervatione hiſtorica æque ac literaria, 381.
ad Epiſtolas *Ignatii* pertinente, & de vitæ contemtu apud 382.
Martyres veteris eccleſiæ agente. Poſt hæc paſſionem S. *Andreæ*
ex *Abdia Babylonio* Autor exhibet, & errores ejus, circa rem 389.
enarratam commiſſos, confutat ea, qua pollet, rerum in Eccleſia
geſtarum peritia & eleganti doctrina; quibus ſpecimen 401.
addit *Actorum Apoſtolorum Petri atque Andreæ*, ex Codice Barocciano 130 Bibliothecæ *Bodlejanæ* deſcriptum, & primum hic Græce Latineque editum. Recte hic judicat Autor Cla- 414.
riſſimus, nullius pretii hanc recenſionem eſſe, atque craſſum impoſtoris ingenium ſatis ſuperque prodere. Agmen claudit 418.
elegans *Mauritii Caroli Chriſtiani Woogii*, Paſtoris ad ædem B. *Mariæ* Virginis in urbe D[illegible]lenſi, *de S. Andrea Martyre in numis* ad Filium Epiſtola, nunc iterum excuſa. Mentionem hic facit Summe Venerabilis Autor aliquorum Sanctorum, quorum memoriam numis & patrociniis coluerunt regna, reſpublicæ, & civitates. Ex his numos quoſdam rariores recenſet, &, quod ridiculum eſt in numis de *Georgio*, draconem haſta interficiente, docte lectores admonet. Demum ad numos, de *Andrea* cuſos, Noſter pervenit, & ex his rariores exhibet, enarrando, illuſtriſſimos Comites *de Holſtein* ſuos numos imagine hujus Sancti ornare ſolitos fuiſſe. Idem fecerunt præter *Fridericum*, Ducem Holſatiæ, Græci, Angli, Scotique, qui præclara multa de S. *Andrea* loquuntur. Hinc factum eſt, ut Rex *Jacobus IV* aureum numum huic Apoſtolo dicaverit, cujus typum in fronte Epiſtolæ exhibet Venerabilis *Woogius*. Ac-

Digitized by Google

cenſendus eſt hic numus iis, qui auro gemmisque pretioſiores habentur, eumque invenimus delineatum in libello numiſmatico Belgico ſummæ raritatis, qui A. 1580 forma minori apud *Guil. von Pariis* prodiit. Sufficient hæc argumenta, Lectoribus diligentiam ſtudiumque Patris Filiique, utriusque doctiſſimi, comprobantia, utque alia hujus generis cum orbe literato communicent, ardenter optabunt optimi quique rei publicæ literariæ cives.

JOANNIS CORNELII DE PAUW NOTÆ IN *Pindari Olympia*, *Pythia*, *Iſthmia*, *Nemea*.

Trajecti ad Rhenum, apud Nicolaum Muntendam, 1747, 8. Alph. 1 plag. 1½.

Ultimus hic fuit cantus viri, quem modo nominabamus, ſatis, proh dolor, noti, ſæpiusque noſtris his in *Actis* notati & memorati, ideoque digni, cui ſupremas laudes brevi dicamus elogio. Quo defuncturi nobis videmur officio, debitaque ipſi omnia complexuri, ſi dicamus, virum fuiſſe ſui generis incomparabilem, quem par non præceſſit alter, & cui porro ſupervenire alium parem vetet Numen, cui ſalus & incrementa literarum curæ ſunt. Ultimum ceciniſſe inſcius & invitus ex eo deprehenditur, quod, velut gladium minacem vibrans, recentisque ſpem juventutis inchoans, poſt exactum in fama medium ſeculum, identidem ingeminat promtum ſibi ſuum vanum & χαῦνον *alibi plura, alibi diſtinctius.* Gallum putes, lacero quamvis gutture, pervicaciter tamen, cantillare, aut unum de illo genere tibicinum, quos, obolo conductos, drachma vix ad ſilentium redigat. Felices vos Græci heroes, quos benigna veſtra ſors impuris tyranni manibus eripuit. Lætamini profecto, tu *Sophocles*, & tu *Euripides*, ſi quis ineſt ſenſus Manibus, accipitrem e proximo imminentem effugiſſe. At tibi fatales erant ejus ungues, *Pindare.* Ita te miſere concerpſit, ut non tam civem tuum Thebanæ matres. Ita tibi comminuit articulos, ut

non

Digitized by Google

non magis carnifex fecerit. *Pindari* Græcarumque literarum ſtudioſo, librum hunc arripienti, quid ſuperſit aliud, quam gemitus & indignatio injuriæ optimis literis factæ? Quis viciſſim non rideat ab his ſacris alienus homo in volumine ſatis ſpiſſo diligentiam ærumnoſam, at inutilem, qua nihil effectum aliud fuit, quam ut nervis reſolutus, & in minutal quaſi conciſus, in poſterum jaceret *Pindarus*, & oſores noſtri confirmarentur in prava, quam fovent, opinione, literatores ignorare vitæ ſuæ otiique pretium, & nuces atque lupinos nunquam deſerere. Si nolebant omnino Parcæ *Pauwio* animum fingere niſi minutum, trucemque, & *Domitianeum*, qui non delectaretur niſi configendis muſcis & cornicum oculis, qui nollet in rebus viro ſapiente dignis pretioſi temporis jacturam facere; utinam ſervaſſent eum ſaltem in ſecula tantillo ſeriora, & jamjam imminentia, quibus Franconicos & Suevicos Poetas, quos *Minneſinger* & *Meiſterſanger* appellant, dimetiri, tam præclarum, lepidum, atque eruditum, & vel Philoſophis dignum, habebitur, quam nunc frivolum, inficetum, vile, audit, *Homero* & *Pindaro* decempedam admovere. Fieri non poterat, quin animus tam acer & ſubtilis, nugarum atque minutiarum ſectator, ſagacitate & induſtria omnes, quotquot ſunt, aut erunt, *Hans Saxii* agrimenſores multum antecelleret. Emicant profecto, rara quamvis, ex hoc metrico ſterquilinio bonæ frugis grana, quæ fidem faciunt, non infuiſſe *Pauwio* tam ſiniſtrum ingenium, quin potuerit utilis evadere literarum illi, quod tractavit, generi, niſi, viam ſectando inſuetam & pravam, adeoque inhumanam, inſigniter ridiculus fieri maluiſſet. Quod quin ita ſit, non negabit, quiſquis eum norit. Et poteramus omnino ingrato labore ſuperſedere, qui, mortuo leoni barbam velli, & ineptias recoqui & refutari, flagitat. Quia tamen ex inſtituto noſtro novi libri delibandum eſt aliquid, age, ſumamus nobis aliquam particulam, e qua, quod ceteris ſtatuendum ſit pretium, intelligatur. Eſto autem illa particula, qua perecenſuit *Oden primam Pythiorum*, illam, qua *Pindarus Hieroni*, celeberrimo Syracuſarum tyranno, curruleni victoriam gratulatur.

Ad

Ad *Verſum* itaque 17 obſervat *Joannes Cornelius*, vocem ὑγρὸν, ab interpretibus male acceptam, *molle* & *flexile* notare; recte quidem, vulgare tamen id eſt. Etiam illud bene, quod *κώματι verſu 20 ſomno* reddit, cum interpretes communi errore putaverant, vocem hanc idem eſſe, quod *κώμῳ*, & *cantu* reddi poſſe. Dicit itaque Noſter: *ἰαίνει καρδίαν κώματι*) *Uno verbo ſopis Martem.* Κῶμα *eſt ſomnus altus. Qui aliter interpretantur hoc ipſo loco, ineptiunt.* Poſtrema hæc non mirabitur, quisquis vel ſemel librum *Pauwianum* unum aliquem inſpexerit. Et plures allegabimus deinceps ſimiles *Pauwianas* facetias. Etiam hoc recte vidit, iſtud *verſu 39*, *ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ*, vertendum eſſe, *quique in horrenda Tartaro*, ut vulgo non faciunt, alienum ſupplementum inſercientes, *qualis eſt ille, qui in horrenda Tartaro.* Sed hæc quidem trivialia ſunt, & vel ipſe *Joannes Cornelius* pro levibus reputarit. At, quæ ſequuntur, majoris ſunt momenti. *Verſu 38* reprehendit *Pindarum*, ut non ſatis poetice atque emendate locutum, quod idem alibi quoque haud raro facit. Deſcribit eo loco Poeta ignivomum Ætnam. Νιφόεσσ' Αἴτνα πάνετες χιόνος ὀξείας τιθήνα.) *Ante χιόνος ὀξείας epithetum convenientius adhibere potuiſſet* Pindarus, *quam eſt νιφόεσσα. Id enim nimis Synonymum. An ipſe ſcripſit forte νέφοεσσ' Αἴτνα? νεφόεσσα a νέφος, ut alia id genus, & ipſum νιφόεσσα a νίφος. Hoc certe accommodatius. Inquies: ὀυρανία praecedit, quod* altiſſimum *ſonat, & ſic etiam peccat. Sed diverſa ratio eſt utriusque, & emphaſin habet κιὼν ὀυρανία, νεφόεσσα Αἴτνα, id eſt, Ætna, columna aëria, ea altitudine, ut verticem ejus cingant nubes. Vides, & nihil in eo tavtologum. Judica igitur.* Hæc ille, quem etiam non nominatum ſatis tamen produnt Autorem eadem ſtribiligo & peregrinitas elocutionis, eadem macies, & ariditas, eadem *ἀκρισία*, quæ in aliis ejusdem viri regnant, toties jam ab aliis notatæ, ſed fruſtra, quandoquidem non capiebat emendationem. Patet, *Pauwium*, idem eſſe, credidiſſe, *χιὼν* & *νίφος*, nam ſynonyma appellat. Sed ita cenſentem pueri Grammaticorum procul dubio ridebunt. Abnormius hoc, quod continuat; ad *verſum* nempe

40,

o hæc notat, *ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί.* ۹uod de Θείῳ ſcribunt interpretes, elucidare poteſt τὸ ἁγνόταται. Dubito tamen, an ad ipſum Jovis fulmen non reſpexerit indarus, quod amburens Typhonem, ignem puriſſimum emitt, & qualem in ſummi Jovis telo ineſſe convenit. Ignis, qui e Typhone exit, eſt ipſe ille ignis, quo fulmen Jovis coruſcat, ſic non poteſt non puriſſimus eſſe & ἁγνότατος. Ipſa ſulburis puritas, ſi attendas, inde manare potuit Mythologis. ۹uicquid ſit, vel hoc, vel illud, in animo habuit Poeta, epitheto tens. Tranſpoſuit autem iſta duo, ἀπλάτου, ἁγνόταται. Nam aturalius fuiſſet ſane, ἄπλατοι πυρὸς ἁγνοτάτου ἐκ μυχῶν αγαί. Id quisque videt, cui oculi non lippiunt. Nunc alterum ribuit alteri; niſi Amanuenſes forte loquantur, & ipſe Poeta naram ſecutus fuerit hic: quod non nolent multi. Ego nihil affirio. Subtilitatum, an nugarum, nomen hæc mereantur, judicent ectores, quos non piget æſtimare ea, quæ nos quidem non ne tædio transſcripſimus, & quorum acumen percipere non alde laboramus, putantes, multo utilius eſſe, quam ſunt iſtæ icæ, multoque certius, ſi teneatur, *Pindarum* non ἁγνόταται, ſed αἰνόταται, ſcripſiſſe, ut erat ſupra αἰνὰ Τάρταρος, & aulo poſt Ἁφαίστοιο κρουνοὺς δεινοτάτους. Pergamus ad *verſum* 14 & *ſeq.* ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν, πέτρας φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖαν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ. *fluvii ignii interdiu quidem profundunt fluvium fumi candentem, noctu ero ſaxa punicea evoluta flamma in profundum defert maris quor cum fragore,* hæc notat *Cornelius* noſter: *Si ita reliuerit* Pindarus, *hic certe ineptiit; nam fingere, montem non nterdiu, ſed tantum noctu, evomere, nihil aliud re vera eſt, nam ineptire. Hoc omnes ſentiunt ſtatim.* Imo vero ſenunt omnes, Poetam, quando noctem & diem comparat, liud nihil, quam fumi & flammæ diverſitatem, in animo abuiſſe & indicaſſe, nullo autem modo iſtud dicere voluiſſe, uod ipſi affingentem *Cornelium* ſentiunt ſtatim omnes inetire. Sed non minus inepta ſunt, quæ addit, hercle porentoſa: *Quod de voce* πέτρας, *& verbo* φέρει, *commenti ſunt uidam, ut illam indecentiam tollerent, non poteſt cuiquam*

Nn nn *præ-*

Digitized by Google

probari paulo humaniori. Ænigmaticus ne ſit hic loci, qualis ubique fere Noſter eſt, addimus, quosdam interpretum πέτρας non pro accuſativo plurali habuiſſe, quod debuerant, ſed pro genitivo ſingulari, tanquam eſſet poſitum pro ἀπὸ πέτρας, vel ἐκ πέτρας, & φέρει pro φέρεται dictum ſtatuiſſe. Quid autem *Cornelio* videtur? *Viſne aliud,* interrogat, *quod mihi in mentem venit? Leviter forte corruptus eſt locus, & ipſe vates ſcripſerat* τέφρας, *pro* πέτρας. — *in ſummo noctis ſilentio audias etiam ſtrepitum, quem edunt* τέφραι, *de aere cadentes in maris ſuperficiem. Vides? Hoc bonum & naturale. Facillima mutatio, & facillime etiam locus depravatus a naſutis, ut grandius quid adeſſet in ſcripto grandi:* τέφραι *ſcilicet & aduſta leviora praſtare non poterant, quod praſtant* πέτραι. *Atque hinc illud egregium a corculis egregiis.* Neſcimus profecto, culpamne ſimus incurſuri, ſi ea refutare inſtituamus, quæ, dubium eſt, digniora ſibilis, an commiſeratione, ſint putanda. Credibile vix eſt, ab homine ſano proficiſci poſſe, qualia hæc ſunt. Quis enim, o bone, tantum auditu valeat, ut inter erumpentium ſaxorum atque ignium, ſævique maris, ſtrepitus & fragores diſtincte percipiat exuſti pumicis atque cineris, dum in undas incidit, crepitationem? Id tu ſi tibi confidis, vel ipſa ergo vincis, quæ ab auditus acumine celebrantur, animalia. Et præterea, qui, *Pindarum* ineptire, paulo ante pronuntiabas, quid ajes te facere, cum convinceris in illud ipſum incidiſſe vitium, quod in Thebano vate, ſed ἀμύνας, criminabaris. Nam *fingere, montem non interdiu, ſed tantum noctu favillam evomere, & hanc tantum noctu crepitare, non interdiu, nihil aliud re vera eſt, quam ineptire.* Suis verbis arguere hominem, juſtum erat. Sed plus negotii faceſſit egregium corculum. Ad illa *verſu 50:* τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι, *prodigium adſpectu quidem mirabile, mirandum vero & tranſeuntibus auditu*, hæc notat: *Male abundat illud* παριόντων. *Eo enim omiſſo, rotunda eſt & bona dictio; & poſterius non magis* παριόντας *ſibi requirit, quam prius; ſimiliterque* παρόντες *narrare poterant, quod viderant, ut quod audiverant.*

verant. Hoc perſpicuum, ſi animum advertas. Fallor, aut una litera peccat, & ſcribendum eſt παρέοντων. Παρέοντες, qui ibi adſunt, qui ibi habitant. Non urgebimus, te, *Corneli*, Græce non intellexiſſe, neque perſpexiſſe, θαῦμα παριόντων ἀκοῦσαι Græce idem eſſe, atque ſi minus eleganter dicas θαῦμα ὑπὸ παριόντων ἀκούεσθαι, *a prætereuntibus conſpici* quoad flammam, *& audiri* quoad fragores, *admirabile*; neque hoc urgebimus, παρέοντες in ſenſu *accolarum* Græcum non eſſe, idque fingere, tuo tuique ſimilium ex more eſſe, qui, quicquid libuit, nullo autore, nulla data fide, perhibes. Sed hoc unum arguemus, hanc tuam corruptelam eodem vitio laborare, quod modo tibi videbaris in proba lectione deprehendere. Fingamus enim, tantiſper rectum eſſe tuum παρεόντων, hebes ſis, neceſſe eſt, niſi protinus intelligas, eam vocem æque ad prius ἰδέσθαι, quam ad poſterius ἀκοῦσαι, pertinere, adeoque, tuo quidem ex judicio, abundare. Si neges, ſi adverſeris, conſequetur ex eo, Ætnæ accolas fragores quidem ſui montis audire, at ignes non conſpicere. Quod forte *Pauwianus* aliquis homo non putet rationi repugnare, nos autem omnino putemus.

Jam dudum id patimur, quod ille in Prologo *Pacis Ariſtophanea*, οὐκ ἔθ' οἷοί τε ἐσμὲν ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας. Age tamen, quandoquidem ſemel ingreſſi ſumus, percurramus hoc Augiæ ſtabulum, ut poterimus, ocyſſime. *Verſu 86* occurrit verbum, quod alibi nuſpiam exſtat, ideoque vexavit Grammaticos, ἀμεύσασθαι. Locus hic eſt: Spero me, ait *Pindarus*, non a ſcopo aberraturum, aut, ut ipſe loquitur, *non jacturum extra certamen ſagittam ærea cuſpide munitam*, μακρὰ δ' ἐκρίψαις ἀμεύσασθαι ἀντίους, *ſed longe jaculatum victurum hoſtes.* Ita interpretes, qui ſuam hoc de loco ſententiam ipſi conſulentibus prodent; nobis ſatis erit, conjecturam noſtram & *Pauwianas* elegantias proponere. Nolumus quidem verbo controverſiam facere, quod tueri videtur *Heſychius*; probabile tamen fieri poſſit, *Pindarum* ἀμέρσασθαι ſcripſiſſe hoc ſenſu: Spero, me procul jaculando hoſtes a me ſubmoturum eſſe; proprie me ipſum ſubtracturum, &

Digitized by Google

privaturum hoſtibus. Audiamus nunc *Cornelium* noſtrum: Heſychius *in Lexico*: Ἀμεύσασθαι, ἀμείβεσθαι, διελθεῖν, περαιώσασθαι. *quod forte ex hoc ipſo loco deſumtum. Quæ de veriverbio ſcribunt Grammatici, non ſunt unius aſſis, & miſere nugantur, qui a Dorico* ἀμὸς *deducunt. Syllabæ enim menſura aperte obſtat, ut hic ipſe locus oſtendit. Alibi accuratius. Nunc illud notabo tantum. Apud Heſychium eſt in V.* Ἀμὴ σιδηροῦν σκεῦος, καὶ σκάφη, εἰς ἣν ἐβάλλοντο ἐρίφων πόδες πρὸς τὸ μὴ βαίνειν. *Ab iſto* ἀμὴ *in poſteriore ſignificatione veniſſe deduci poſſet* (ſcilicet ſecundum Grammaticam Græcam *Pauwianam*) ἀμεύσασθαι, *quando de victoria dicitur plena*, ἀμεύσασθαι ἀντίας, *ita vincere adverſarios, ut in* ἀμὴν, *quaſi conjecti, hædorum inſtar ſeſe movere nequeant — Alibi plura, ut dixi.* Satis jam & ſuper eſt facetiarum. O utinam tibi quis, *Corneli*, manus tali cyphoni alligaſſet, antequam *Pindarum*, & tot alios bonos ſcriptores, velut *Ajax* lorarius, miſere cædere inciperes. Ni tam aridus eſſes, quam te ubique monſtras, & tam ſuperciliosus & ſufficiens ipſe tibi, voluiſſesque unquam ad eam deſcendere ἐυαρέσκειαν, ut ſcripta tua philologicis floribus adſpergeres, undecunque decerptis, & eſſes æque elegans homo, atque ille fuit, qui nuper *Palæphatum* & *Achillem Tatium* ex *Gemara* & *Maimonide* illuſtravit, potuiſſes ex Hebræis & Arabicis appoſita exempla congerere. At erunt tamen ſemper, qui querentur, non percipere ſe, quid ſibi velit ἀμεύσασθαι ἀντίας ἐχθρούς, *longe ſagittas ejaculando hoſtes velut hædos vincire;* tanquam ſi ſagittæ vincula eſſent. Ad *verſum 94* non male quidem deprehendit errorem interpretum; ipſe tamen nihilo meliora profert. Locus hic eſt: Si, ait *Pindarus*, omne reliquum tempus eodem modo, quo nunc, tribuat felicitatem, & malis oblivionem inducat: Ἦ κεν ἀμμνάσειεν οἵαις ἐν πολέμοισι μάχαις τλάμονι ψυχᾷ παρέμειν', ἀνίχ' εὑρίσκοντο Θεῶν παλάμαις τιμὰν οἵαν οὔ τις Ἑλλάνων δρέπει. *Certe* (ſic vulgo vertunt) *in mentem revocaturum eſſet* (nempe tempus), *qualibus in bellis pugnis toleranti animo perſeveranter interfuerit, cum invenerint Diis juvantibus*

bono-

honorem, *qualem nemo Græcorum decerpit.* Hæc ſenſu carere, ut ſponte ſua quivis animadvertit, ita notavit quoque *Cornelius. Quo pertinet*, exclamat, *illud* εὑρίσκοιτο? *Ad tyrannos Siculos, reſpondent interpretes, quod adeo inſulſum, ut nihil magis. Quid enim in his, quod eos ſubindicet? Ne* γρύ, *ne* γρύ. *Aut balbutiit Poeta, aut legendum eſt* παρέμεινεν ὡ εὑρίσκοιτο. *Hoc longe apertiſſimum eſt, & nemo dubitet, quin ex Pindari calamo exierit.* Imo vero dubitamus ea de re quam maxime, neque tantum dubitamus, ſed potius certo certius novimus, id ex *Pindari* calamo non exiiſſe, *Cornelium* vero locum hunc prorſus non percepiſſe, & in metri leges, cujus tyrannidem invaſit, graviter peccare. Nam νεν (in παρέμεινεν), ſequente ὡ, brevis eſt, quæ ſyllaba debebat longa eſſe, quemadmodum, quod iſti reſpondet, *verſu 82* τᾳ in βιχτίᾳ. Decempedæ ſuæ oblitus hic fuit *Cornelius*, ut ſæpiſſime Grammaticæ Græcæ obliviſcitur, quo pertinet id, quod ἥκεν ἀμνάσειν reddit: *Hercule, in memoriam ſibi revocet.* At ſenſum forte recte percepit. Conſtitiſſet ea de re, ſi Latinam interpretationem addidiſſet. At uſus fuit eo compendio, quo miſelli quidam Criticaſtri ſuam ignorantiam, velut pallio, velant, dubium certe faciunt, an ipſi ſuæ mutationis valorem intellexerint, nec ne. Attamen, *Pauwium* hunc locum non cepiſſe, ſatis conſtat ex eo, quod modo allegabamus de ἀμνάσειν, quod vel tiro deprehendat. Aliam ergo medicinam ſibi poſtulat *Pindarus*, quam, ut certiſſimam, ita perquam lenem & mollem, ipſi adhibebimus. Scribendum nempe, divifis, quæ male coaluerant: παρέμειν' ἀ νίχ', εὑρίσκοντα. Redit hic accuſativus εὑρίσκοντα ad præcedens ἀμνάσειν, *Tunc ſane victoria faciet ipſum invenientem honores — quales nullus alius Græcorum, recordari, quantis ἐν πολέμοιο μάχαις in belli pugnis* (ſeu luctis) *adſtiterit perduranti corculo* (id eſt, ipſi *Hieroni*). Quod porro proxime ſequitur ad *verſum 101*, admirabile & cedro dignum eſt, alii ferula dicant. Μεταλλάσσοντας, quod ibi loci exſtat, mutat in μεταλάσσοντας. En ipſa viri verba: λάζω, λάζομαι, λαμβάνω.

 Inde

Inde μεταλάζω, cujus futurum eſt μεταλάσσοντας: appoſitum hic, quemadmodum & præſens μεταλάζοντας. Id Pindaro *notiſſimum.* Quo autore id tibi credemus, *Corneli? Bentlejus* ſi adhuc viveret una tecum, multo miſerius vapulares, quam amicus tuus *Clericus*, cujus culpam præ nimio tuo erga illum ſtudio videris in te derivare ex parte voluiſſe. Is enim ſimplex illud peccabat, *ἀσπάζω* verbum activum fingens, non ex ignorantia forte, ſed properans, & aliud agens: quod tu idem hic jure tuo facis, deſtinato conſilio & animi ferocia. Tu autem & alterum illud peccas, quod a tuo verbo *μεταλάζω*, quod tibi relinquimus, futurum *μεταλάσσω* formas. Dii averruncatores, quale portentum! Tolerabile fuerat, ſi verus Poetæ ſenſus ipſum latebat, ſi latebat, in hac phraſi, *μεταλλάσσοντας*, ſtatuendam eſſe ellipſin vocis τὸν νοῦν, vel τὴν γνώμην, quod mirum non eſt in homine, qui nuſquam prodit uſum linguæ Græcæ penitiorem, accurata lectione comparatum, & tot annis profecto comparandum, & quem tot numero editi ab ipſo libri Græci promittant ignaris; at prorſus id non eſt tolerabile, craſſa in ipſis elementis linguæ peccata, vel tironibus indigna, jactari velut ab exprobrante pro arcanis, quæ veteribus notiſſima, recentioribus ignorentur. *Verſu 130* familiare ſibi ſuum γε, loco δὲ, infercit, neſcius nempe, quid ſibi velit. Locus hic eſt: Ζεῦ τέλει. αἰεὶ δὲ τοιαύταν Ἀμένα παρ' ὕδωρ, αἶσαν ἀςοῖς καὶ βασιλεῦσιν, διακρίνειν ἔτυμον λόγον ἀνθρώπων, quæ vulgo vertunt: *Jupiter perfice* (quæ peto), *ſemperque talem Amenæ juxta aquam habitantibus fortunam largire civibus & regibus, ut dijudicent veram famam hominum.* Noſter, ſublato poſt τέλει puncto, & intruſo, quod diximus, γε, ſic interpretatur: *Fac, ut vera hominum fama tribuat fortunam talem*, &c. quæ, fatemur, nos non percipere. Recte ſe habent omnia, dummodo αἰεὶ & δὲ in unam vocem contrahas, αἰείδε, *usque ad ſemper, usque in æternum. O Jupiter, perfice usque in æternitatem talem — fortunam, civibus juxta & regibus, ut diſtinguant veram inter homines rationem.* Ἔτυμος λόγος eſt *verum*, quatenus *falſo* opponitur, dictamen ſanæ rationis, aut ſenſus

ſenſus communis, & inde jus & fas, æquum. Pergit *Pindarus:* Σύντοι τίν κεν ἀγητὴρ ἀνὴρ υἱῷ τ' ἐπιτελλόμενος, δᾶμόν τε γέρων τράποι σύμφωνον ἐφ' ἡσυχίαν. *Hæc varie accipiunt interpretes,* (verba ſunt Pauwii,) *& varie accipi poſſunt. Ego in iſtis mihi non ſatisfacio, &, mutata unica literula, ſcribendum ſuſpicor plane* — υἱέν τ' ἐπιτελλόμενος δᾶμόν τε — *ſic nihil planius, aut decentius,* ἐπιτελλόμενος, *præcipiens, monens,* γέρων *egregium. Sic longam vitam precatur Hieroni;* γεραίρων *dignum ipſa Morbonia.* Scilicet habent libri quidam γεραίρων, loco vocis γέρων, cujus ſcholion erat, &, ut ſæpe contigit, locum occuparat. Dignum quidem Morbonia judicatur a *Pauwio,* qui hanc librorum ſuorum patriam libenter & cum voluptate quadam identidem citat, ut patriæ ſolemus cum gaudio meminiſſe; longe tamen ſolœciſmo *Pauwiano* melius habendum eſt. Quis enim unquam audivit ἐπιτέλλεσθαι τινα, *alicui præcipere?* Procul dubio, ſeu γέρων, ſeu γερῶν, ſcribere malis, unum idemque notat, ſcilicet *honorans, reverens.* Quis enim neget, γέρω verbum fuiſſe, aut inde ductum γεράω, quando quidem ab illo γέροντες, ab hoc γεραὸς & γεραίρω, profluunt. *Tecum vir rector populi* (quisquis ille ſit), *dum filium autoritate paterna regit, & populi libertatem & æquum jus reveretur, tam filium ſuum populi gubernatorem, quam populum ipſum, convertat ad conſpirantem & unanimem tranquillitatem.* Hic eſt ſenſus verborum *Pindari,* & hic finis eſto noſtri de novo hoc *Pindarico* interprete judicii, e quo intelligatur, ſi tantum quisquiliarum paucis paginis contineatur, totum opus procul dubio cloacam nugarum eſſe. Abiit *Pauwius* ad locum ſuum. Ἀγαθῇ τύχῃ. Neque enim typothetas porro, neque librarios, inutili & frigida ſua merce, neque Bibliothecas triobolaribus libellis, onerabit.

DELLA SPEDIZIONE DEGLI ARGONAUTI in Colco Libri quattro, &c.

id eſt,

DE EXPEDITIONE ARGONAUTARUM IN Colchidem Libri quatuor, in quibus varia capita navigationis, Aſtronomiæ, Chronologiæ, ac Geographiæ, veterum illuſtrantur.

Venetiis, apud Joannem Baptiſtam Recurti, 1745, 4.
Plag. 20, cum tabula geographica.

J*oannes Rinaldus Carli* ſeſe hujus Operis Autorem in formulæ dedicatoriæ initio profeſſus eſt, qui nihil eorum omiſit, quæ ad hanc ſpartam ornandam ſpectant. In Præfatione inſtitutum ſuum ac ſcriptores, qui de expeditione Argonautica literis memoriæ prodiderunt, tum deperditos, tum obvios & exſtantes adhuc, indicavit. De expeditionis veritate haudquaquam dubitat. *Iſaacus Newtonus* in Chronologia antiquorum regnorum emendata annum obſervationum *Chironis* aſtronomicarum tempore hujus expeditionis reſtituere ſumma ope niſus eſt. Noſter itaque in eo præter cetera occupatiſſimus eſt, ut epocham tam illuſtris expeditionis in tuto collocet. Eſt ipſi animus ſcribere Commentarios de Iſtria antiqua. Non potuit itaque non incidere in expeditionem Argonautarum. Nam dicuntur Colchii Argonautas, profectos in patriam, inſectati, ac, Medeam repetituri, Danubium, Savum, & Lubianam, preſſiſſe, & hac via in Iſtriam veniſſe, ibique conſtituiſſe Abſirtidas & Polam. *Apoſtoli Zeni* ac *Bernardi de Rubeis* ſubſidia prædicat Autor. *Scipionis Maffeji* laudat benignitatem, qui Epiſtolam ſubjunxit. Operis ſunt *quatuor Libri*. *Primo* exponitur de expeditione, *ſecundo* de tempore expeditionis, *tertio* de itinere in Colchidem ferente, ac *quarto* de adventu Argonautarum in Colchidem, ac Colchiorum in Iſtriam. Hæc eſt voluminis ſumma. Juvat nunc per vireta ire, ac paſſim nonnihil decerpere. *Libro primo* expeditionis cauſa & momenta ediſſeruntur. Vellus aureum allexit Græcos in Colchidem, vellus arietis, a *Phryxo* immolati, *Marti* conſecratum. Dux itineris exſtitit vel *Hercules*, *Jovis* ac *Alc-*
Pag. 4. *menæ* filius, vel *Jaſon*, a Pelia inductus. Variant hic veteres.

Jaſo-

Digitized by Google

'aſonis pater traditur fuiſſe *Æſon*, avus *Creteus*, *Æoli* filius.
Eolus æque generaverat *Athamantem*, *Phryxi* ac *Hellæ* geni-
orem. *Lavaurius* expeditioni Argonauticæ credidit ſubeſſe Pag. 5.
er Iſraelitarum ex Ægypto in Cananæam, diſſerens ſenten-
am in libro, cui eſt index: *Hiſtoire de la Fable conferée avec
biſtoire ſainte*, nuper Venetiis in ſermonem Italicum transla-
), *Tom. I pag. 185*. *Athamanta* hic convertit in *Abrahamum*
onjectura audaciori. Mater *Jaſonis* a veteribus traditur varia.
'atalis Comes inde conjecit, expeditionem ipſam eſſe fabulam
ioralem, ſuffragante *Philippo Ceſio* in *Cœlo aſtronomico*. Patria 7.
'aſonis vocatur Olcos in Theſſalia, *Homero* dicta *Jaolcos*, aliis
'olcos. *Jaſon* traditur a Centauro fuiſſe educatus, eoque *Chirone*. 9.
'entaurus eſt Theſſalus quicunque, teſte *Plinio VII, 56*. *Chi-* 10.
ınem Xenophon fecit *Jovis* fratrem, natum ex *Saturno* &
'aide. *Jaſon*, viginti annos natus, ad *Peliam*, Jolci Regem,
enit, uſurpatorem regni, quod *Jaſonis* eſſe debuerat. De-
em dynaſtiis fœcundam fuiſſe Theſſaliam, *Homerus* eſt au-
or. *Argo* ab Argivis in ea viris dictam fuiſſe, ſibi perſuaſe- 13.
it *Ennius* apud *Ciceronem*. At Theſſali haud dicti fuerunt
rgivi. *Samuel Bochartus* argo deduxit ex ארכא, *longa* na-
e, ſiquidem *Philoſtephanus* apud *Plinium VII, 57*, eam voca-
it *navem longam*. At Ἀρχήναυς, Ἀργοναύς, Græcis fuit *na-* 15.
is primaria. *Euripidi* ea dicitur Ἀργὼ & Ἀργώα, Apol-
onia Ἀργώη νηῦς. Alii navis fabricatorem appellant *Argon*.
Habuit ipſa omnino figuram longam, ac fuit κατάϛρωμα, 21.
ῦς μακρά. Fuiſſe navem illam πεντηκόντορον, tradunt ve-
eres. Reſtat nummus, eam navim exhibens ac inſcriptionem:
ΑΡΓΩ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. Argonautæ enim præter *Jaſonem* 24.
rant Magneſii. *Ovidius* inde dixit *Argo Magnetida Heroid*.
Epiſt. 12. Gubernator navis fuit *Typhis*. Sunt, qui putant,
avim hanc mare intraſſe, aſtris fulgentibus Hydræ, Centau-
i, & Canis, ac ipſam *Argon* a Græcis in cœlo inter ſidera lo-
atam. Chriſtiani hanc navim ſenſu novo ſuum dixere ſym-
olum. *Clementis* certe *Alexandrini Pædagog. III.* ſunt hæc: 30.
Noſtra ſigna ſunt columba, aut ἡ ναῦς οὐρανοδρόμος, aut lyra.
Non vacat, nomina Argonautarum repetere. Nonnulli po-
Oo oo ſtea

Digitized by Google

ſtea templa a Grajis poſita fuerunt. In Italia conſtitutæ
Pag. 34. fuerunt *Academiæ Argonautarum*, una condita Caſalis Montisferrati A. 1540, alia Bononiæ fundata, alia Anconæ inſtituta A. 1649 cum ſymbolo navis ac epigraphe: *Ex virtute ſalus.* Aliam condidit *Coronellius*, Venetorum Geographus, A. 1680, navi Argo inſignem ſupra globum terraqueum addita inſcriptione: *Plus ultra.* P. *Quadrius* meminit Collegii regalis Panormitani, & in eo Academiæ Argonautarum, cujus ſymbolo inſerviant hæc *Virgilii*: *Erit altera, quæ vehat Argo Delectos heroas.* Venetiis ſurrexit A. 1732 Academia nova, *Serenorum* Academiæ aggregata, eaque Argonautica. Argonautæ veteres nomen traxere ex regione Miniæa, ſeu Phthiode, Theſſalorum, ubi eminebat urbs cognominis, caput regni Miniæorum, qui coloniam Jolcon deduxere. Argonautæ fuerunt Magneſii ac Miniæi ex univerſo. Hoc eſt *Libri primi* argumentum. Jam ad capita *Libri ſecundi* eſt progrediendum. Tempore obſcuro, vel potius mythico, contigit expeditio Argonautarum. Theo-
41. gonia pertinet ad prius; herogonia ad poſterius. Hoc tulit *Ariſteam* Proconneſium, *Iſigonum* Nicæenſem, alios. Ad heroas relati ſunt Argonautæ. Eorum expeditionem *Euſebius* everſione Trojæ poſuit 79 annis antiquiorem, *Newtonus*
43. annis 34, *Dionyſius Petavius* 41. Uterque poſterius epocham ſuſpendit ſuam ex hiſtoria *Herculis*, Divis poſt mortem additi. *Herculis*, quem *Cicero* haud unum facit, res ſunt tenebris immerſæ. *Newtonus* adhibuit præterea calculum
45. aſtronomicum, *Chironis* obſervatione uſus, qui, æquinoctio verno ſub ſidus arietis regnantis expeditionem contigiſſe, dicitur ſignificaſſe. *Newtonus* eam facit Jeſu nato antiquiorem 956 annis. Jeſuita *Souciet*, adſcito alio nomine, quatuor adverſus opinionem *Newtoni* ſcripſit Diſſertationes, Abbati *Contio* inſcriptas. Reſpondit *Newtonus* per epiſtolam ſuccincte. Addidit *Souciet* Diſſertationem quintam, & aliam de nummo,
47. qui fuiſſe *Auguſti* exiſtimatur. Definivit *Souciet* articulum temporis, e quo *Chiron* æquinoctium exorſus fuit, determinando ſtellam pedis recti, in ariete illuſtrem, provocans ad *Hip-*

Hipparchum, qui nodum piſcium poſuerit in arietis cœleſtis 3 gr. 15 min. Inde colligit, *Chironem* ſupputaſſe æquinoctium a 15 gradu arietis, ac expeditionem Argonautarum antiquiorem Jeſu fuiſſe 1467 annis. Haud reſpondit *Newtonus*, interea morte interceptus. Denuo Noſter litem hanc chronologicam incudi reddit. Autor Titanomachiæ apud *Clementem Alexandrinum Strom. VII pag. 361* ed. Oxon. hæc de *Chirone* habet: Οὗτος ἔις τε δικαιοσύνην θνητῶν γένος ἤγαγε, δείξας ὅρκον καὶ θυσίας ἱλαρὰς (lege ἱερὰς) καὶ σχήματ᾽ Ολύμπε. Inde *Newtonus* colligit, ipſum formaſſe Zodiacum in Argonautarum uſus, ac coluros fixiſſe in ſignis libræ, arietis, capricorni, & cancri. At acta *Chironis* ſunt fabulis oppleta & obruta. Ægyptios Aſtronomiæ Autores fuiſſe, tradiderunt *Theodorus Gaza, Lucianus, Macrobius*. Ægyptii certe hieroglyphicis fuerunt uſi. In ſepulchro *Oſymanduæ*, Ægyptiorum Regis, Zodiacus in 365 gradus diſtributus exſtitit, *Diodoro* teſte. Pyramidas meridianæ lineæ eſſe cuſtodes, docuit Jeſuita *de Chazelles*. *Teuth*, ſeu *Mercurius*, dicitur a *Platone* inveniſſe Aſtronomiam. Alii Græcos perhibent Aſtronomiæ inventores. *Æſchylus Prometheа, Sophocles Palamedem, Euripides & Aratus Aſtræum, Lucianus Orpheum*, pro ejus inventore habuerunt. Chaldæis hunc honorem decernunt *Cicero, Sextus Empiricus*, alii; Elidenſibus *Diodorus*; Phœnicibus *Strabo*; Atlanti *Plinius VII, 56*. Quis igitur pro certo ſtatuet, *Chironem* Aſtronomiæ apud Grajos autorem fuiſſe? Græci didicerunt eam ab Ægyptiis, teſte *Vitruvio*. An Autoris *de Titanomachia* teſtimonium fide adeo dignum eſt, ut inſtar omnium eſſe debeat? Incertum præterea eſt, an *Chiron* Zodiacum conſtituerit, vel cœperit, ab arietis ſigno. *Columella IX, 16*, autor eſt, veteres æquinoctium ſtatuiſſe in octavo gradu conſtellationis. *Geminus* gradum primum definit. An *Chiron* incidit in gradum octavum, an in primum? Differentia certe ex eo oritur annorum 576. *Eudoxus* apud *Hipparchum* æquinoctium locavit in dimidium arietis ſignum, ſeu ejus gr. 15. *Hipparchus* eum omnesque veteres aberraſſe evicit ante Olympiadem 118. *Chironis* ævo

Pag. 49.

51.

Oo oo 2 Zodia-

Digitized by Google

Zodiacus ne Græcis quidem fuit cognitus. Aries *Baccho*
aquam monſtravit, & ex eo in Zodiacum fuit inſcriptus, *Hermip-*
Pag. 52. *po* apud *Hyginum* teſte. Apud Græcos *obliquitatem Signiferi*
aperuiſſe Anaximander Mileſius traditur primus. Signa de-
inde in eo Cleoſtratus & prima Arietis & Sagittarii. Nec
Homerus, nec *Heſiodus*, Zodiaci ſigna meminerunt. *Chiron*
non videtur attigiſſe Aſtronomiam. *Plutarchus* eum Muſices
magiſtrum vocat, Jureconſultum, & medicum, *de Muſica pag.*
53. *1145. Hyginus*, eum rei herbariæ, ejusque virium, peritum fuiſſe,
docet *Fab. 138 Cap. 56. Plinius* ipſum Medicinæ inventorem
tradit *VII. 56.* Suffragatur *Virgilius Georg. Lib. III. Xenophon*
vocat venatorem. Nemini horum ipſe dicitur fuiſſe Aſtrono-
mus. *Vitruvius* laudat veterum Aſtronomos *IX, 6*, omit-
tens *Chironem.* Autor Titanomachiæ fidei plenus non eſt.
Muſæum ſphæræ inventorem exſtitiſſe, Autor eſt *Diogenes*
54. *Laertius.* Inde *Newtonus* credidit, *Chirona* partem ejus
inveniſſe. Plejadas *Heſiodus* vocavit *Oper. v. 381* filias
Atlantis Hic enim ſphæram inveniſſe traditur. *Hercules*,
ejus diſcipulus, ex eo dicitur pondus cœli tuliſſe, qualis figura
ejus quoque eſt in reliquiis antiquitatum. Ægypto veroſi-
millime inventio Zodiaci debetur. Quæ *Joannes Albertus*
Fabricius de *Salomone*, qui columnis duabus impoſiturus fue-
rit ſphæras, conjicit *Bibl. Gr. Tom. IV pag. 456*, ea a Codice
56. ſacro ſunt aliena. Funicus duodecim cubitorum circuibat
ſingulas, teſte *Jeremia LII, 22.* Ex Ægypto traduxit in Græ-
ciam primus ſphæræ inventionem *Anaximander* Mileſius, te-
57. ſte *Plinio VII, 56.* Athenienſes tradiderunt, *Muſæum* inve-
niſſe theogoniam & ſphæram. An vero vera tradiderunt?
Chironis Diogenes Laertius haud meminit, dum illa ex teſti-
58. monio Athenienſium tradidit de *Muſæo.* Invenit ſphæram
Nauſicaas, at illam, qua luditur. *Newtonus* eam convertit in
ſphæram aſtronomicam. Pilæ luſus indicatur. Vide *Apollo-*
nium Rhodium in *Argon. III, verſ. 135, IV, verſ. 950. Hero-*
dotus pilæ inventores dixit Lydos. Conf. *Julius Ceſar Bu-*
lengerus de Ludis veterum, Theſ. Antiqu. Græc. Gron. Tom.
VII pag. 907. Conferatur Emin. *Quirinius* in *Primordiis*
Cor-

Digitized by Google

Corcyræ, Brixiæ A. 1738, 4, editis, *pag. 126*. *Danaus* in Græciam venit 72 annis ante Trojæ excidium. Ita contendit *Newtonus*. At definit *Joſephus* annos 607, *Tertullianus* 830, Pag. 59.
Marmorum Oxonienſium Autor 302. Tyrum fuiſſe fundatam anno uno ante Trojæ ruinam, *Newtonus* contendit, ad 60.
Juſtinum XVIII, 3, provocans. At hic tradidit hæc: *Sidonii, a Rege Aſcaloniorum expugnati, navibus appulſi, Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt*. Alibi rationes ſuas *Newtonus* ita ſubduxit, ut Tyri initia 140 annis excidio Trojæ faciat antiquiora. Quomodo hæc ſimul queunt congruere? Deſtruxit Chronologiam *Newtonus*, quam corrècturus erat, magnus ſane Mathematicus, Chronologus minor. Ut epocham 61.
Argonauticam eruamus, ratio habenda eſt *Theſei*. Hujus pater erat *Ægeus*, qui *Medeam*, a *Jaſone* repudiatam, duxit uxorem tertiam, teſtibus priſcis ſcriptoribus. *Theſeus*, 16 annos jam natus, teſte *Pauſania* in *Atticis*, *Troezene* relicta, ad patrem ivit Athenas, ibique offendit *Medeam*. 62.
Pelia occiſo. *Medea* vixit 10 annos Corinthi cum *Jaſone* quam proſperrime, teſte *Apollodoro*. Decennio exacto, *Jaſon* luxit *Creuſam*, Regis *Creontis* filiam. *Medea* tunc repudiata, Athenas conceſſit, ibique nupſit *Ægeo*. *Theſeus* tunc vix 63.
erat natus, cum *Ægeus* duceret *Medeam*. Habemus igitur annos 15, a nuptiis *Ægei* ad *Theſei* acceſſum computandos. *Theſeus* rapuit *Helenam*, natus annos 50, teſtibus *Plutarcho* ac *Strabone*. Paulo poſt deceſſit. Regnavit vero Athenis annos 30, teſte *Euſebio*. Ergo cœpit regnare, annos 20 natus. Expeditio Argonautica incidit in annum ætatis *Theſei* quinum. *Theſeus* anno regni ſui ſecundo XII civitates conjun- 65.
xit ac agona iſthmicum. Marmora *Arundelliana* docent, Autorem eorum vixiſſe disjunctum ab origine ludorum iſthmiorum annis 995, a Troja capta annis 945. Differentia intercedit modo 50 annorum. Biennio ante *Theſeus* regni habenas capeſſivit. Terminavit itaque *Theſeus* regnum 22 annis ante excidium Trojæ, 12 annis circiter ante belli Trojani initia. *Helena*, a *Theſeo* rapta, fuit admodum 10 annos nata, ſoror *Caſtoris* ac *Pollucis*, Argonauticæ expeditionis ſociorum.

Oo oo 3 Inter-

Digitized by Google

Interceſſerunt inter hanc & Trojanam expeditionem ad minimum 60 anni. Qui igitur *Helena* potuit ingruente hac expeditione tantam præ ſe ferre pulchritudinem, mulier fere 60 annos nata? At mythologica ſunt removenda, ſi hiſtoriam velimus ſequi minus fucatam. *Herculem*, filios boreæ, *Lynceum*, ac navigationis omina benigna, *Caſtorem* & *Pollucem*, Mythologi Poetæ addiderunt ex ingenio rebus Argonauticæ expeditionis. *Caſtor* & *Pollux* eandem ob cauſam adjiciuntur
Pag. 67. ſociis Trojanæ expeditionis. Expeditio Argonautica, ut ad ſuperiora redeamus, Jeſu nati annum occupavit annis 1208, ac annum hunc 1748 vulgarem 3023 annis. Erant hæc copioſius ob autoritatem *Newtoni* ediſſerenda. Ex *Libro III* nonnihil rei geographicæ decerpemus. E portu Pagaſa Ar-
72. gonautæ ſolverunt. Lemnum venerunt. Fœdus ibi cum *Hypſelide* initum, idque nuptiale, expreſſum anaglypho opere, repetiit Autor ex *Gronovii Theſauro Antiq. Græc. Tom. I*, ac lar-
73. ga illuſtravit luce. Annum, an biennium, hæſerit *Jaſon* in inſula Lemno, incertum. *Hiſſipyle* neptis dicitur *Ariadnes*, ex
76. Creta cum *Theſeo* fugientis. Parium venit ex Lemno *Jaſon*, ac inde in inſulam Cizycum. Poſthæc cum gigantibus, (Teutonos, ſeu Titanas, credimus deſignatos,) pugnavit. *Rhea* ob dolorem ſuper occiſis poſuit ibi templum. Intravit Be-
79. briciam, Amycorum portum. Phineum appulit Bithyniæ, inde Salmideſſum, ſeu Almideſſum, Stagnaræ ætatis hujus vicinum, ubi Harpyiæ cibum ejus fœdaſſe traduntur, poſthæc
84. iter fecit per Buſporon, ſeu fretum Conſtantinopolitanum, ad inſulas Cyaneas fabuloſas, ſeu Symplegadas, ac per Euxinum in Colchida, quæ nunc Mingrelia vocatur, ubi illuſtres erant
88. Ceraſus & Trapezus, nominatim intra Phaſin flumen. *Æa* tunc caput regni erat, trecentis ſtadiis a mari ſita, ab *Æeta* exſtructa, dicta alias *Cyceis* & *Cyta*, unde *Propertio Carmina Cytæa* ſunt magica. Sunt, qui, Cytæam Judæos traduxiſſe *Salmanaſſarem*, credunt. At *Ithalah* erat urbs Mediæ, nec non Hhabora, *2 Reg. XVIII.* Circumcidebantur Colchi ætate *Herodoti*. Unde venerunt docti in ſuſpicionem, ipſos a Ju-
89. dæis, vel Ægyptiis, deſcendiſſe. *Æetas* Rex, filius *Solis*, ſummæ

Digitized by Google

mæ rerum in Colchide præfuit, adveniente *Jaſone*. *Circe* dicitur ſoror *Æetæ*. *Æeta* fuit filius *Abſirtus*, isque formoſiſſimus, ac par filiarum, *Calciope* & *Medea*, uxor *Idyia*, vel *Idia*. Legendum eſt itaque in epiſtola *Helenæ ad Paridem* apud *Ovidium*: *Non Idyia parens Calciopeque ſoror*. Vulgo ibi legitur *Ipſæa parens*. *Medeam Horatius* vocavit *ferocem invictamque*, *Hyginus mulierem veneficam & ſceleratam*, quæ quippe, *Plauto* teſte, *Peliam* regem concoxit ſenem, ac medicamento ſuisque venenis fecit rurſus ex ſene adoleſcentulum, & capillos nigros flore in albos convertit, *Palæphato* teſte. Inde *Clemens Alexandrinus Strom. I pag. 363* tradidit, *Medeam* capillos tinxiſſe primam. Atrocitas *Medeæ* in ſuos dicitur *Euripidis* fictio ingenioſa. De vellere aureo nihil repetemus, rati, id fuiſſe congeriem pellium pretioſarum muris Sibaritici, ſeu Pontici. Exinde vellus id dicitur *arietis*. *Diodorus Siculus* putavit, *Phryxi* navem fuiſſe ornatam ex arietis ſigno. Velleris aurei memoria peperit Ordinem, inde dictum, a *Philippo Bono*, Burgundionum Duce, A. 1429 inſtitutum. Hæc ad *Librum tertium*. *Quarto* Autor eos convellit, qui Iſtrianorum originem ex Colchorum vindicta & itinere deducunt. *Orpheus* & *Apollonius Rhodius* narrarunt diverſa de *Æetæ*, vel *Abſirti*, filii, fuga, mythologice hiſtoriam exornaturi. Inde profluxit commentum, *Abſirtum* Corcyram, ac inde in Iſtriam, perveniſſe. Alii addunt, Argonautas, Iſtrum ſecutos, in reditu in Iſtriam veniſſe. Inſulæ Abſirtides prope Polam nunc vocantur *Quarnaro*. Sufficiant hæc ex Opere limitiſſimo in præſens.

Pag. 92.

96.

100.

124.

SAMUELIS KOENIGII ORATIO INAUGURALIS de optimis Wolfiana & Newtoniana philoſophandi Methodis, earumque amico conſenſu, dicta publice in templo Academico a. d. 26 April. A. 1748, cum ordinariam Philoſophiæ Profeſſionem in illuſtri Triſiorum, quæ Franequeræ eſt, Academia ſolenniter auſpicaretur.

Frane-


Franequeræ, 1749, fol.
Alph, 12.

Hujus Orationis, ſplendide impreſſæ, *Pars prior* jam ſolummodo comparet. Eſt vero tum rerum pondere, tum ſermonis elegantia, digna Sereniſſimo Principe Arauſionenſi, & reliquo ſplendidiſſimo auditorio eorum, coram quibus habita fuit. Poſtquam generalia plura egregia de Philoſophia monuit Celeb. Autor; Sectas, etiam ſe mutuo deſtruentes, progreſſui ejus prodeſſe magis, quam obeſſe, oſtendit; quod ſemper opinionum commenta deleat dies, naturæ judicio confirmet; ipſum vulgus Philoſophorum, ad claſſicum quaſi canendum, & celebranda ſummorum ingeniorum, quæ non intelligit, opera, ſerius forte alias ad illorum, quibus prodeſſe poſſunt, notitiam perventura, utile eſſe indicavit; *Ariſtotelis*, *Carteſii*, *Leibnitii*, & Illuſtris *Wolfii*, in Philoſophiam merita breviter exponit. *Leibnitium*, notat, *Carteſianum* veri criterium, ambiguitate ſua laborans, primum diſtinctius uſuique accommodatius reddidiſſe, notionum diſcrimen apertius docendo. Plura etiam hiſtorica de *Leibnitio* habet, notatu digniſſima. Vidiſſe ſe, ait, apud *Jo. Bernoullium* manuſcriptas *Leibnitii* in *Carteſiana* Philoſophiæ principia animadverſiones, quarum avtographum ſine dubio perierit, quod fatum pluribus ſcriptis *Leibnitianis* acciderit, quod ſcriptorum ſuorum negligentiſſimus fuerit *Leibnitius*, ipſa inventa parum curans, quamprimum ea in poteſtate habuerit. Deinde *Leibnitium* rixas & oppoſitiones imperitorum impatientius tuliſſe, ut, quo eas evitaret, plura inventa non fuerit proſecutus. Ita *Catelani* & ſimilium litigiis de menſura virium abſterritum fuiſſe ab ea ulterius explicanda, ipſum inventum calculi differentialis fuiſſe neglectatum, quod contemni illud a ſummis Geometris, *Hugenio*, *Tſchirnhauſio*, ceteris, videret, neque ad illud rediiſſe, antequam a *Bernoulliis* excitaretur. Inde judicium ferri poſſe, qua veri ſpecie homo inventum *Newtono* ſurripuiſſe dicatur, quo tam parum aucupatus ſit gloriam. Deinde Ill. *Wolfii* merita *Kœnigius* non vere magis, quam eloquenter, extollit, præcipue

quod

Digitized by Google

TAB. I



Digitized by Google

quod mathematica methodo Philoſophiæ applicata certitudinem illi debitam conciliarit, *Newtonum* in analyſi, qua is in Phyſicis uſus eſt, imitatus. Quæ vero objici ſolent mathematicæ methodo, *Kœnigius* copioſe & ſolide diluit. Ut habeant Lectores noſtri, ex quo de vi Oratoris in dicendo judicium faciant, finiemus debitis, quas Illuſtri *Wolfio* tribuit, laudibus. *Eſt is*, inquit, *alterum Germaniæ ornamentum, nobiliſſimus hujus ævi Philoſophus*, Chriſt. Wolfius, *unigenum & ſingulare ingenium, imitatrix nullius, imitandi omnibus in hoc genere exemplar, a quo maximum hoc atque graviſſimum methodi condendæ munus & recte ſuſceptum, & feliciter confectum fuit. Florebunt ſane apud juſtos rerum æſtimatores, quotquot unquam in Philoſophia elaborabunt, ſuis maximis laudibus, ſed florebunt ut operarii ſæpe ſolertes, ſæpe mirifici, attamen huic uni tanquam architecto concedent. Sed de hujus ſummi Viri, Philoſophi, ejusdemque Geometræ, Theologi, & Juriſconſulti, ingenio, doctrina, & memorabili arte, tum demum pro meritis dicetur, quando invidiam, odium, & malevolentiam, quæ ſemper vehementiſſime in tales viros exarſere, mors exſtinxerit, & tantam lucem æquior poſteritas deſiderabit.*

ECLIPSIS SOLIS, OBSERVATA VIENNÆ Auſtriæ d. 25 Julii Anni 1748, cælo ſereno, & aere tranquillo.

TAB. VI
Fig. 1.

Temp. med. a. m H	′	″	Alt. ⊙ °	′	p. m H	′	″
8	5	26	35	30	3.	54	16
	6	26	35	40	3.	53	14
	7	26	35	50	3.	52	14
	8	27	36	—	3.	51	14

Hinc meridies incorrecta 11. 59 51
correctio add - 10

Quare Merid. corr. ver. & med. 0′ 1″.

a. m. H.	′	″		A. G.	′	″
8	38	49	culmin. Capra	87	29	40
10	14	22	Sirius	25	25	40

Digitized by Google

Hora 10 36 5 apparuit initium Solaris Eclipſis, tubo Patron° 18 pedum & Anglicano pedum 4. Altit. Solis 57 10 limb. ſup.

Phaſes Eclipſis comparebant projectæ in Cameram obſcuram ſitu recto, per duas conſuetas lentes convexas. Lens objectiva diſtabat 4 ped. ab oculari, & hæc 2 ped. a Tabella projectionis.

h	′	″					′	″	
						finis	46	49	A. ☉ 54° 25′
10.	44.	37	notabatur incrementum	I. digit.	& decrementum		36	19	limb. ſup.
	52	29		II.			28	33	
11.	1.	29		III.			20	25	
	10	45		IV.			14	9	
	19	5		V.		I.	4	57	
	29	45		VI.			55	14	
	39	45		VII.			46	14	
	48	35		VIII.			37	44	
	50	29		IX.			29	—	
p. m.	6	49		X.		p. m.	24	29	
uſque ad	17	—		X. ½ circ.		obſcur. maxima.			

In maxima Eclipſi aer frigeſcebat, & elevabantur nubes, quæ tamen obſervationem non impediebant.

Venus erat conſpicua, quæ deinde culminavit

h	′	″		°	′	″	
1	59	57	p. m. in Altit. viſa	48	14		limb. ſup.
				48	13	15	inf.

TAB. VI Fig. 2. Ungula Solis lucida culminans in Eclipſi.

In ſitu quidem inverſo apparebat per dioptram teleſcopicam Quadrantis muralis; at in hoc ſchemate oſtenditur in ſitu recto.

			°	′	″
Altitudo viſa in meridie.	infimi limbi Solis		61.	6	50
	Lunæ		61	12	—
	cornu occid.	a	61	20	dubia
	maculæ	m	61	24	20

			′	″
Temp. inter appulſus ad Meridian.	cornu præced. a, & ſubſeq.	b =	2.	0
	cornu a & maculæ	m	2.	9
	cornu a & limbi orient.	d	2.	12

Porro

Digitized by Google

Porro in merid. præced. ac ſubſeq. diameter Solis viſa, conſtans fuit 31′ 40″; Solque tranſiit per Meridian. intra 135 ſecunda horaria; hinc limbus occidentalis *d*, a Luna tectus, culminavit 3 ſecundis ante cornu *α*.

Proinde *Dd* diameter ſolaris diſci, ſcalam ſuppeditat 135 partium, quarum ſingulæ nimirum æquivalent 14 ſecundis circuli maximi; adeoque per datos numeros determinantur puncta *e*, *f*, *α*, & *b*, pro chorda *α b*, qua bifariam ſecta in *C*, habetur in normali *SCL* centrum *L*, æquidiſtans a punctis *α*, & *b*, ſimulque ab altitudine data infimi limbi lunaris.

Ex prædicta itaque ſcala elicitur ungulæ lucidæ latitudo *gh* dig. $2\frac{1}{10}$, adeoque quantitas Eclipſis dig. $9\frac{9}{10}$. Ita quoque innoteſcit *IL* præceſſio centri *L*; *LS* diſtantia centrorum, & *α L* ſemidiameter Lunæ, parum diſcrepans a ſemidiametro Solis; negligendo quidem tantillum motum centri lunaris, indeque ortam exiguam librationem chordæ *αb*, in ejus tranſitu per meridianum.

Ibidem d. 8 Aug. 1748. Ex appulſibus utriusque limbi Solis ad umbram Meridianæ filaris innotuit momentum meridiei, horologio indicante 0′ $32\frac{1}{2}$″, & per Solis altitudines correſpondentes prodiit Meridies incor. 0′ 16″, correctio add. 16, itaque Merid. 0′ 32″, quæ demenda erant a temporibus obſervationum, addendo $\frac{1}{2}$″ ſingulis horis pro æqu. temporis.

H.	′	″	a. m.	Alt. ☉		o.	′	p.m.	′	″
7.	15	42	—	—	—	24	40		44	50
	16	41	—	—	—	24	50		43	51
								h		
	17	42	—	—	—	25	—	4	42	50

	H.	′	″		
p. m.	0.	56	24	t. v. culminabat planeta Veneris in Altit. viſa Gr. 46 12′: 30′ limb. ſup. diam. 51″,	
	3	25	—	- - Polaris ſub Polo Gr.	46 10′ 30′
	4	29	27	- - Arcturus - -	62 17 20
	9	12	50	- - Lucida lyræ - -	80 21 10

Deinde nubes adſcenderant, quibus dilutis, aliqua manſit caligo, quæ, Lunæ maculas clare conſpici, non ſinebat.

Diameter Lunæ definiebatur per 29 revolutiones Micrometri, adeoque - - - 34′ 1″.

H.	′			
11.	10		nudis oculis adſpiciebatur penumbra in orientali limbo Lunæ.	
—	13		inchoabatur obſervatio per tubum Anglicanum 4 pedum, perque Patronianum pedum 9.	
			Lunæ Alt° erat Gr. 24 58	limb. ſup.
—	16		certum initium Eclipſis - - 25 12	limb. ſup.
	25		umbra pervenerat ad mare humorum	
	27		quantitas Eclipſis	$\frac{6}{29}$ diametri
	32	″	Tycho incipiebat tegi	Incrementum
	33	32	medius Tycho	$\frac{9}{29}$
	35		integer Tycho	
	36	32	medius Grimaldus	
	37	—	Bullialdus tegebatur	
	39		Lansbergius - -	$\frac{15}{29}$
	51	28	Ptolemæus - -	$\frac{18}{29}$
	56	23	culminat limb. occid. Lunæ lucid.	Alt. viſa limb. ſuper.
	57	6	- cornu infer. Eclipſis	25. 56 30
	58	45	- cornu ſuper. Eclipſis	25. 24
	58	51	- limb. orient. Lunæ, ſatis conſpicuus.	25. 44

9 Aug.

	h					
9 Aug.	0	4	22	mane, culminat planeta Jovis. Alt. viſa 25. 10. 55 limb. ſup. ″ diam. 53		
		15	—	Grimaldus emerg. Snellius tegitur.	dig.	′
				in obſcuratione maxima	$\frac{14}{25}$ =	5. 53
		18		Totus Grimald. emerſerat	Decrementum	$\frac{13}{25}$
		31	32	tegitur totus Snellius		$\frac{12}{25}$
		39	30	Emergit Gaſſendus		$\frac{9}{25}$
		49	30	apparebat mare hum.		$\frac{6}{25}$
	1.	0	32	Emerg. Schikardus		$\frac{4}{25}$
		3	30	deteg. Snellius		$\frac{2}{25}$
		7	26	initium Tychonis		
		8	44	medium Tychonis		
		9	24	integer Tycho		
		31		finis Eclipſis - Alt. viſa 23 12 limb. ſup.		
		34		finis penumbræ - - 22 37 limb. inf.		

BIBLIOTHECÆ UPSALIENSIS HISTORIA, AUTOre OLAVO O CELSIO, Vice - Bibliothecario Upſalienſi. Regiæ Acad. Upſal. impenſis.

Upſaliæ, 1745, 8 maj.
Plag. 10.

Upſalienſis Academia inter alias, quibus gaudet, prærogativas inſigni etiam & numeroſiſſima Bibliotheca ſuperbit, cujus hiſtoriam cum nemo adhuc pro dignitate expoſuerit, eo pluris æſtimandus eſt præſens Clariſſimi *Celſii* libellus, quo magis optant, qui rem literariam in deliciis habere ſolent, ut de præſtantiſſimis Europæ Bibliothecis certiora in dies documenta nanciſcantur. Fundamenta hujus Bibliothecæ jacta ſunt *Guſtavi Adolphi*, Regis Suecorum, auſpiciis A. 1621, quippe qui avitum librorum apparatum Upſaliam tranſmiſit, variosque mox adjecit Codices, & impreſſos typis, & calamo deſcriptos, qui hinc inde in monaſteriis regni lati-

 tabant.

Digitized by Google

tabant. Nec depoſuit ejus rei curam inter arma. Nam duobus annis poſt, Riga occupata, Upſalia Regis liberalitate acquiſivit Jeſuitarum Bibliothecam, quam exceperunt Warmienſium & Brunsbergenſium Jeſuitarum, magnis collectæ ſumtibus, & antiquarum editionum copia inſtructiſſimæ, nec non integra Epiſcopi Herbipolitani Bibliotheca, librique nonnulli ex Oppenheimenſium Jeſuitarum, & Moguntini Electoris, ſupellectile, cujus poſterioris magna pars aquis periit, cum in Sueciam deveheretur. Sub *Chriſtina*, *Guſtavi* filia, exterorum, quos undique arceſſebat, eruditorum ſtudio rariſſimis libris, imo integris Bibliothecis, locupletata fuit Suecia, quarum non exiguum numerum Academia Upſalienſis conſecuta eſt. Prorogato etiam bello tricennali, Pragæ ampliſſima Bibliotheca, quæ olim ad Monachos e Societate Jeſu pertinuerat, paritergue Olomutii præſtantiſſimorum librorum theſaurus, in manus *Kœnigsmarckii* & *Torſtenſonii*, ab his vero ad Reginam, pervenit, quæ & Holmienſem, & Upſalienſem, Bibliothecam inde amplificavit mirifice. Succeſſor, *Carolus Guſtavus*, belli tempore, in Polonia geſti, Bibliothecas, quæ paſſim occurrebant, Upſaliam ablegavit, ſcilicet Poſnanienſes duas, alteram Jeſuitarum, alteram Patrum Bernhardinorum, Vilnenſem item & Cracovienſem. Sed omnia reſtituta ſunt Polonis finito bello, ut Olivenſis fœderis Articulo nono ſatisfieret. *Carolus XI* Bibliothecas privatas, *Rolambianam & Delagardianam*, reductionis jure ipſi adjudicatas, Upſalienſi dono dedit, ideoque A. 1686 & 1693 acceſſerunt eidem, & librorum apparatum tantopere auxerunt, ut novæ ſupra *Guſtavianum* auditorium ædes Regiis ſumtibus eſſent exſtruendæ. Ex privatis liberales in Bibliothecam Upſalienſem fuerunt *Odbelii*, *Feuquierii*, *Robinſonii*, *Carteretii*, ac *Roſencranzii*. Cumprimis autem candido notari calculo meretur illuſtre *Jo. Gabr. Sparvenfeldii* nomen; cui quippe accepta ferenda collectio librorum Sclavo-Ruſſicorum, Bohemicorum, Anglicorum, Italicorum, Hiſpanicorum, Hungaricorum, Polonicorum, Illyricorum, quorum adornarunt indicem, & Upſaliæ A. 1706, 4, ediderunt, *Ericus Benzelius* atque *Olavus Celſius*, Viri Clariſſimi. His addi-

addidit laudatus *Celſius*, princeps Upſalienſium Theologus, Autorisque noſtri parens, præter Armenicam Bibliothecam, Botanicam, multo collectam ſtudio, quam Senatus Academicus bis mille thaleris cupreis redemit. Neque parum crevit Bibliotheca ex libris variorum Profeſſorum Upſalienſium, quorum ſupellex publice fuit diſtracta. *Laurentii* præcipue *Norrmanni* Bibliotheca, ter mille referta libris, in quacunque diſciplina rariſſimis, paſſimque in marginibus ipſius poſſeſſoris manu illuſtratis, Academicæ multa ſubminiſtravit quantivis pretii opera, inter quæ Theſaurus Græcus *Stephanianus* curioſos in ſe oculos allicit. Ad Codices quod attinet calamo exaratos, iis quidem non abundat Upſalia, gaudet tamen nonnullis vix alibi obviis. Græca & Latina cimelia comparavit ſibi ex *Joannis Schefferi* Bibliotheca, quam vir ſummus Argentorato eo deduxerat. Arabica, Turcica, Perſica, Coptica, Æthiopica, Rabbinica, MSta, ab *Eremanno* partim in Oriente, conquiſita, partim ab *Henrico Benzelio* Cairi & Conſtantinopoli mille octingentorum thalerorum cupreorum pretio emta, deinceps adjuncta fuerunt. Idem dicendum, ut alia taceamus, de *Eliæ Palmskiœldii* Collectaneis hiſtoricis, quæ res Suecicas admodum illuſtrant, eoque haberi pretioſiora debent, quod plurima poſtmodum documenta, ex quibus ille theſaurus congeſtus fuerat, incendio Holmienſi perierunt. Hæc, ſolutis tribus thalerorum cupreorum millibus, tradita Academiæ, atque in Bibliothecam publicam tranſlata. Maxime autem notabilis, omniumque admiratione eſt digniſſima, acceſſio, priori antiquior. Liberali ſcilicet manu *Magnus Gabriel de la Gardie*, regni Cancellarius, obtulit quinque & ſexaginta varii generis Codices, quorum Catalogus Holmiæ A. 1675 in folio excuſus, nunc a *Celſio pag. 86 ſeq.* repetitus eſt. Inter eos omnes eminet, velut luna minores inter ignes, *Ulphilæ*, Gothorum in Mæſia Epiſcopi, Seculo poſt Chr. Nat. IV celebris, *Codex IV Evangeliorum argenteus*, non autographus quidem ubique, ætate tamen ac ſplendore admodum venerabilis. Scriptus eſt in formæ quartæ coloriſque rubri membrana, literis aureis argenteiſque majuſculis. Delituit primum per longum temporis ſpatium

ſpatium Coloniæ Agrippinæ in Bibliotheca Abbatiæ Werdinenſis, bello autem tricennali Pragam perlatus eſt, ubi cum inveneerit illum *Kœnigsmarckius*, *Chriſtinæ*, dominæ ſuæ, cum ingenti librorum, typis impreſſorum, copia, miſit eundem. Regina dono dedit cimelium hoc *Iſaaco Voſſio*, Bibliothecario ſuo, qui id ipſum in Belgium deportavit. Ita quidem laudatus *Celſius*. Sed ex aliorum ſententia *Voſſius*, non ſat lautis, ut ſperaverat, a Regina præmiis affectus, Codicem illum ſurripuiſſe videtur. Quocunque ſe res modo habeat, id certum omnino & exploratum, quod Comes *de la Gardie*, cum diſtraheretur *Voſſiana* ſupellex, bis mille aureorum pretio redemerit eundem, & mox ligatura ex ſolido argento tectum Upſalienſi Bibliothecæ ad conſervandam ſui memoriam exhibuerit. Edidit ex eo volumine *Ulphilanam* verſionem, Gloſſario Gothico, itemque *Thomæ Mareſchalli* obſervationibus, adauctam, *Franciſcus Junius* Dordraci A. 1665, 4. quam editionem ſexennio poſt ſecuta eſt Holmienſis *Stiernhielmii*. Memoratur etiam Amſtelodamenſis, A. 1684 in tabernas librarias prolata; ſed Batavi titulum prioris editionis renovarunt duntaxat, mutato fraudulenter loco & anno. Hiſce expoſitis, doctiſſimus Autor omnium Bibliothecariorum & Sub-Bibliothecariorum nomina vitasque breviter recenſet, &, Bibliothecam Upſalienſem novis indies libris ornari, ſubjungit, qui ſinguli nitide compinguntur, addito antiquo illo ſymbolo: ψυχῆς ἰατρεῖον. Commendamus cuilibet, qui literariam tractat hiſtoriam, præſens Clariſſimi *Celſii* opuſculum, Autoremque rogamus, ut pergat conquirere, quæ ad Upſalienſis Bibliothecæ ortum atque progreſſum pertinent. Neque enim deterrere eum ab hoc poterunt conſilio *Andreæ Norrelii*, Collegæ ſui, *Strictura*, ἀνωνύμως A. 1746 in forma octava plagulis quinque editæ; quandoquidem bonus vir modeſtiæ paſſim leges violavit, & Autorem noſtrum variorum reum fecit criminum, quæ ad minutias ſæpe, noſtro quidem judicio, referenda videntur.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXLIX.

ÆSCHYLI TRAGOEDIÆ SUPERSTITES, Græca in eas Scholia, deperditarum Fragmenta, cum verſione Latina & Commentario THOMÆ STANLEJI, & Notis FR. ROBORTELLI, ADR. TURNEBI, H. STEPHANI, & GU. CANTERI, curante J. CORNELIO DE PAUW, cujus Notæ accedunt.

Tomi II.

Hagæ Comitum, apud Petrum Goſſe, 1745, 4 maj. Alph. 6 plag. 7.

De hac *Æſchyli* nova editione quæ dicamus, habemus non multa, ſermonem facturi procul dubio ampliorem, ſi quis alius eam, non *Pauwius*, curaſſet; qui vir quam tenuerit in edendis ſuis libris rationem, tis jam cognitum omnibus eſt. Cum alii Critici ſibi proſpi-re de Codicibus manuſcriptis Autorum ſuorum, & de col-tionibus Codicum, ſoleant, quod perutile ſummeque neceſ-rium eſt; *Pauwius* non tantum non curabat has opes, ſed ſuperciliose contemnebat oblatas, ſoli confiſus ingenio ſuo, ıod quale fuerit, neminem latet, eoque ſperans, velut *Alexandri* gladio, nodos omnes, utcunque duros, poſſe dirimi. atis quidem nitida eſt hæc Hagenſis editio, ſed alius apparatus & ornatus, quam qui *Stanlejanam* commendat, ab ea mnis abeſt. Tota reddita & recocta fuit *Stanleji* editio,

Digitized by Google

non malo conſilio: rarior enim in tabernis comparebat. At debuerat eatenus, non ultra, procedere librarii ſedulitas. *Pauwii* Notis carere poteramus abſque damno, quæ nihil aliud agunt, quam ut *Æſchylum* in pedes ſuos diſcerpendo miſere crucient, & inficetis conjecturis commaculent; in quibus ſi quid bonæ frugis ſit, occultatum eſt ſub magno acervo nugarum, & plagii ſpeciem atque ſuſpicionem facit. Id quod pluribus evincet, ſingula ordine pertractaturus, qui novam, dignequé inſtructam, ab ingenii pariter atque Bibliothecarum opibus commendabilem, *Æſchyli* editionem parat, Vir eruditiſſimus, *Antonius Askew*, Anglus. Quo de conſilio nuper in his *Actis Menſe Auguſto* hujus *Anni* ſignificavimus. Licebit nobis, ubi promiſſa iſthæc editio in lucem prodierit, noſtro de *Pauwiana* judicio fidem facere. Interea ab ingrata opera feriabimur. Quisquis *Joannem Cornelium* aliunde non norit, illi ad cognoſcendum aliquo modo mirum hujus viri ingenium ſufficiat, hoc unum a nobis intellexiſſe, *Æſchylo*, ſat grandi Autori, & magna Commentariorum ſarcina onerato, Præfationem additam fuiſſe unius paginæ; quæ ab alia quovis Critico non minor aliquot plagulis exiiſſet. Nulla ibi Codicum collationumve mentio, nullæ ſchedæ, doctorum hominum privatis e ſcriniis protractæ, laudantur; ſolum effulget nomen *Conſtantini de Willem*, nomen, quod Leidæ ab alio nullo merito, quam a modicæ Bibliothecæ poſſeſſione, claret, & quod, fuiſſet abſque *Pauwii Æſchylo*, forte nunquam in literas iviſſet. Memoratur autem ideo, quia *Joanni Cornelio Aldinæ* editionis uſum fecit. Non adeo accuſandi, qui hoc modo famam captant, quam aliter impetrare nequeant: ſeculi is morbus eſt; at illi notam omnino merentur, qui trivialis cujusque libri communicationem & obſcurum quodque nomen literatis lectoribus abſque judicio ingerunt. Unum id adhuc commemorandum nobis eſt, in *Pauwiano* ad *Æſchylum* Commentario ubique accentus, Græcis verbis appingi ſolitos, abeſſe, quod novum in Noſtro eſt. Nam olim quidem cum aliis doctis viris exhibuerat eos in ſuis editionibus. At, quia calamus ejus & typothetæ in iſtis minutiis paſ-

ſim

ſum aberraverant, ipſo quamvis inſcio & invito, & nihilo minus tamen ſeverus aliquis Grammaticus ipſi ea omnia, præter meritum nempe, imputaverat, homo tam pravi & maligni moris, ut, cum clitellas deberet, aſinum feriret; omiſit iſta, frivola ſcilicet, & inepta. *Ego, ait, a frivolis & ineptis ſemper abhorrui.* Applicanda hic regula hermenevtica, *ſemper* hic loci idem valere, atque ex eo inde tempore, quo *Vannus Critica* in orbem eruditum prodiit.

CONSULTATIO DE COMMEMORATIONE Romani Pontificis in publicis ſupplicationibus, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio apud Græcos.

Romæ, 1746, 4.
Plag. 11.

In Congregatione ſuper correctionē Librorum Eccleſiaſticorum Eccleſiæ Orientalis A. 1745, 21 Febr. inter dubia reliqua quæſtio hæc fuit propoſita Romæ: *num in precibus, quæ a Sacerdote & Diacono in protheſi recitantur, ponendum ſit nomen Summi Pontificis.* Dilata tunc in aliud tempus fuit quæſtionis enodatio, ac cauſæ definitio. Ideo reſcriptum eſt: *Dilata, & exquirantur Decreta Congregationis ſacri officii, & Secretarius ſcribat ſuper eodem dubio, cum agetur de eadem aliisque commemorationibus, ex Diptychis Græcorum more faciendis.* Is, qui Congregationis Eminentiſſ. Purpuratorum eſt a ſecretis, propterea rem diſceptare aggreſſus eſt, ſuamque in proxima Congregatione, hanc ſcilicet, prælegit tractationem, diligentiſſime & ſcopo convenienter elaboratam. Academicorum more cauſam diſputavit in utramque partem ita, ut, ſuſpenſo judicio ſuo, integrum relinquat Patribus Eminentiſſimis ea de re judicium. Miratur in limine tractationis ſtatim, cur Pontificis Romani nomen in *Liturgiis* & *Officiis* eccleſiarum orientalium a Græcis *unitis*, quarum uſui Officia ac Libri eccleſiaſtici typis *ſacræ Congregationis de propaganda fide* Pag. 3

de exprimuntur Romæ, haud ſit nominatim adſcriptum.
Pag. 5. Quare ſic fieri conveniat, oſtendit. Addit, in eccleſia Latina
ſemper & ubique factum eſſe. Provocat ideo ad Liturgiam
Ambroſianam, ad Miſſam Mozarabicam, ad Miſſam Latinam,
quam ex antiquiſſimo Codice edidit *Flaccus* (lege *Flacius*) *Il-*
lyricus noſter, & ad antiquiſſimam Liturgiam, quæ legitur in
veteri Codice Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, quem in lu-
cem emiſit Card. *Thomaſius, Cod. Gelaſ. pag. 196.* Omitti-
6. mus Miſſalia. Commemoratio Romani Pontificis in ſacris
Eccleſiæ precibus adeo neceſſaria ſemper viſa eſt, ut, ſi quis
eam omitteret, jam a Catholica communione ſeparatus ha-
beatur. *Pelagius* Papa, *Alcuinus*, *Agobardus*, *Innocentius III*
Papa, *Iſidorus*, *Bona*, Concilium Vaſenſe II, A. 529 convoca-
tum, *Can. 4*, & *Benedictus XIV de Sacrificio Miſſæ Sect. 219*,
8. hujus rei ſunt teſtes. Dicitur itaque, ſtatui poſſe & definiri
ex iis, quæ in Eccleſia Latina ſunt ſervata, quid ab Eccleſia
Græca ſit faciendum. Nihilo minus cauſa ſubtilius expenditur,
9. & tractatio ipſa in quinque diſtribuitur partes. Quæritur enim
1), quo primum tempore in Eccleſia Græca commemoratio
Romani Pontificis fieri cœperit in ſacrificio Miſſæ. Quæ-
ritur 2), quomodo & a quibus fieri conſueverit. Quæritur
3), cujusnam rei ſignum & argumentum ſemper apud Græcos
habita fuerit recitatio, vel omiſſio, nominis Romani Pontificis
inter ſacra. Quæritur 4), quid nunc ab omnibus Sacerdoti-
bus Græcis, tum Schiſmaticis, tum *unitis*, hac in re ſervetur;
& an Græcis Sacerdotibus etiam inferioris gradus, qui Roma-
næ Eccleſiæ juncti ſunt, & in communione ejus perſiſtere
haud recuſant, præſcribendum ſit, ut commemorationem Ro-
mani Pontificis omnino faciant. Quæritur 5), quid in hac re
& Græcis & aliarum Orientalium nationum ſacerdotibus, in
communione Eccleſiæ Romanæ vivere volentibus, Sedes Apo-
ſtolica faciendum præſcripſerit. Redibimus ad quæſtionem
primam. Nomen Romani Pontificis inter ſacra myſteria re-
citatum eſt jam dudum, teſtibus Liturgiis Græcis, quæ ſub no-
mine B. *Petri* ac B. *Marci* circumferuntur, teſte Synodo Va-
ſenſi II, *Alcuino*, & eo, qui *Nicolai I* tempore Liturgiam *Chry-*
ſoſtomi

ſtomi auxit. Cum reliquorum Patriarcharum mentio in ſacris fieri cœpit, Seculo VII, aut VIII, Papa Romanus videtur t ipſe nominatus. *Iſaacus Habertus* & *Joannes Bona* utique c exiſtimarunt contigiſſe. Noſter autem reddit ritum eum ntiquiorem, ratus, primis Catholicæ doctrinæ temporibus ım nomen Romani Pontificis in Orientalis Eccleſiæ Diptyha relatum eſſe, ac omnipotenti Deo commendatum. Proocat ad teſtimonium *Baſilii* Cilicis, qui Seculo V vixit, conervatum a *Nicephoro H. E. XVI*, 17. *Acacius* enim A. 471 nonen Papæ *Felicis* ex albo eccleſiaſtico eraſit, ipſe Patriarcha Conſtantinopolitanus. Conſuetudo igitur commemorationis Romani Pontificis e Diptycho Græcorum fuit vetuſtioris ævi itus. Intermiſſa eſt conſuetudo ob *Photii* ſchiſma. Synodicæ Lieræ a Patriarcha recens electo fuere ad reliquos Patriarchas niſſæ, ut eſſent electionis nuntiæ, profeſſionis fidei teſtes, & n cauſa forent, ut nomen novi Pontificis in Diptycha referetur. Synodicæ autem ejusmodi ſunt antiquiſſimæ. Ex *Gelaſi* actis intelligitur, commemorationem nominis fuiſſe ſynodiarum fructum. Incidunt hæc in finem Seculi V, tanquam es omnibus notiſſimæ, & jam diu antea receptæ. Separatiois, ſeu ſchiſmatis, indicium erat, ſi nomen Pontificis electi in Diptycha non referretur. Eadem confirmantur ex geſtis Hormiſdæ, aliorumque *Gelaſii* ſucceſſorum. *Vitaliani* nomen Græcis in Diptycha A. 657 relatum. *Conſtantini Pogonati* iteræ, ad *Donum* miſſæ A. 678, huc inprimis faciunt. Conſuetudinem mittendi ſynodicas fuiſſe ætate æqualem mori in ſacro Albo nomen Romani Pontificis deſcribendi, oſtenditur ex *Joannis Diaconi Vita S. Gregorii Lib. IV num. 23.* Diptycha perinde erant ac Faſti Conſulares & Indices publici. Ex publicis Eccleſiæ Orientalis tabulis, ſeu illis faſtis diptychisve, S. *Irenæus*, *Euſebius* Cæſareenſis, & S. *Epiphanius*, videntur Noſtro ſuos Romanorum Pontificum Indiculos compoſuiſſe. Amoliri contendit id dubium, quod *Anacletum* alii appellarunt *Cletum*. *Euſebius* certe *Cletum* vocavit in Chronico, quem in Hiſtoria eccleſiaſtica vocavit *Anacletum*. Mira illorum Autorum Græcorum conſenſio in Romanis Pontifici-

Pag. 11. 12. 14. 20. 23. 25. 27. 29.

Digitized by Google

bus recenſendis, eorumque ſucceſſione deſignanda, videtur ipſi
non aliunde repetenda, quam quod ipſi ex eisdem Orientalis
Eccleſiæ Diptychis ſua deſumſerunt, neque viderunt catalogos
Romanos. Inde catalogorum deducit diverſitatem, Græco-
Pag. 30. rum & Romanorum. Hos vero eſſe illis præferendos, do-
cet. Hæretici jam Seculo V detulerunt ex Eccleſia catholi-
ca rituum commemorationis, vel omiſſionis, nominum in Di-
ptychis. Eum a primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ repetendum
34. eſſe, arbitratur Autor. Recipit itaque ſeſe ad Apoſtolicam
traditionem. Hæc ad quæſtionem primam. Ad ſecundam
enodandam delatus, docet, commemorationem Romani Pon-
tificis factam eſſe apud Græcos a ſolo Patriarcha Conſtan-
tinopolitano, teſte *Pachymere V, 18*, in eccleſia Patriarchali
ac Palatina, nec non a ceteris Patriarchis, & aliis Orientis
Epiſcopis, poſtea ab univerſa Græcorum eccleſia. Hæc ad
37. quæſtionem ſecundam. Ad tertiam oſtenditur ſolvendam,
commemorationem Romani Pontificis fuiſſe unionis ſi-
gnum, contra ejus omiſſionem ſeparationis ſignum,
ideoque conditionem componendæ pacis ſemper fuiſſe reſti-
39. tutionem nominis Pontificis Romani in Diptycha. Negat
Autor contra *Michaelem Cerularium*, nomen *Vigilii* Papæ a
ſexta Synodo fuiſſe expunctum. Litis illius Monotheleticæ
45. hiſtoria, *Vigilio* gravis, ſuccincte diſſeritur. Iconoclaſtæ
poſthæc expunxerunt Pontificis Romani nomen, quod tamen
retentum eſt ſub *Photio*, ejusque ſucceſſoribus, licet hi turbas
51. excitaverint. *Cerularius* poſt Iconoclaſtas primus e Dipty-
chis nomen Romani Pontificis delevit, licet Patriarchæ Orien-
tis reliqui id retinerent. Quoties poſtea de pace eccleſiaſtica
fuit actum, toties poſtulatum eſt, ut nomen Pontificis in Di-
54. ptycha reponeretur. Hæc ad quæſtionem tertiam. Quid
Autor ad quæſtionem quartam reſponderit, neminem facile
71. præteribit. *Nicolaus* enim *V* & *Eugenius IV* jam Græcos
unitos, quibus ceteroquin Græcos ritus ſervare voluerunt Pa-
pæ Romani, commemorationem illam facere juſſerunt. Un-
de ad quintam quæſtionem enodandam facillima inventu ei-
dem fuit materies. *Miſſale* enim *Maronitarum*, Romæ A.

1594

1594 typis publicis deſcriptum, ac A. 1608 publicatum, habet Pontificis Romani commemorationem. Eadem inſerta Pag. 74
fuit Armenorum Liturgiæ A. 1671, ac per Congregationem
de propaganda fide A. 1673 approbata. Contendit tandem, 87.
in Miſſa pro infidelibus preces ad Deum dirigi, ſacrificium vero haud offerri, fas eſſe.

VERA ET VEROSIMILIA SACRA ET PROfana, collecta & digeſta ea cura ſtudioque, ut Deo vertant in honorem.

Amſtelodami & Lingæ, apud G. Rykman & J. Meier, 1742, 8.

Plag. 6.

Clariſſ. *Jo. Dan. van Hoven*, Hiſtoriæ & Eloquentiæ in Gymnaſio Lingenſi Profeſſoris publici, ſex Opuſcula hic continentur. *Primum* ſiſtit ad *Eutropium* proluſionem, ubi dicitur, in- Pag. 2.
ter omnes artes & ſcientias, quas neceſſitas invenit, & utilitas exoluit, non ſolum ob nativam præſtantiam, ſed etiam frequentiori omnium cujuscunque ordinis & dignitatis virorum
conſenſu, cumprimis hiſtoriam, & eloquentiam, celebrari. Dum 3.
lla cives delectat, Principes ornat, gentes illuſtrat; hæc præſidium amicis, inimicis metum, Regibus imperium, peperit, antumque præſtitit; illa nititur diſciplina ſanctior, quæ, hiſtoricis & vatum plerumque ſcriptis tradita, æternæ nuntia ſa-
lutis eſt, hac vero vindicatur & defenditur; ſine illa juris- 4.
prudentia cœca, ſine hac muta & ſterilis, eſt; illa corporis atque animi haud raro medicina fuit, hæc medicinæ vehiculum; ab illa Philoſophia exempla, & materiam uberrimam accipit, hæc veritates reddit utiles, cumque aliis communicat; illa conſiliis præſidet, exercitus ducit, caſtra metatur, commoda ſtrategemata monſtrat experta, hæc aciem inſtruit,
animum addit, fractos erigit, revocat in fugam verſos, ac vi- 5.
ctoriam reportat; ſin bellum diſpliceat, hæc pacem init, legationibus fungitur, fœdera pangit; & quidni ſimul animos in bellis accendat? Ita vero Eloquentiæ vim in armis optime novit

Pag. 6. novit Rex Regum *Agamemnon*, qui non magis *Achillis* forti-
tudinem, quam *Neſtoris* eloquentiam, experientia nixam, re-
quiſivit. Ita *Conſtantius* junior *Vetranionem*, cunctis amabi-
lem, novo & inuſitato more, ſola eloquentia, conſenſu mili-
tum, a quibus acceperat imperium, deponere compulit. Vid.
17. *Aur. Victor. de Cæſ. Cap. 42.* *Secundum* locum occupat Pro-
gramma de Cæſarum origine, ubi ſimul de Dictatura ſermo
20. eſt, quæ non a populo creabatur, ſed dicebatur a Conſule.
Dictator per XXIV lictores, faſcibus ſuis illigatos ferentes ſe-
cures, indicta cauſa, injuſſuque populi, ſontes punivit, immo
occidit, nec ab ullo magiſtratu, ceſſantibus omnibus, ne
quidem a Tribunis plebis, impediri potuit. At effrænis plebs
Dictatorum quoque poteſtatem mox fregit, reducta provoca-
tione; donec *Sulla*, Tribunos in ordinem redacturus, medici-
nam ipſo malo pejorem adhibuit, ut & poſt eum *C. Cæſar*
21. Dictatura perpetua fuit uſus. Apparere autem liquido, cenſet
Noſter, vel ex nomine, ſeu titulo, principis, *Octavianum* primum
exſtitiſſe novi imperii conditorem. Conf. *Cic. pro Marc. Cap. 4,*
& *Oroſius Cap. 20.* Hic, ut ſuum principatum novo quodam
titulo conſecraret, *Auguſtus* a S. P. Q. R. dici maluit, cum alii,
22. *Romulum* nominari debere, quaſi & ipſum conditorem urbis,
29. cenſerent. Conf. *Suet.* in *Aug. Cap. 7* & *28*, & *Florus Lib. IV*
Cap. 12. Sequuntur Epiſtolæ *J. G. Grævii* tres ineditæ: pri-
ma ad *Jo. Harduinum*, duæ ad *Jac. Gronovium:* Illic potiſ-
ſimum de cohortibus equeſtribus, atque aliis militiæ Romanæ
momentis, agitur, iſtic de *Judæ* proditoris nece. Succedit
34. Proluſio ad *Dan. Dirxii*, Indo-Batavi, publicam de hiſtoriarum
in Jurisprudentia utilitate Orationem, deque ordinibus Roma-
36. norum, præcipit. Ut Noſtro, præeunte *Ovidio Faſt. VI, 94,*
videtur, *Romulus* non niſi duas in partes populum diſtinxit,
quarum *Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa*, &, *Pli-
nio H. N. Lib. XXXIII Cap. 2* judice, ſaltem per *Ciceronem*
tertius ordo Romanorum equitum fuit adjectus. Ubi nos
quidem diſtinctionem, duplici reſpectu, & altero præſertim
Ciceronis ætate, magis inſignem atque conſpicuam factam,
adeſſe arbitramur; tanquam ſimilis, quantumvis claudicantis,
hodie-

Digitized by Google

hodieque in Chriſtianorum civitate ſolennis diviſionis, in ordinem ſacrum, civilem, ac domeſticum, ſimul recordati. Eadem pedetentim communior facta eſt; licet ordo ſacer in ſtatu civili æque ad ſubjectos pertineat, ac apud Romanos ad populum equeſtris; in ſacra vero civitate docentes atque auditores accuratius & ſæpius opponantur. Quod autem popu- Pag. 37.
lus ſenatum comprehendat, cui ſaltem plebs opponatur, verum eſt alio reſpectu, alio falſum; populus enim vel univerſam aliquam civitatem deſignat, vel tantum ſubjectos, id quod conſueta maxime formula S. P. Q. R. nos docet. Porro plebis nomen vel late accipitur, equites comprehendens, vel anguſto ſenſu, excludens, nec niſi ordinis inferioris, ad Romanos tamen quod attinet, liberos, homines deſignans. De *Romulo*, Noſtro referente, triplex cumprimis eſt ſen- 89.
tentia. Nonnulli totam, quæ venditatur, hiſtoriolam inter fabulas referunt, ut *Phil. Cluverius* & *Jo. Temporarius*, refutati a *Nardino* in *Rom. vet. Lib. I Cap. 1 pag. 887*, *Tom. I Theſ. Græviani*, *Thoma Ryckio*, & *Nieuportio* in *Proleg. ad Hiſt. Rom.* Alii indigenam, ſive Romanum, *Reæ* filium, *Numitoris* nepotem, faciunt, quam vulgarem ſententiam doctis ab hominibus jam ludum exploſam Autor dicit. Unde nihil ipſi reſtat, niſi quod advena fuerit, ſive e Phœnicia, quemadmodum *J. Gronovius* in Oratione de hoc argumento ſingulari conjicit, ſive e Græcia, quæ ſententia magis probabilis videtur: tum quia *Numitor* neutrum nepotum in ſpem regni retinuit, quamvis alium non haberet hæredem; tum quia ne quidem ex Albanis uxores accipere potuerunt; tum denique, quia ferme omnia *Romuli* inſtituta Græciam ſapiunt. Putat igitur Cl. Autor, a *Numitore* in auxilium eſſe vocatum, & fabulam ab iisdem ad populum alliciendum fuiſſe diſperſam, ut hoc felicius eorum conſilium & conjuratio procederet; adeoque totam illam hiſtoriam inter ſtrategemata eſſe referendam. In *quinto* eſt loco de Civitate 41.
cœleſti Proluſio, ubi quidem οὐρανοπολιτείας eminentia præ Romana demonſtratur, quam breviter eadem occaſione delineavit. Nimirum, dum civitas in genere dicitur ſocietas li- 43.
berorum hominum, eodem jure, cum publico, tum privato,

Rr rr uten-

utentium ad res ſuas obtinendas, apud Romanos jus priva-
tum, ſeu *Quiritium*, in jure libertatis, gentis, connubiorum,
patrio, legitimi dominii, hæreditatis, atque uſucapionis, po-
ſitum fuit; publicum vero, ſeu civitatis, cenſus, militiæ, tri-
butorum, vectigalium, ſuffragiorum, honorum, & ſacrorum,
communionem habebat. Hæc jura, nativitate, adoptione, do-
natione, emtione, manumiſſione, apud Romanos acquiri ſolita,
olim parce admodum cum aliis communicata fuerunt, neque
ante *Cæſaris* ætatem extra Italiam Alpesque civitatis Romanæ
beneficium diffuſum eſſe legimus. At ſub Imperatoribus
magis magisque ille honor vulgari cœpit, donec *Antoninus*
Caracalla per famoſiſſimam illam Conſtitutionem, in orbe Ro-
mano qui eſſent, omnes cives effecit, Romaque patria com-
Pag. 49. munis ac respublica τῆς οἰκουμένης evaſit. Denique adjun-
xit Noſter Conſilium de Compendiis hiſtoricis, & cumprimis
65. *Sulpicio Severo*, cum ſpicilegio ad ſacram *Sulpicii Severi* hiſto-
riam, variis obſervationibus referto. Nos ſolam indidem ex-
54. cerpimus obſervationem de *Cellariana* Hiſtoria univerſali,
quam minus ſatisfacere putat Doctiſſ. *van Hoven* Compendii
perfectioris regulis, dum, præter hiſtoriam primorum orbis
incolarum, temporum deſignationem & hiſtoriam literariam
antiquam omnino neglexerit Autor, novam obiter modo teti-
gerit, contra vero in recenſendis Aſiæ minoris poſt *Alexan-*
drum M. regulis fuerit fuſior, hinc pleraque Romanorum
pacis negotia & civilia neglexerit, in uberius exponendis eo-
rundem bellis fere totus, cum tamen eadem utilitatem mino-
rem afferant lectori; porro nulla ſit molis proportio inter Hi-
ſtoriam novam & antiquiorem, quæque ſunt alia monita, tam
Autori, quam Lectoribus, relinquenda.

Einleitung in die Harmonie der Evangeliſten, ꝛc.

id eſt,

INTRODUCTIO IN HARMONIAM EVAN-geliſtarum, Autore JO. ERNESTO IMMA-NUELE WALCHIO.

Jenæ,

Jenæ, ex officina libraria Jo. Rudolphi Crœckerii viduæ, 1749, 8.

Alph. 1 plag. 11½.

Non deſunt quidem, recte ita judicante Clariſſimo Autore, nomina eorum, qui concentum Hiſtoriæ ſacræ evangelicæ demonſtrare ſtuduerunt; nec vulgaris plurimi ſunt autoritatis viri, qui ſuam in hac palæſtra doctrinam atque ingenium exercuerunt, & quorum labor inſigni eſt præſtantia, inprimis ſi particulas quasdam ſingulares, ab illis in luce clariore poſitas, inſpiciamus; ſuperſunt tamen multa, majorem induſtriam & diligentiam efflagitantia, quorum pleniorem tractationem in libello, diligenter & accurate conſcripto, Autor ſuſcepit, ita tamen, ut, quæ ſcripta ſunt hac ſuper re, non negligeret, ſed diligenter evolveret, atque curate dijudicaret, nec temere alium quemque ſequeretur, ſed veritatis tantum, maxima probabilitate ſe commendantis, rationem haberet, nec juſto copioſior, nec brevior, fieret. Speciatim hunc ſibi propoſuit finem, ut libellus ipſius harmonicus in prælectionum Academicarum uſum cederet. Integri libelli ratio formaque ita eſt comparata, ut vita Chriſti ſecundum temporis feriem ſic exponatur, ut nihil, ad caput hiſtoriæ ſpectans, ſuo dimoveatur loco, in quem Evangeliſtæ illud repoſuerunt. Gemina enim hic Autores incedunt via, quorum alii trajectiones amant, alii vero minus. Mediam amplectitur Noſter ſententiam, trajectionem in enarrationibus ſecundariis, non vero primariis, captans, & proponendi modum hiſtoricum tractans, ita tamen, ut ipſius verba ſubinde expoſitionem verborum fundamentalium innuant, &, quæ ex antiquitate, hiſtoria, aliisque ſcientiis, notatu digna videantur, explicari inde queant. Præter ea nervos animi ſui eo intendit Noſter, ut orationes Chriſti, in evangelicis occurrentes enarrationibus, ordinis ratione enodaret, & partes earum, quantum fieri poſſet, recte digereret. Ante, quam ipſum aggreditur opus, *præcognita* quædam, de ſubſidiis ad conſcribendam harmoniam Evangeliſtarum neceſſariis, præmittit, in quibus ſuccincta occurrit enarratio Autorum, Pag. 2.

 de

Digitized by Google

Pag. 5. de vitis Evangeliſtarum ſcribentium, ut & eorum, qui har-
11. monias adornare inſtituerunt, quibus ſcriptores Chronolo-
giæ ſacræ adduntur. Integrum tunc opus in *duo* dividitur
13. *Capita*, quorum *prius* de harmonia Evangeliſtarum in gene-
re agit, & *prima* quidem in *Sectione* de Evangeliſtis, eorum-
27. que ſcriptis in univerſum, diſſerit. *Secunda Sectio* hujus
Capitis principia tradit, quibus harmonia Evangeliſtarum, cu-
rate inſtituta, innititur, quæ ſane lectu ſunt digniſſima, nec
ulla dubitatio eſſe poteſt, quin concentus hujus hiſtoriæ, ſe-
cundum regulas, ab Autore traditas, digeſtus, ſit prorſus
egregius. *Caput ſecundum* de harmonia Evangeliſtarum
41. in ſpecie tradit, cujus *prima Sectio* ab initio Hiſtoriæ Ev-
angelicæ usque ad Baptiſmum Chriſti procedit. Hic Clariſſi-
mus Autor, quod etiam fit in reliquis, teſtimonia hiſtorica, a
Luca initium capiendo, ordine excitat, deinde uberiorem de-
43. clarationem & obſervationes addit, atque temporis rationem
44. ad marginem adjungit. *Lucam* ante *Matthaeum* & *Mar-
cum* ſcripſiſſe vitam Chriſti, contendit Autor ex eo, quia
Theophilus, præter rumores incertos, aliosque libros, ſine in-
ſpiratione divina conſcriptos, certior erat faciendus ex libro
Lucæ; quod fieri aliter potuiſſet, ſi *Marcus* & *Matthæus* an-
tea jam edidiſſent hiſtoriam evangelicam. Per λόγον, ſub ini-
45. tium in *Luca* occurrentem, Chriſtum ipſum intelligi,
& per vocabulum καθέξης eundem ſcriptorem innue-
re temporis rationem, ab ipſo obſervatam, contendit. Hæc &
ſimilia occurrunt in adjectis obſervationibus, ubi quidem
non ſemper explicata mens Autoris apparet, ſed per modum
quæſtionis tantum ipſe eam ſæpe indicat, ubi aliquid in
verbis Græcis, antiquitatibus, & reliquis, fit obſervandum,
v. g. quid ſit in *Luca* κράτιςε; quæ vis ſit vocabuli
ἀσφάλεια; & ſic porro. Fit hoc eum in finem, ut ad
uſum Academicum accommodatus magis ſit libellus,
& fundamenta quaſi prælectionum ante oculos & docens,
47. & diſcens, ſemper habere queat. In hiſtoria *Zachariana* no-
tatur, ex præjudicata illa opinione, qua *Zacharias* ſummus
fuiſſe Pontifex, & tunc temporis in die feſto expiationis ma-

gno

Digitized by Google

gno munere ſuffiendi functus, dicitur, ortum habere inconcinnam dierum feſtorum, inter nos ſtatutorum, rationem. Conceptionem & *Joannis* & Chriſti in annum mundi 3927, U. C. 753, imperii *Auguſti* 30, & *Herodis M.* 34, incidiſſe, ſimpliciter ponitur. *Lucam* non expreſſis verbis circumciſionem Chriſti enarrare, Autor ſtatuit, ſed id modo commemorare, nomen Chriſto poſt octiduum fuiſſe inditum, licet circumciſio Chriſti ex multis aliis procedat argumentis. Noſtro quidem judicio in textu Græco ita fluit enarratio: Impletis octo diebus, ubi circumciderant puerulum, tunc etiam vocabatur nomen ejus Jeſus. Hæc ſi vera eſt, expreſſa omnino eſt circumciſionis actio in Evangelio *Lucæ*. *Secunda Sectio* enarrat dicta & facta Chriſti, in Evangeliſtis obvia, ab initio concionis *Joannis* usque ad primum Paſchatos feſtum, a Chriſto celebratum. Hiſtoria hic præconii *Joannis* contexitur, & id memoratu dignum putatur, *Joannem* ſexies teſtimonium de Chriſto edidiſſe. Baptiſmus vero Chriſti num ineunte ſtatim anni trigeſimi ætate, an exeunte vigeſimo nono anno, ſit peractus, certo definire Noſter non audet, licet ultima ſententia ipſi veriſimilior videatur. *Tertia Sectio* res a Chriſto geſtas enarrat inde a primo Paſchate usque ad ſecundum. Sanationem miraculoſam in *Petri* ſocru duplici vice peractam eſſe, omni jure ſtatui Autori videtur, dum prior ſanatio a poſteriori aliquot menſibus diſtet. De σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, *Luc. VI, 1*, non *Cap. V*, occurrente, judicatur, quod in hiſtoria Evangelica ſub hac denominandi ratione dies ſolis proximus ante Paſcha ſit intelligendus, ſicuti etiam feſtum Judæorum, de quo *Joannes* verba facit, non Pentecoſtes, ſed Paſchatos, ſolennes fuiſſe dies, & hinc ſecundum Paſcha vitæ Chriſti hic terminari. *Sectio quarta* enarrationem omnium continet rerum, a Servatore in munere ſuo publico, a ſecundo ad tertium usque Paſcha, geſtarum. Rerum, hic enarratarum, copia nos prohibet, quo minus ſecundum ordinem, ab Autore inſtitutum, omnia recenſere queamus. Id notamus, Autorem duplicem diſcipulorum *Joannis* miſſionem ad Chriſtum peractam ſtatuere, itemque

Pag. 61. 73. 79. 81. 113. 127. 128. 129. 136.

 tripli-

triplicem cognatorum ſuorum viſionem, & triplicem quoque reditum in patriam Nazarethanam. Satis ex his Lectores in univerſum intelligere poterunt, quatenus conveniat hic, aut diſcrepet, harmonia Autoris, ab aliorum Autorum libris
Pag. 150. harmonicis, in Evangelia conſcriptis. Concio vero montana una eademque eſt, judice Autore, cujus integram ſententiam *Matthæus*, *Lucas* autem ſumma tantum capita, re-
151. cenſet. Beatos hic prædicat ſuos diſcipulos Chriſtus, qui vel in actu pœnitentiæ verſantur, vel jam converſi ſunt, quorum
160. criteria ex ſequentibus enodantur. In verbis Chriſti de accubitu in regno cœlorum ex Oriente & Occidente venientium recte Noſter deprehendit vaticinium Servatoris de con-
181. verſione gentium, & reprobatione Judæorum. Sanationem paralytici, a *Matthæo* enarratam, diverſam ſtatuit ab ea paralytici curatione, cujus *Marcus* & *Lucas* mentionem faciunt. Dolemus, hic multas ſubinde, vitio operarum, falſas legi numerorum excitationes, quod in hujusmodi librorum genere lectoribus valde accidit incommodum. Sic v. g. *pag. 181* loco *Matth. IX, 28*, eſſe debet *IX, 2*. Porro
182. *pagina* inſequenti pro *Marc. XI, 3*, & *Luc. V, 13*, le-
221. gendum eſt *Marc. II, 3*, & *Luc. V, 18*. *Sectio quinta* omnia complectitur, quæ a tertio inde Paſchate usque ad tempus Chriſti, Hieroſolymas ſolenni omnium applauſu ineuntis, Paſchate ſcilicet quarto, ſecundum Autorem noſtrum,
242. fuerunt geſta. *Primum* hujus *Sectionis* ſegmentum enarrat actiones Chriſti a feſto inde Paſchatos ad tabernaculorum usque dies feſtivos. Transfigurationem Chriſti ea de cauſa fuiſſe factam, ait, quo diſcipuli, glorioſam hanc magiſtri ſpeciem intuentes, ab offendiculo, ex ſequenti paſſione arrepto, avocarentur, in abnegatione ſui & mundi confirmarentur, & ad virtutem excitarentur. Locus, ubi glorioſa Chriſti præſentia fuit exhibita, mons fuiſſe videtur Autori prope urbem
259. Cæſaream Philippi. *Alterum* ſegmentum in hac *Sectione* eas res recenſet, quæ in feſto tabernaculorum, & ex eo inde tempore usque ad encænia, in urbe Hieroſolymis fuerunt geſtæ, ubi in fronte *paginarum* pro VI eſt ponendus numerus Roma-

Digitized by Google

Romanus V. Succedit tertium ſegmentum, enarrationem rerum ab encæniis ad ſolennem usque in urbem Hierolymitanam ingreſſum continens. Cœcum illum hominem, ante ingreſſum in Jerichuntem urbem a Servatore ſanatum, non confundendum eſſe, Autor exiſtimat, cum duobus aliis, a Chriſto, exeunte urbem, curatis *Matth. XX, 30*, nec cum alio quodam, *Bartimæo* dicto *Marc. X. 46*, licet aliorum ſententiæ, conjunctam hic ſanationem ſtatuentium, non admodum refragari videatur. *Sexta* nunc ſequitur *Sectio*, ea complectens Chriſti fata, quæ in ultimo, ſeu quarto, Paſchate ipſi acciderunt, inde a tempore ingreſſus Hieroſolymitani, ad diem usque illum, quo in cœlos ſublimis abiit. Diverſæ, hic obviæ, res diverſis *ſegmentis* ab Autore diſcernuntur. *Prius ſegmentum* hiſtoriam tractat quinque dierum hebdomadis majoris, ut dicunt, vel res a Chriſto ab introitu urbis, ad initium usque paſſionis ſuæ, peractas, continet, ubi plurima cum *Bengelii*, Abbatis celeberrimi, harmonia conſpirant, præterea, quæ ad ordinem dierum ſpectant, & illa etiam, quæ diebus nonnullis diverſimode ab Autoribus attribuuntur. *Segmentum ſecundum* omnem paſſionis cruentæ Servatoris enarrationem conjungit atque exponit, in quatuor partes diviſam. In *tertia pericope* inſtituitur enarratio eorum, quæ facta ſunt poſt mortem Servatoris usque ad illius revocationem in vitam, die ſcilicet Veneris, tempore veſpertino, & die ſabbatico, cui additur *quartum* penſum hiſtoriæ reſurrectionis & adſcenſionis in cœlum, ubi Autor, quantum ex ordine enarrationis, ſecundum Evangelii præcones ab ipſo appoſitæ, apparet, novem Chriſti apparitiones commendat. Non eſt, cur per ſe laudabilem Clariſſimi Autoris operam, in concentu hiſtoriæ evangelicæ occupatam, multis modis extollamus. Illud egregium plane eſſe putamus, quod commodiſſima hoc libello occaſio ſuppeditetur, hiſtoriam æque, ac doctrinam, ab Evangeliſtis omnibus atque ſingulis prolatam, ex uſu Academico pertractandi, exponendi, illuſtrandi, atque conciliandi, dum tanta rerum hic animadvertitur ubertas, ut vix ullum dicendi argumentum in hoc genere deeſſe videatur.

Pag. 299. 332. 341. 399. 475. 485.

MUSEUM

Digitized by Google

MUSEUM HELVETICUM, AD JUVANDAS literas in publicos uſus apertum.

Tomi I Pars I--IV.

Tiguri, literis Conr. Orellii & Socii, 1746 & 1747, 8 maj. Alph. 1 plag. 22.

Lectio hujus libri facile unumquemque condocere poterit, omnino id præſtitiſſe Collectores præſtantiſſimos, quod in titulo promiſere. Laudanda non ſolum, ſed grato etiam animo a cunctis, qui literas amant, ſuſcipienda, videtur eorum opera, quam iterum juvandis literis adhibuerunt. Idem finis iis eſt propoſitus, qui in *Tempe Helvetica*, in qua continuanda nunc verſantur iidem ferme ſcriptores. Præfatio, particulæ *primæ* præmiſſa, de inſtituto eorum nos ſatis inſtruit. Vindicat hæcce titulum operis, & uſum ſcriptorum oſtendit, in quibus etiam *Miſcellanea Lipſienſia*, noviſſime inſtaurata, jure ſuo commemorantur. *Id præcipue agent*, liceat nobis verba eorum adhibere, *ut in hoc Muſeum congerant, quæcunque a doctis Helvetiæ civibus ad illuſtrandas varias eruditionis partes, ſuccincte quidem, ac cum cura aliqua, aut jam olim ſint conſcripta, quamvis typis aliquando fuerint multiplicata, modo ſint rarius obvia, nec facile parabilia, aut a ſui temporis ingeniis, - - indies elucubrentur, vel etiam interdum aliud quaſi agentibus excidant, & vel tanti non habeantur, ut, ſeorſim & peculiari aliquo libello comprehenſa, prelum exerceant, aut quibus, quanquam typis ſint exſcripta, proximum interitus periculum impendeat.* Exteram tamen cujuscunque Autoris Commentationem non reſpuunt. Præcipuam rationem, licet reliqua non excludi velint, habebunt eorum, quæ ad Criticam, Exegeſin, Hiſtoriam, patriam inprimis, ſacram, civilem, philoſophicam, & literariam, pertinent illuſtrandam. Doctorum virorum vitis Muſeum ſe exornaturos, promittunt. Quatuor quotannis particulas, quarum ſingulæ decem ad minimum folia compleant, publicæ luci exhibebunt. Singulis particulis, quæ diviſis temporibus lucem adſpicient, nova litera-

literaria *Helvetica* ſubjicientur, quæ Academiarum, Gymnaſiorum, ac Scholarum, ſtatum & conditionem, doctorum in illis ſucceſſionem, eruditorum conatus & conſilia, libros etiam recens in *Helvetia* editos, diligenter percenſeant. Judicium adhibebunt in colligendo, omnia erunt argumenti non vulgaris, diligenter, nec indocte, ſcripta, rarius obvia, talia, quæ ſcripſiſſe homines, in literarum ſtudiis verſantes, minime pœniteat. Quæ cum promittunt Autores, miramur, cur iisdem plane verbis promittant, quibus uſus eſt olim *Menckenius* noſter in Præfatione, *primæ Parti Miſcellaneorum Lipſienſium Novorum* præmiſſa; cui Præfationi, etſi haud indicatæ ab Autoribus, hoc ipſo plus habetur honoris, quam ei habendum fuiſſe, ipſe ejus Autor agnoſcit. Data eſt hæc, *Muſeo Helvetico* præmiſſa, Præfatio d. 9 Calend. Aprilis A. 1746, quam de induſtria paulo uberius excerpſimus, ut partim exinde appareat, quo modo verſati fuerint Autores Celeberrimi, partim ut aliis quoque exemplo inſervire poſſit, qui ad ſimile opus animum appellere velint. *Tres Tomos* in lucem prodiiſſe publicam, novimus. Ne tamen vel Lectoris patientia abutamur, vel copia dicendorum obruamur, conſilium cepimus, de ſingulis ſigillatim ea, quæ poterit fieri, brevitate dicendi.

Ad *primum Tomum* accedentibus, in *prima* ejus *Parte ſex* ſe offerunt Specimina, ordine & eruditionis inſigni apparatu ſe commendantia. Occurrit 1) *Lucii Candidi, Helvetii, Meditatio de eo, quod nimium eſt in ſtudio literis inclareſcendi, ad Dan. Lavaterum, Philoſ. in Gymnaſ. Tigurino Prof. Canonicorum Capituli Decanum, Pars prior*, e MSto. Cum infra *Pars poſterior* Pag. 1 - 48. 169 - 209.
e eodem argumento legatur, nos non incongrue acturos putamus, ſi filum perſequamur inceptum, & una fidelia, quod in proverbio dici ſolet, duos dealbemus parietes. Ad rem ipſam accedimus, quando de nomine Autoris, utrum verum ſit, an fictum, nil indagare nobis licuit. Ordinem memorandum putamus, quem ipſe *Lucius* amico ſuo proponit. Oſtendit, ſtudium inclareſcendi literis quodam reſpectu non ſolum eſſe licitum, ſed & laudabile. Monſtrat, quatenus idem vituperandum ſit, commemoratis ſimul vitiis, quæ ſtudium hoc

Digitized by Google

comitari ſolent. Fontes hujus mali detegit. Cauſas adducit, quæ homines ſanæ mentis impedire debent, quo minus in hoc vitium præcipites ruant. Remedia denique quædam ſuppeditat, quæ morbo huic, ſi non ſanando, minuendo tamen, ex parte inſervire poſſunt. Argumenta membri primi viſa nobis ſunt ſufficientia, & concatenato nexu inter ſe cohærentia; bene hic diſtinguit Autor, & bene docet. Vivis deinde coloribus vanos depingit homines, de quibus ſermonem inſtituit. Optaremus, ut noſtris in oris ſibi hoc dictum putent, qui orbi erudito ſuos libellos obtrudere ſolent, quibus facillime & ſine damno carere poteramus. Candide *Candidus* noſter in toto Specimine cogitata ſua impertitur. De fontibus ſincere loquitur, incommoda aperte indicat, & mala, quæ inde derivantur, commonſtrat. Remedia præſentiſſima afferuntur. Cuncta luculenter ſunt indicata, & exemplis, ad rem facientibus, propoſitam, rite illuſtrata, quin etiam doctiſſimorum virorum teſtimoniis, idem ſentientium, illuſtrata. Totum hoc ſcriptum judicium exactum & eruditionem inſignem ſpirat.

Pag. 49-79. 2) *Faſciculus Epiſtolarum Gisberti Cuperi ad Marquardum Wildium, Reipublicæ Bern. Ducentumvirum, quibus variis antiquis marmoribus, in Helvetica erutis, lux affunditur.* Nunc primum e MStis eduntur. Cui non ignotum eſt *Cuperianum* nomen, (& quem, quæſumus, inter eruditos illud fugiet?) ille gratias de editione Epiſtolarum Clariſſ. Editori habebit, qui nobis videtur eſſe *Jo. Georg. Altmannus*, notasque doctiſſimas adjecit, & ſub literis *J. G. A.* latere voluit. Occaſionem ſcribendi has Epiſtolas dedit, referente Editore, monachus *Dunod*, aut *Dunod*, dictus, qui dedit: *La decouverte de la ville d'Antre en Franche-Comté, 1710. Wildius* Apologiam ſcripſit, qui has *Cuperianas* Epiſtolas etiam ad Editorem transmiſit. Quinque ſunt numero, quarum argumentum enarrare, fas eſt, ob doctrinam, quam oſtendunt. Cunctarum eſt ſcopus, Aventicum vindicare Helvetiis. *Epiſtola I* explicatur Inſcriptio Aventicenſis de *Julia Alpinula*, quam *Cuperus* putat filiam *Julii Alpini*, quem ſuſtulit *Cæcinna*. Quid ſint milites Niliaci, exponitur. Alia dein-

Digitized by Google

deinde InſcriptioAventicenſis explicatur, in qua Aventicum Helvetiorum fœderata vocatur Romanis. *Communis* ſæpe eſt nomen proprium, quod exemplis probatur. *Epiſtola II* de arte proſaria fuſius diſputat *Cuperus*. Mercator proſarius idem, qui togas plexas, nulla futura conſtantes, vendebat. De Utriculariis diſſeritur. Qui apud Romanos honorati fuerint vocati, exponitur. Quid ſibi voluerit formula, *ominis cauſa*, docetur. Multa alia carptim eruuntur. *Epiſtola III* de Avanticis, Galliæ Narbonenſis incolis, diſſeritur, & probatur, eos non confundendos eſſe cum Aventicenſibus Helvetiis. *Epiſtola IV Wildius*, ad *Cuperum* ſcribens, & argumenta pro antiquitate & γνησιότητι Aventici Helvetiorum adducit, & contraria diluit. *Epiſtola V* de *Metello* Macedonico diſſerit *Cuperus*, iterum de militibus Niliacis agens. Antiquus lapis de numinibus Augg. illuſtratur. Quæ hæc numina fuerint, declaratur. Conjectura de Pomona affertur. Quid ſit clauſura ferrei oſtii, docetur. De colonia Pia *Flavia* brevibus agitur. Non ſolum iis, qui patriæ hiſtoriæ in Helvetia vacant, ſed & aliis antiquitatum ſcrutatoribus, egregie inſervient hæ Epiſtolæ, diligenter & accurate ſcriptæ. Nil magis in optatis habemus, quam ut plures *Cuperi* Epiſtolæ, ſi quæ forte inveniantur, prodeant, ſicut nonnullas, egregias plane, *Menckenius* noſter ſuis *Miſcellaneis* inſeruit.

3) *Vita Jo. Grynæi, S. Theol. Doct. & Profeſſ. in Baſil. Acad. deſignata a Jo. Lud. Frey, itidem S. Theol. Doct. & Profeſſ.* Operæ pretium nos omnino facturos putamus, ſi memoriam, hic conſervatam, in compendium redactam exhibeamus. Natus fuit *Grynæus* die 8 Junii A. 1705 in extremo agri Baſileenſis pago Leuffelfinga, patre *Samuele*, tunc Leuffelfingenſis, antea Langebruckenſis, Eccleſiæ Paſtore, & Decano Capituli Homburgenſis ac Waldenburgenſis, matre *Anna Catharina Feſchia*. A. 1717 ad lectiones publicas admiſſus, A. 1718 primæ laureæ gradum, A. 1720 liberalium artium magiſterii honorem, eſt adeptus. Tunc ſtudium Juris elegit, unde A. 1724, defendens Theſes juridicas, quas exhibet *Frey* in Sylloge opuſculorum, poſt mortem *Grynæi* editorum, licentiam ſummorum in utroque Jure honorum petendorum conſecutus eſt. Inſtructus antea

Pag. 80-102.

166.

Digitized by Google

antea linguis orientalibus, in quibus perdiſcendis opera *Freyi* uſus eſt, & naturali etiam propenſione motus, A. 1731 a *Themide* ad *Euſebien* tranſiit, & multum omnino profecit, non penitus tamen neglectis ſtudiis philoſophicis & philologicis. A. 1727, 1731, & 1733. pro cathedra Theſes Philoſophiæ moralis, Logices, & Hebrææ linguæ, defendit, quas omnes exhibet dicta Sylloge. Annum 1728 itineribus nonnullis conſumſit. A. 1738 Doctor creatus fuit, & munus demandatum ſibi controverſiarum & locorum communium more ſueto adiit. A. 1740, *Sam. Werenfelſio* defuncto, Profeſſio Novi Teſt. cum annexo officio Canonici Petrini, ad *Gryneum* delata eſt, qui lectionem inauguralem publice habuit, quam reperimus in *Tempe Helvetica Tom. VI pag. 460-486*, repetitam a *Freyo* in Sylloga ſæpius commemorata. Aliis etiam muneribus functus eſt, v. c. Judicis in Conſiſtorio, adminiſtratoris fiſci, cet. A. 1738 in ſenatum Academicum receptus, & A. 1742 Rector Academiæ electus fuit. Obiit A. 1744 d. 11 Aprilis, anno autem ætatis
Pag. 165. 39. Non injucundum fore putamus, ſi obſervaverimus, poſt obitum *Grynæi* placuiſſe *Jo. Balth. Burcardo*, S. Theol. Doctori, cathedram Loc. comm. & controv. theol. cum Profeſſione Novi Teſt. commutare. 4) *Ἀνέκδοτα ſcri-*
103-132. *ptorum Jo. Grynæi, hactenus fere inedita: 1) Animadverſiones ad Reimannum de Atheiſmo Mahomedanorum; 2) Diſquiſitio epiſtolica, an Mahomed impoſtor fuerit, an fanaticus.* Notas adjecit *J. Z.* id eſt, *Jac. Zimmermannus*. Rogarat hic defunctum, ut ſua de Mahumedanorum atheiſmo cogitata ſecum communicaret, qui, deſiderio ejus ſatisfacturus, has ſtricturas in Clariſſ. *Reimanni* Hiſtoriam de Atheiſmo Mahumedanorum ei tranſmiſit. Cogitarat *Zimmermannus* vindicare viros doctos ab atheiſmi ſuſpicione, quam ob rem etiam conſpectum operis, quod nos obſervamus, in *Tempe Helvet. Tom. II pag. 127 - 133* inſeri voluit. Obſervationes ad *Reimannum* ſunt de Abu-Moslemo, de Zindikæis, de ſecta lo-

quen-

quentium, de *Debareo*, de *Deberitis*, *Averroe*, & *Avenpace*. Alterum opuſculum jam antea evulgarat *Zimmermannus* in *P. III Diſſert.* ſuarum de Cauſis incredulitatis. Illud ſaltem monuiſſe ſatis erit, bene reſpondiſſe *Grynæum* ad quæſtiones, ſibi propoſitas, alteram, an ex vita *Mahumedis* ſatis perſpicue pateat, eum potius verſutum impoſtorem, & gloriæ cupidum, fuiſſe, quam vere fanaticum; alteram, an non ex ipſo Alcorano manifeſtum ſit, *Mahumedem* more increduli recepto dogmata creditu digniſſima rejeciſſe, contra vero ſententiis ſubſcripſiſſe, quæ cum veritate & evidentia dogmatum Chriſtianæ religionis, quæ aſpernatus eſt, nulla ratione conferri poſſint. Interim prodit doctrinam Arabicam, a *Freyo* laudatam. 5) *Jo. Conr. Geſneri Epiſtola ad Jac.* Pag. 133 - 150.
Dalechampium, de conſtantia in fide adverſus apoſtaſiam. E MSto prodit. Continet hæc Epiſtola egregia ac ſalutaria conſilia, atque argumenta commoventia; quam tamen diſſuaſoriam nihil profeciſſe, dolendum omnino eſt. Debetur hoc anecdotum *Jo. Jac. Huldrico*, Profeſſori in Collegio humanitatis, ut patet ex nota *J. B.* qui etiam, datam eam fuiſſe, monet, d. 8 Januarii A. 1562. 6) *Brevis bio-* 151 - 156.
graphia Jo. Henr. Ringierii, S. Theol. in Acad. Bern. Profeſſ. Primarii, excerpta ex Oratione panegyrica. Natus A. 1668, patrem nactus eſt *Jo. Henricum*, Eccleſiæ Mathisvillanæ miniſtrum, matrem vero *Strauſſiam*. A patre inſtitutus, in ſcholam Tobinienſem miſſus, aliquam Latinæ linguæ facultatem ſibi comparavit. A. 1681 Bernenſium civium numero adſcriptus, linguas curatius, Philoſophiam, & Theologiam, coluit. Dum A. 691 manuum impoſitione facultatem fungendi munere ſacri miniſterii evangelici accepiſſet, per biennium fere inter Ordinum Hollandiæ cohortes verbum divinum annuntiavit. Groningæ, Franeckeræ, Londini, Oxonii, munere relicto, didicit. Poſt iterum inter Hollandiæ cohortes docuit. Redux abiit Lutetias Pariſiorum, Lugdunum, & Genevam. Iterum patriæ tandem redditus, ad munus eccleſiaſticum Zimmervaldiam vocatur. Junxit ſibi thori ſociam *Salomen Fellenbergiam*, Du-

centum-viri reipublicæ, ac præfecti Frauenbrunnenſis, filiam. A. 1715 munus Profeſſoris Linguæ Græcæ & Ethices ei demandatur, A. 1718 in cathedram Theologiæ catecheticæ, A. 1710 elenchticæ, & A. 1735 didacticæ, ſucceſſit. Obiit A. 1745 d. 10 Maji, anno ætatis 77. Diſſertationes ejus *Tempe Helveticæ* inſertas eſſe, monetur. Nos in gratiam Lectorum addimus, eam, quam de conſenſu Proteſtantium in doctrina de prædeſtinatione ſcripſit, legi *Tom. II pag. 378*, eam, quæ eſt de fontibus errorum, &c. *Tomo IV pag. 207 ſeq.*

Pag. 169-209. 210-236. Pergimus ad *Partem ſecundam*, cujus & ipſius *ſex* ſunt Specimina. *Primo* exhibet nobis *Lucius Candidus poſteriorem Meditationis* ſuæ *Partem*, de qua ſupra diximus. Accedimus ad 2), ubi legitur *Vita Dav. Conſtantii, quondam in Academia Lauſannenſi Profeſſ. Theol.* Indicat *Jac. Zimmermannus*, qui etiam hinc inde animadverſiones addidit, repetitam eam eſſe ex Oratione funebri, a *Jo. Jac. Salchlino* habita. Non nudam duntaxat narrationem, ſed & practicam ſimul, & eruditas obſervationes, continet. Natus eſt noſter in civitate Lauſannenſi A. 1638 d. 16 Martii. De hac quædam afferuntur. Oriundus fuit ex nobili proſapia. De proavo ejus ſingularia commemorantur. Patrem habuit *Philibertum*, matrem *Juditham Girard de Bergerier*, filiam Profeſſ. Theol. ac Ling. Hebr. Bernenſem primum Academiam viſitavit, ſæpius etiam Marpurgenſem. Groningæ pedem fixit. In templo Gallico ſe peritum oratorem ſacrum præbuit. Cura eccleſiæ Leuwardenſis ei offerebatur, aſt eam recuſavit. Lugduni Batavorum commoratus, Lutetiam Pariſiorum ſe contulit. Copeti eccleſia ei tradebatur, nec ab eccleſia Lumigenſi in Gallia ſe revocari paſſus eſt. Thori ſociam elegit ſibi *Mariam Colladon*, Syndici primarii Genevenſium filiam. Literæ, quæ ad humanitatem ducunt, inprimis Noſtro in deliciis fuerunt. Amicitia ei cum *Baylio* interceſſit. A magiſtratu Bernenſi Collegio Lauſannenſi noſter præpoſitus fuit. Linguam Græcam & Philoſophiam moralem in hac Academia publice docuit. Plurimas Diſſertationes eruditorum examini, & libros judicio eorum, ſubjecit, Orationes item ſacras edidit. Ineunte hoc Seculo, ad cathedram theologicam

Digitized by Google

am vocatus eſt. A. 1726, ætatis ejus 89, ſuffectus ei fuit *'alchlinus*. Non otioſus tamen fuit. Obiit d. 27 Febr. A. 1733, ætatis 95, exceptis 17 diebus. Pluries Rectoris magnifici munere functus eſt. Omnes fere miniſtri Evangelici diſcipuli ejus fuerunt. 3) *Commentatio ſubſeciva de Fama memorabili regis x Oriente venturi, circa ipſa nativitatis Chriſti tempora, toto rbe percrebreſcente, Triumviris illuſtribus, Joſepho, Suetonio, Tacito, commemorata.* Autor hujus commentatiunculæ, quod *Jac. Zimmermannus* ſubjicit, eſt *Jo. Georg Albrecht*, Gymnaſ. Traj. ad Mœnum Conrector. Loca ſcriptorum fere συγχρόνων hæc ſunt: *Joſephus de bello Jud. VII, 31, Suetonius* in *Veſpaſ. Cap. 8, Tacitus Hiſt. Lib. V Cap. 2.* Conſenſus triumvirorum rgumento eſt Viro Præclariſſimo, eos vel ex ipſis ſacris literis iarrationem deſcripſiſſe, vel potius famam ipſam, ut toto orbe iſſipata manavit, ſecundum omnem ſuam complexionem epetiiſſe. Hanc famam vult diverſos pro præjudiciis ſuis ad e traxiſſe, Judæos pro opinione ſua de regno mundano Meſſiæ ratos eſſe, eam ad ſe ſpectare, gentiles autem eandem d diverſos reges & principes retuliſſe. Multi, *Auguſtum* deſignari, putarunt. Plerique, de *Tito* & *Veſpaſiano* hoc prædictum eſſe, putarunt. Chriſtiani vero ſcriptores meliori jure, de Chriſto id prædictum eſſe, judicarunt. Ad originem famæ progrediens *Albrechtus*, illorum opinionem rejicit, qui ex oraculis Sibyllinis eam derivare cogitant, vel notiſſimam illam quartam Eclogam *Virgilii* huc trahunt. Oracula de ege venturo, paſſim jactata, ab hac fama diſtinguenda, cenſet. Aliis viſum eſt originem ex ipſis Prophetarum fontibus repetere; diſſentientibus tamen, ex quo in ſpecie oraculo ſit devanda, concedit Cl. Autor, oracula divina, quibus Rex Meſſiæ venturus prædicitur, anſam famæ toto Oriente percreſcenti dediſſe, non vult autem, in uno ſingulari reſponſo divino originem quæri debere. Inquirit in rationem, cur illo potiſſimum tempore fama diſſeminata fuerit, hancque in perſuaſione omnium Judæorum, regem Meſſiam mox appariturum, ſe invenire, credit. Monſtratur denique, quantum hæc fama ad veritatem religionis Chriſtianæ ſtabiliendam faciat.

Pag. 237-248

Pag.249-281. ciat. 4) *Oratio funebris, Ge. Marothi, in Collegio Debrecinenſi Eloq. Hiſt. & Matheſ. Profeſſ. Publ. Ordin. habita a Sam. Szilagy, Phil. & Ling. Græc. Profeſſ. Ordin. ipſis idibus Juniis A. 1745*, e MSto edita. Præmiſit J. B. epiphonema *Steph. Hatthuani de Halthuan*, nobilis Hungari, ad Helvetios. Ita enim nomen ejus ſubſcriptum docet, qui & notas, ubi neceſſarium viſum, Orationi adjecit. Natus fuit *Marothi* in Hungaria. Patre uſus eſt *Georgio*, Conſule civitatis, a quo etiam inſtitutus fuit. Vixdum poſita prætexta, ad acroaſes publicas theologicas & philoſophicas admittebatur, A. 1731 in exteras Academias mittendus, antea Germanicam linguam familiarem ſibi reddidit. In Helvetia primum Tigurinam, dein Bernenſem, mox Baſileenſem, Academiam petiit. Ad Hiſtor. Eloq. & Matheſ. Profeſſionem invitatus, in Belgio ſtudia ſua perfecit, inprimis Grœningæ. Patriæ redditus, munus ſibi demandatum A. 1738 ipſis Calendis Aprilibus adiit. Sæpius pro roſtris dixit. Laudatur ab omnigena eruditione, qua fuit inſtructus. Primus literas Græcas ex exilio revocavit. Primus Geographiam univerſam, Græcam ac Romanam Archæologiam, expoſuit. Primus mathematicis diſciplinis juventutem imbuit. Primus Muſicam ſacram, veramque canendi rationem, oſtendit. Primus repurgatam a nugis & fabulis philoſophandi rationem demonſtravit. Primus libris optimis Bibliothecam publicam ornavit. Virtutibus inſignis in civili vita. Conjux ei fuit *Cath. Szœdi*, antiſtitis filia. Obiit die 16 Octobris, annos natus 29, menſes 8, dies 5. Subjun

281 - 311. guntur Epigrammata *Hatthuani*. 5) *Jo. Henr. Hottingeri, S. Theol. Doct. & Profeſſ. in Academ. Heidelb. Exercitationes rituales, quarum prior argumentis adſtruit, originem ſacrificiorum patriarchalium divinam eſſe, & dependere a precepto divino; altera vero contraria ſolvit argumenta*, Sunt hæ Exercitationes, id quod in titulo annotatur, A. 1706 Marburgi habitæ, nunc vero recuſæ, & curis poſterio

341 - 354. ribus mutatæ & emendatæ. Prior hoc loco, altera infra, exhibetur, de quibus tamen junctim & breviter dicemus. Ad

ductis

Digitized by Google

ductis iis, qui ſacrificia divina negarunt, &, poſtquam probavit Vir Ven., rem non exigui eſſe momenti, ſtatum controverſiæ, uti vocant, format, & theſin ſuam munit. Hunc tenet ordinem, ut primo proferat rationes, & tunc occurrat objectionibus. Rationes deducuntur partim ex clariſſimis Scripturæ teſtimoniis, quæ teſtantur, Patriarchas ante legem Deo præcipiente ſacrificaſſe, partim ex exemplis ſacrificantium, quæ evidentia continent argumenta, dictos Patriarchas non ex mero proprio voluntatis arbitrio ſacra obtuliſſe, partim ex argumentis, quæ Deum hujus cultus autorem declarant. Omnia Scripturæ loca adducta probe expenduntur, atque explicantur. Errorem deſtructurus, *Spencerum* præeuntem ſibi verba eligit, cujus argumenta ſingula proponit, & ad eadem accurate reſpondet. *6) Diſſ. epiſtolica in 1 Theſſ. V, 23, de ὁλοκλήρῳ, & tribus hominis cœlitus renati partibus eſſentialibus, ad A. Z.* Anonymus inſurgit contra libellum Anonymi, Germanice ſub hoc titulo editum: *Das wahre Loos eines wahren Glaubigen, Geiſt, Seele, und Leib, oder evangeliſcher Beweis, daſs ein Wiedergebohrner beſtehe aus Geiſt, Seele, und Leib, aufgeſetzt zum Beſten deren, die mit Wahrheit ſagen wollen, das Loos iſt mir gefallen aufs lieblichſte, mir iſt ein herrlich Erbtheil worden. Baſel, 1746, 8.* Defendit primum Anonymum, dein vero errores ejus aperiuntur. In loco citato ſubjectum Anonymo ſunt fideles, id quod probatur & adſtruitur. Objectum primarium gratiæ confirmantis in genere eſt ei ὁλόκληρον ὑμῶν, & deinde quaſi per partes per τὸ πνεῦμα, ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα deſignatur ac repræſentatur. Per ὁλόκληρον Theſſalonicenſium Anonymus intelligit totam hominis renati ſortem, vel poſſeſſionem, cujus totidem quaſi partes, ſeu ſpecies, ſint, τὸ πνεῦμα ſcil. ſpiritus Chriſti in regenitis habitans, ἡ ψυχὴ anima cum ſuis facultatibus & viribus, quatenus nunc Spiritui S. parent, & denique τὸ σῶμα, corpus. Rejectis aliorum ſententiis, mentem ſuam Anonymus noſter aperit, quæ hæc eſt, πνεῦμα eſſe intellectum, conſcientiam, ſuperiorem animæ facultatem, qua ſapimus & intelligimus, quæ mens vocari ſolet, Pag. 312-323.

ψυχὴν autem inferiores facultates, quas cum brutis communes habemus. Hanc ſententiam cum uſu loquendi communi convenire, ex variis ſcriptorum veterum locis adductis larga manu evictum datur. Judicium de eodem hoc libro affertur,
Pag. 335. ubi *Jo. Henr. Hottingerus* libelli ſermone vernaculo conſcri-
353-373. pti Autor dicitur. Interim *Anonymi reſponſoria ad innominatum Autorem Diſſertationis* hujus leguntur, de quibus ſufficiat monuiſſe, perpetuas annotationes & vindicias eſſe iisdem ſubjectas.
355-373. *Pars III* Specimina *quinque* complectitur. Miſſo *primo*, de quo jam dictum, ad *ſecundum* convertimur, nimirum ad *Jo. Balth. Burchardi, S. Theol. & Nov. Teſt. Profeſſ. Ordin. in Acad. Baſil. Orationem de criminibus, Joſepho Patriarcha a Morgano impactis*, e MSto. Dicta eſt hæcce ſub initio muneris Rectoralis d. 21 Junii A. 1746. Notus eſt calumniator audaciſſimus *Thom. Morganus*, cujus tela retuderunt noſtratium plurimi. Interim notitiam hujus litis ſuppeditat *Jac. Zimmermannus*. Id, quod in diſceptationem venit, hoc modo commemoratur a *Morgano*. *Joſephus*, a *Pharaone* Ægypto præfectus, in eo ſtatim omnes cogitationes & curas defixit, ut ſeptem prioribus annis fertiliſſimis frumentum omne, quacunque demum ratione coacervatum, horreis regiis inferret, non alia id lege, ſubſecuta ſeptem annorum fame, Ægyptiis redditurum, quam ut auri primum, argentive, tum pecoris atque agrorum, tandem ipſius etiam libertatis, jacturam facerent, quod facinus ipſi a tyrannide & oppreſſione libertatis parum abeſſe videtur. Recenſet *Burchardus* hanc ſententiam *Morgani* ex hiſtoria mundi univerſali, a *Baumgartenio* notis illuſtrata. Duo igitur feliciter expedit Vir. Venerandus, alterum, ut, qualecunque tandem hoc factum ſtatuatur, nihil tamen præſidii cauſæ Antiſcripturariorum, qui quavis ratione S. Scripturæ autoritatem elevare conantur, accedere demonſtret, alterum, ut in ſpecie, *Joſephum* nihil in omni hac re feciſſe, evincat, quod cum lege juſtitiæ, æquitatis, & ſanctitatis, non ad
374-439. amuſſim conveniat. 3) *Jac. Zimmermanni Diſſ. de Theologia M. T. Ciceronis*, e MSto. Plurimis allatis, ad *Ciceronem* ſpectantibus, inprimis de Philoſophia ejus, ex ipſius collectis teſti-

teſtimoniis, tandem ad caput cauſæ accedit Vir Celeberrimus. Inquiſiturus, utrum *Cicero* Atheus & omnis religionis irriſor & hoſtis fuerit, quod viri docti credidere, quorum catalogus texitur, præmittit quædam monita ſaluberrima, hic probe obſervanda. Cuncta, ex ipſius *Ciceronis* locis deducta, evidentiſſimum præbent teſtimonium, Clariſſ. Autorem manu diurna ac nocturna verſaſſe *Ciceronem*. Probatur, *Ciceronem* admiſiſſe Deum, providentiam in dubium non vocaſſe, leges naturales agnoviſſe, ſententiam de immortalitate animæ inter ea retuliſſe, quæ maxime probabilia, & rationi quam maxime conſentanea, ſint. Ne quid autem prætermitteretur, argumenta expenduntur virorum doctiſſimorum, qui atheiſmi ſuſpectum *Ciceronem* reddiderant. 4) *Jo. Jac. Breitingeri Oratio, qua adiit literaturæ Græcæ Profeſſionem Publicam, de præcipuis cauſis, propter quas Græcarum literarum ſtudium tantopere inter nos refrigeſcat*, e MSto. Dicta eſt hæc Oratio ſolenni feria, qua Protomartyrum, ſeu verorum, ſeu falſorum, S. *Felicis* & S. *Regulæ*, memoria, eccleſiæ Tigurinæ ſacra, annua celebritate renovatur. Succeſſit *Breitingerus Jo. Henr. Hirzelio*, illius vero Profeſſio ad hujus filium, Profeſſorem Eloq. & Hiſt. Eccl., delata eſt. Duo agit *Breitingerus*, alterum, ut argumentum explicet & probet, alterum, ut vitam *Hirzelii* commemoret. Acerbas movet de neglectu linguæ Græcæ querelas, & non poſſumus non noſtras cum iisdem jungere. Laudatur fuſius utilitas & neceſſitas linguæ Græcæ. Quod eam ob cauſam factum, quia neglectus ex defectu perſuaſionis utilitatis oriri ſolet. Conqueritur, multos ad res omnes Græcorum pernoſcendas ſatis præſidii atque adjumenti collocare in verſionibus Latinis. Hinc illæ lachrymæ! Alia neglectus eſt cauſa raritas & pretium librorum Græcorum. Demum cauſam a primæ inſtitutionis nimia difficultate, &, uti loquitur, prolixitate, arceſſit. Vita vero *Hirzelii* repetitur e biographia, ab ipſo viro Clariſſ. conſcripta. Natus eſt Tiguri d. 19 Calend. Sept. A. 1679, patre *Salomone*, matre *Anna Maria Reutlingeria*. Scholæ patriæ datus, privatim inſtitutus eſt a fratribus *Reutlingeris*. Animus quidem illius ad

Pag. 440-480.

1572

mercaturam, vel militiam, propendit, quem tamen mutavit, & ſe Theologiæ dicavit. Hanoviæ & Bremæ didicit, & Amſtelodamum conceſſit. In Franequeranam Academiam, & A. 1704 Lugdunenſem, abiit. Per Germaniam domum rediit. Per χειροθεσίαν ſacro ordini adſcriptus, Commentationem ſynodalem defendit. Tradita ei Profeſſio linguæ Hebrææ in Collegio humanitatis, quam Oratione auſpicatus eſt. Matrimonium iniit cum *Dorothea Friſia*, Linguarum Profeſſoris in dicto Collegio filia A. 1710 ſocer inſtitutiones in lingua Latina & Poeſi huic tradidit. A. 1711, *Toggiorum* cum Abbate Sancti Galli diſcordia orta, ſacrorum partes in caſtris ad eum delatæ ſunt. A. 1718 ſocero defuncto ſucceſſit. A. 1731 *J. C. Hofmeiſtero*, Profeſſ. ling. Græcæ, cui antea vicariam præſtiterat operam, ſurrogatus eſt. A. 1732 ad ipſum munus acceſſit. Obiit A. 1746 d. 5 non. Julii, annos natus 63, exceptis

Pag. 480-514. 12 diebus. *5) Senſus J. J. Zimmermanni de vero & legitimo uſu S. Cœnæ, & conſenſus cum eccleſia & majorum doctrina, expoſitus a J. J. Breitingero.* Meditatio ſacra, complectens ſalutaria quædam monita, ad verum & legitimum uſum Scripturæ S. pertinentia, Pars prior, Præf. *J. J. Zimmermanno*, Tiguri, 1736, 4. Falſa opinio dicitur, quaſi cum uſu externorum ſymbolorum phyſica & inſolita vis, quæ animas mira ratione paſcat, conjuncta ſit. Cautelas igitur *Zimmermannum* dediſſe, affertur, cujus Diſſertatio hic recenſetur. Ambiguas locutiones ferre non potuiſſe majores, refert Autor, & inprimis Confeſſionem, a *Bullingero* editam, adducit. Subjungit epiſtolam *Wolfg. Muſculi* ad eum. Conqueritur de incautis quorundam locutionibus. Cenſet autem, *Zimmermannum* ſentire cum majoribus, quorum loca cum ipſius Diſſertatione confert. *Bullingeri* Epiſtola ad *Phil. Melanchthonem* affertur ex ἀυτογράφῳ. De ſigilli voce inprimis diſputatur. Monitum quoque de hoc ſcripto infra legitur.

682. *Partis quartæ* Specimina *octo* ſunt: *1) Jo. Georgii Altmanni Exercitatio philologica de* πύλαις ᾅδου, *ad Matth.*

515-540. *XVI, 18.* Primum communis hujus loci interpretatio affer-

affertur, quæ dicit, ad portas judicii reſpici. Hæc examinatur, & objectiones quorundam virorum doctorum contra eandem afferuntur. Rejiciuntur aliæ opiniones dè morte, de portis caſtrorum. Autori ſic ſtatuere placuit, per πύλας ᾅδου intelligendam eſſe totius infernalis exercitus vim & machinationes. Probat ergo tria: 1) per portas apud ſcriptores ſacros & profanos intelligi integras civitates & imperia; 2) ᾅδης ex communi ſcriptorum ſenſu frequentiſſime denotare regnum tenebrarum & immundorum ſpirituum; 3) πύλας ᾅδου apud ſcriptores Græcos ſignificare carcerem animarum infelicium & dæmonum. Qui *Altmannum* novit, (notus autem eſt ex plurimis exegeticis ſcriptis & aliis, quorum index infra exhibetur denuo,) facillime judicare poterit, quam feliciter totum negotium expedierit. Coronidis loco *Diogenes Laertius Lib. VIII ſegm. 34* examinatur, ubi πύλαι ᾅδου exſtant, *Altmannus* vero ἀιδοῦς πύλας legit. Non inſolens enim monſtrat eſſe priſcis, cavitates corporis humani per canales deſinentes πύλας vocare. 2) *Epiſtola B. Rhenani ad Matthiam Erbium, Richenwillenſem, e MSto edita.* Hanç *Erbius* deſcribi, & ad *Henr. Bullingerum*, Eccleſiæ Tigurinæ antiſtitem, transmitti, curavit, adjectis literulis, quæ exhibentur. Agit *Rhenanus* de antiquitatibus urbis Argentariæ, de cujus etymo data hac occaſione plurima afferuntur notatu digna. De Lintienſibus etiam diſſeritur. Prætermittentes Specimen *tertium*, de quo jamjam diximus, ad *quartum* pergimus, *Jo. Balth. Burcardi, nunc S. S. Theol. Doct. & Profeſſ. in Acad. Baſil. de Aſſenſu Diſſ. philoſophicam.* Hæc, A. 1731, vacante cathedra Logica, ſpeciminis loco exhibita, repetita fuit. Præfatio præmiſſa, Philoſophiam eſſe practicam, docet, & dogmatis ſui uſum in Theologia, maxime in articulo de converſione hominis, oſtendit. Tractavit omnia methodo mathematica & ſcientifica, & rationem hujus rei adducit. Dum *Chriſt. Wolfii* ſcripta ubique citat, etiam, cur hoc factum ſit, declarat. Definit, quid ſit aſſentiri, fundamenti loco; quid appetitus pendulus, & quæ ſunt reliqua. Docet, in quibus rebus aſſenſus producatur. Omnem demonſtrationem divi-

Pag. 660.

541-552.

553-572.

573-626.

Digitized by Google

dit in oſtenſivam, ſeu, directam, & apogogicam, ſeu indirectam. De utriſque mentem ſuam ulterius explicat, &, per partes eundo, omnia exemplis ſtabilit, inprimis e Matheſi deſumtis. De utilitate & geneſi aſſenſus, de aſſenſu certo & probabili, diſſeritur. Monſtratur, quorum aſſenſus a voluntate, quorum ab appetitu, pendeat, unde hic oriatur, quomodo hoc præditus ſe gerat. Damna & remedia afferuntur. Cum his diutius immorari non liceat, omnia ſaltem optimo ordine demonſtrata eſſe, fatendum nobis
Pag. 627-640. omnino erit. 5) *Mantiſſa epiſtolica ad controverſiam de argumento Carteſii pro exiſtentia Dei.* Duas hic habemus epiſtolas de controverſia iſta, inter *Sam. Werenfelſium* & *Jo. Henr. Suicerum* agitata. Altera eſt *Gottb. Heideggeri* ad *Sam. Werenfelſium*, data Rorbaci in agro Tigurino A. 1700 d. 7 Martii, hujus ad illum Baſileæ die 3 Julii ejusdem anni data. Ulterius inſtruunt de controverſia iſta eum, qui præter ea,
641-644. quæ alibi exſtant, plura ſcire voluerit. 4) *Hiſtoria vitæ & obitus J. Rod. Salchlini, S. Theol. in Acad. Bern. Profeſſ. &*
337 coll. 663. *Coll. maj. Præp. delineata a J. G. A.* Autor eſt *J. G. Altmannus.* Mors ejus jam ſupra annuntiata fuerat. Fuit Helvetio-Zoffinganus, natus A. 1688 d. 30 Octobris, patre *Jo. Rodolpho*, claſſis Caſtrovillanæ in provincia Bernenſi Decano, Paſtore in pago Ruexau, matre *Barbara Deloſia*, filia *Abrahami*, Paſtoris tunc temporis in templo Bernenſi. A. 1702 ad publica auditoria fuit admiſſus. Inprimis theologicis ſtudiis, &, quæ ad illa viam muniunt, linguis, vacavit. A. 1713 itinera literaria in Galliam, Belgium, & Germaniam, ſuſcepit. A. 1715 Diſſertationem defendit, & ad miniſterium Caſtrenſe Friburgum in Briſgovia abiit. A. 1721 Profeſſor Græc. ling. & Ethices in Academia Bernenſi conſtitutus fuit. A. 1733 ad cathedram Hebræam & Catecheticam eſt promotus, & dein ad cathedram Theol. Elencticæ. Obiit A. 1746, 2 Junii. Succeſſor ei datus eſt *Dan. Wyttenbachius.* Scripta ejus repetuntur ex
645-648. *Tempe Helvetica*, quæ ſupplentur. 7) *Vita Sam. Battierii, Med. Doctoris, & Græcæ ling. Profeſſ. in Acad. Baſileenſi.* Debemus eam *J. C. Beckio*, Doct. Theol. in Acad. eadem.

Natus

Digitized by Google

Natus eſt A. 1663 Baſileæ. A. 1680 ad lectiones publicas fuit admiſſus. A. 1683 Magiſterii philoſophici gradum adſcendit. Medicinæ ſe dedit, non neglecta Philoſophia, Philologia, & Matheſi. A. 1600 (forte 1690) Doctor Medicinæ renuntiatus fuit. A 1696 in Galliam iter ſuſcepit, & Argentoratum abiit. A. 1704, d. 18 Febr. Græcam linguam in Academia Baſileenſi vicario nomine docere cœpit, quod docendi munus A. 1705 menſe Decembri ipſe ſuſcepit. A. 1711 in Academiam naturæ curioſorum ſub nomine *Erotiani* receptus fuit. A. 1711, 1721, & 1724, cathedram medicam ambiit. Rector Academiæ ſemel, Decanus Facultatis Philoſophicæ ſæpius, renuntiatus eſt. Scriptorum Catalogus ſubnectitur, & MSta adduntur. Obiit A. 1744, d. 23 Aprilis. 4) *Mich. Szathmari, Sen. S. Theol. & Ling. Hebr. Profeſſ. illuſtris Athenæi Patacenſis Rectoris, vitæ deſcriptio.* Pater fuit *Stephanus*, verbi divini miniſter Naſſovienſis, mater *Anna Bekeſi*. A. 1681 Albenſe in Tranſilvania Collegium ſtudiorum cauſa adiit. Talbyæ togatorum ſtudioſorum numero inſertus eſt. Jaurinenſium præceptor conſtitutus fuit. Caſſoviam ſe contulit ad perficiendum ſe in ſublimioribus ſtudiis. Pataeum Muſarum ſede tranſlata, illuc comitem ſe dedit. A. 1708 ad ſcholam oppidi Tokaium eſt arceſſitus. A. 1709 Franequeram conceſſit & Trajectum ad Rhenum. A. 1711 miniſter V. D. Tokaium vocatus fuit. A. 1716 Profeſſor Philoſ. in alma Julia deſignatus, ſed in pagum Carco, & Agropolin ad Maruſium, abire coactus eſt. Ibi A. 1718 etiam Theologiam tradidit. A. 1728 presbyterio Helveticæ Confeſſionis ab actis eſſe juſſus eſt. A. 1734 Patacum advolavit; & Collegium denuo regendum ſuſcepit. A. 1744, 4 Nonas Junii, anno ſesquidecimo Rectoratus, obiit. A. 1712 aſſociavit ſibi *Juditham Emberiam, Pauli Emberi & Margarethæ Martonſalis* natam, ex qua plurimos ſuſcepit liberos. Vir fuit virtutibus conſpicuus, & ſcriptis clarus.

Pag. 649-654.

LAPIDUM VETUSTORUM EPIGRAMMATA, ET Periculum Animadverſionum in aliquos claſſica Marmorum ſyntagmata, accurante CHRISTOPHORO SAXIO, A. M.

Lipſiæ,

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1749, 4.
Plag. 11.

Cohærent omnia in ambitu literarum, veluti perfecto quodam in ædificio; &, qui ſubinde minimum conferre videntur, permultum præſtant. Fallimur? At id ſingulatim Hiſtoria & ars critica, ſuos quaſi ad lapidicidas, ad marmorum, inquam, vetuſtorum exploratores & conjectores, accommodare poterit? Summi ſunt inter illos artifices ac magiſtri, *Gruteri*, *Reineſii*, *Sponii*, *Fabretti*, *Gudii*, *Muratorii*; qui vero, dum homines fuerunt, dumque vita brevis, ars eſt longa, ipſi fortaſſe agnoverunt olim, nihil ab ipſis humani alienum fuiſſe, adeoque fieri profecto potuiſſe, ut aut errarent, aut aliquid non obſervarent. Conjunctis eſt viribus nitendum, tantumque opus jam ſupplendum, jam corrigendum, ut aliquid numeris ſuis, quantum fieri poteſt, abſoluti naſcatur. Hoc igitur reſpectu neque Cl. *Saxii* laborem contemnemus, aliquin magni potius faciemus, cujus per aſpera niti virtus tentat, difficilia noſcens, quæ pulchra. Ejus rei tei teſtis eſt hæc Commentatio, non docte minus, quam eleganter, compoſita. Gratum ſe profitetur Autor antecedentibus, gratiam a ſuccedentibus meritus. Debere autem ſe plurimum agnoſcit *Car. Cluſio* (*de l'Eſ-*
Pag. 5. *cluſe*), Atrebati viro in Epigraphis deſcribendis ſubtiliter acuto & eleganti, qui obſervationes ſuas Inſcriptionibus *Smetianæ Lipſianæ*que farraginis addidit, cujus αὐτόγραφα Noſter, e *Burmanniano* Muſeo acceptum, conſuluit hic partim, partim excerpſit. Alterum invenit præſidium in Codice MSto Antiquitatum Mediolanenſium *Andr. Alciati*, quem olim P. *Burmannus* jure ſuo laudavit. Multum etiam præſti-
7. tit Inſcriptionum *Gruterianarum* theſaurus, *Petri Scriverii* doctiſſimis obſervationibus abunde locupletatus. Neque vero ex aliis tantum ſapuit, quin de ſuo ipſe conjungeret plurimum; conjunctis ita viribus tendens ad perfectionem. Nobis autem ſufficiet, vel per lancem aliquam ſaturam nonnihil indidem excerpſiſſe. Laudatur a Noſtro *Loyſii de Bechat*
12. epiſto-

epiſtolica Diſſertatio, quæ docuit Noſtrum, Virum egregium in epiſtolis ſuis de Sextumviratu Auguſtali accuratius expoſuiſſe: cujus ipſe ceteroquin de ſententiis non parum reprehendit. Præeunte *Antonio van Dale Diſſ. V Cap. 3 de ſtrategis ac* Pag. 29.
ſcribis Græcorum, obſervatur, ſtrategos eſſe dictos vel στρατηγοὺς ἐπὶ τῶν ὅπλων, vel Prætores ac ſummos civitatum magiſtratus. Memoratur, non ſine ratione *Lingenium* in *Opu-* 46.
ſcul. German. P. II n. 1 §. 4 pag. 65 timere, ne ſtatua *Herculis*, quam *Matthæus Gargonius* in vernacula *Walchrici Comitatus hiſtoria (Warcherſche Arkadia, te Leyden, 1715,) Parte I pag. 201*, ejusque fide *Keyslerus* in *Antiquit. Septentrion. & Celt. Sect. II Cap. 3 pag. 200*, lapidi *Herculis Maguſani* temere imponendam judicavit, e cerebro utriusque nata eſſe videatur. Agitur de Inſcriptione, quondam in muſeo *Smithi*, 48.
nunc in curia Neomagenſi, obvia, quam *Petrus Scriverius* in ſchedis ſuis curioſius ita diſtinxit:

M A T R O N I S
A V F A N I A B V S
T A L B I N I V S
I A N V A R I V S
S L M.

Apud *Gruterum pag. 90 n. 11* eſt AVFANIS MATRONIS & MATRIBVS. Eundem *Reineſianum* lapidem ediderunt *Sponius* in *Miſcell. erud. antiqu. Sect. III pag. 107* 49.
n. 81, *Smetius* in *Antiquit. Neomag. pag. 91*, item *Cuperus* in *Inſcript. & Marmoribus antiquis expoſ. & illuſtr.* poſt *Apotheoſin Homeri pag. 268*, & *Keyslerus Antiquit. ſept. & Celt. pag. 429 ſeq.* Eodem loco indicat Noſter, originationem topicæ Deæ *Nehalenniæ* pluribus inveſtigare velle, neſcire ſe, an hominis videatur eſſe abutentis otio & literis: neminem enim poſt *Reineſium* ad *Claſſ. I n. 184 pag. 191*, & *Epiſt. 36 ad Rupert. pag. 300 - 304*, *Sponium l. c. pag. 110*, *Altingium Notit. Germ. infer. pag. 101*, *Gudium Inſcript. Præf. Append.* aliosque viros doctos, a *Keyslero l. c. pag. 251 ſeq.* & *Fr. Heſſelio*

Digitized by Google

in *Append. Præf. ad Gud. Inſcript.* copioſe laudatos, vel novam ἐξήγησιν inſtituere auſurum, vel ſagacitatis fructum argutando captaturum. Interim paucis enuntiat, in mentem ipſi quæ venerunt. Diffiteri non poteſt, natam ſibi eſſe ſuſpicionem, e Græcorum νεὸς, novale, & ἀλωὴ, ager frumentarius, ortam eſſe vocem, præſertim cum ſint, qui ἁλωὰς ſpiritu denſo efferant, adeoque Deam *Nehalenniam* præſidem pinguium agrorum videri poſſe, utpote qui etiamnum in Zelandiæ regionibus eſſe fertiliſſimi putantur. Prævidet quidem, multos eam notationem tanquam Græcam eſſe damnaturos. Interim, Gallos uſum vitæ cultioris a Græcis, depoſita & manſuefacta barbarie, didiciſſe, contendit, Græcisque ſubinde literis uſos, *Cæſaris, Strabonis, Taciti*, teſtimoniis confirmat. Sumit igitur, nonnullos e colonis in Galliam Belgicam miſſos, qui, Græce periti, nomen & cultum Numinis docuerint vulgus. Nec quemquam moveri debere, putat, lapide *Tuitii*, prope Coloniam Agrippinam effoſſo, cum inſcriptione: DEAE NEHALEE, quoniam fieri potuerit, ut is, qui, egreſſus priſtinis ſedibus, aliud domicilium quæſierat, patria ſacra & topicum ſuum numen deſerere, nefas putarit. Ita
Pag. 50. tamen id omne, ut nihil ipſe definiat. Vel ex hoc uno ſpecimine ſatis apparere putamus, neque ingenium criticum Noſtro deeſſe, neque verecundiam, qua plures ſane ſui ordinis antecedit. Atque, iſta ſi cum reliquis illius dotibus conferantur, facile nobiscum boni omnes faventem ipſius conatibus apprecabuntur fortunam.

CHRISTOPHORI CELLARII COMPENDIUM ANtiquitatum Romanarum; nunc ex manuſcripto libro integrum editum, & annotationibus illuſtratum, a M. JO. ERN. IMMAN. WALCHIO.

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Orphanotrophei, 1748, 8. Alph. 1 plag. 20.

Non

Non magis idoneum editorem atque amplificatorem illud *Cellarii* Compendium accipere potuiſſet, quam hunc paternarum virtutum æmulum maxime ſtrenuum, Clariſſ. ***Walchium***, aſſiduis ſtudiis & literariis itineribus non ſolum rite præparatum, ſed ita quoque imbutum, ut ad perfectionem vix quidquam deſideres. Certe, ut ***Ancherſeniana*** editio deſcriptione urbis Romanæ, quæ hic abeſt, prærogativam meretur, ita plurimis in momentis hæc illam præſtat. Novo ſane habitu hic apparet commendatiſſimus libellus, cumque deeſſet initio de ſacris Romanorum Caput, a *Freyero* adjectum, hæc eadem pars nunc auctior multo comparet, ac *duodeviginti Capita* complectitur. Diverſitas autem exemplarium inde præſertim nata eſt, quod beatus ille *Cellarius* in ſcholis ſuis antiquitates Romanas jam aliquoties enarravit, ac diverſam illas explicandi rationem iniit. Tradidit illas nonnullis Jurisprudentiæ cultoribus, eo conſilio, ut legum ſcientiam adjuvaret, ideoque veteres Jureconſultos, tanquam teſtes, non ſemel excitavit, de antiquitatibus ſacris tacuit. Aliis temporibus atque auditoribus, aliam quoque viam elegit, ut ſemper ſe ad captum & conditionem prudentiſſime accommodaret. Noſter codicem uberrimum & maxime conſummatum accepit, neque ſolum typis exſcribendum dedit, verum etiam obſervationibus illuſtravit, breviter dicta diſtinctius explicuit ac probavit, omiſſa ſupplevit, confuſa ordinavit, plura legere cupientibus neceſſaria recentiorum præcipue ſcriptorum nomina & ſcripta ubique adjecit, neque minus, ante copioſiſſimum Indicem, quinque Appendices ſubjunxit, notatu ſane digniſſimas. Primam quidem de aſſe Romanorum, atque alteram de nominibus Romanorum, jam addiderat *Freyerus*, tertiam de conviviis illorum huc ex *Juſto Lipſio* transtulit, quartam vero de vita domeſtica Romanorum, & quintam de ædificiis ac ſupellectile, lucubravit ipſe, dum fere ſicco pede res illas præterierat Autor. Sed nominatim e. g. ſelectis Diis, a *Cellario* neglectis, additi ſunt Saturnus, Genii, Sol, Luna, Orcus, ac diſtinctius deſignati. De diverſis actum eſt vaticinationum Pag. 46 ſeq. 70 ſeq.

 gene-

Pag. 102 ſeq. generibus ex avibus, pullis, cœlo, diris, &c. Suppleti ſunt inter miniſtros ſacrorum aruſpices, ſodales *Titii*, Curiones, Cereris ſacerdos Græca, ſacerdos Dei Solis invicti Mithræ, Bacchæ & Orgiophantæ, galli, duumviri ac triumviri ſacri, Camilli & Camillæ, flaminii ac flaminiæ, æditui, curatores, calatores præcipue & præclamitores, &c. quorum ex parte noti-
119 ſeq. tiam & ſuppeditavit *Nieupoortus*. Actum eſt diſtinctius de diebus feſtis veterum Romanorum; ubi deſcribuntur amburbium, ambarvalia, ſuovetaurilia, pervigilia, jejunia, nudipe-
146 ſeq. dalia, & figendi clavi tempus: itemque varia tempora feſta Deorum Conſentium, Deorum ſelectorum, Deorum indigetum, virtutum, numinum ruſticorum, eorum, quæ variis hominum actionibus præerant, imperatorum, privata, & alia.
150 ſeq. Exponuntur cerimoniæ ſacræ, tam ante ipſum cultum divi-
187 ſeq. num, quam in cultu, uſitatæ. Ad cultum vero divinum, exceptis precibus, referuntur, atque ideo explicantur, ſacrificia,
163 ſeq. vota, jusjurandum. Neque omittuntur loca divino cultui ſa-
172 ſeq. cra. In civilibus antiquitatibus, inter alia, ſiſtuntur a *Walchio* noſtro inſignia, quibus Romanorum reges diſtinguebantur;
182 ſeq. privilegia Conſulum ac jura ſingularia, cum ceteris prærogati-
192 ſeq. vis; munus & jurisdictio Prætorum, cum eorundem dignita-
210 ſeq. te; diverſa Quæſtorum genera; cenſus, ut & diverſæ claſſes
214 ſeq. populi Romani; alii minores magiſtratus, tam ordinarii,
225 ſeq. quam extraordinarii, atque miniſtri magiſtratuum; ærarium,
237 ſeq. quæque ibi ſervabantur; de novis magiſtratibus, magiſter ſcri-
250 ſeq. niorum, ipſi qui ſuberant, atque alii. *Librum tertium* de mi-
256. litia Romanorum ſupplent de ordinibus ducum ac dignitatæ,
270 ſeq. gradu tabulæ, ex *Juſto Lipſio de Milit. Rom. pag. 112* deſcriptæ,
295 ſeq. machinæ quædam bellicæ, nominatim crates, ſcalæ murales, ſambucæ, brachium cervi, ſtyli cœci, aggeres, turres, pontes,
314. terebra, ſcorpiones, jacula, currus falcati, cet. *Libro III* ſingularibus populi Romani juribus quædam adduntur, omnia vero
318 ſeq. diſtinctius atque explicatius proponuntur. *Libro V* centum-
357 ſeq. virale judicium, atque omnium judiciorum ratio, fuſius expo-
365 ſeq. nitur, inprimis ad reorum vel officia, vel pœnas, quod attinet, neque minus ad judiciorum publicorum ac privatorum

diffe-

differentiam. Inter pœnas nominatim deſcribuntur damnum, Pag. 369 ſeq.
vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, ſervitus, mors,
ſtrangulatio, & cuſtodia varia; denique legum conſuetudines 369 ſeq.
ac judiciorum deſignantur, ut & ſuffragiorum ferendi modus, 393 ſeq.
notabilis ſane ac diverſus. *Libro VI*, ſenatorium ordinem, non 400 ſeq.
pauca leguntur, quæ faciunt illuſtrem; neque minus equitum 410 ſeq.
inſignia, publicus equus, annulus aureus, tunica anguſticlavia, 424 ſeq.
locus in ſpectaculis ſeparatus; ut & varii manumiſſionis 434 ſeq.
modi proponuntur, ac fugientium ſervorum ſupplicia. *Li-* 443 ſeq.
ber VII, de Roma literata, rejecto veterum editionum *Capite*, 446.
diſputationem *Cellarianam* exhibet de ſtudiis Romanorum
literariis in urbe & provinciis, pariter obſervationibus inſtru-
ctiſſimam: quas inter, quæ eſt de Bibliothecis, eminere vide- 474 ſeq.
tur. *Liber VIII*, ſeu Roma ludibunda, ſiſtit circi maximi de- 491.
ſcriptionem, aurigarum ſocietates, variis coloribus veſtium di- 495 ſeq.
ſtinctas, ludorum Circenſium genera ſedulo explicata, de for- 499 ſeq.
ma & partibus theatrorum atque amphitheatrorum non pro- 503 ſeq.
letaria, cum ceteris. *Libro IX*, de veſtimentis Romanorum, 508 ſeq.
fuſius variæ togarum ſpecies deſcribuntur, ut & aliæ veſtes, 530.
caracalla, cucullus, colobium, gauſapa, endromis, amphi- 531 ſeq.
malum, ſubarmale, pallium, dalmatica, birrhus, thorax,
pileus, capillamentum, cet. *Librum X*, de funeribus Romano- 551 ſeq.
rum, exornat longe fuſior atque accuratior omnium rituum 558.
deſcriptio, ut & eo ſpectantes perſonæ memorantur, ac ſin- 560 ſeq.
gulatim combuſtionis atque rogorum modus exponitur. 565 ſeq.
Libro denique *XI* menſuræ ſpecies, ſive ſint liquidorum, ſive 569 ſeq.
aridorum, ſive intervallorum, expenduntur. Ex iſtis ſpeci- 584.
minibus, (nam non niſi de magno cumulo quædam indica- 590 ſeq.
mus,) facile apparet, quanta ſint Cl. Editoris in *Cellarium*
ſuum, quem & magnificus illius parens tantopere ornavit,
merita, quamque diligentes antiquitatum Romanarum illu-
ſtrationes.

JO. FRIDER. CHRISTII AD ERUDITOS QUOSdam de moribus, ſimul de Phædro, ejusque Fabulis, uberior expoſitio; acceſſit auctarium Fabularum quarundam Phædri nec Phædri.

 Lipſiæ,

Digitized by Google

Lipſiæ, apud viduam B. Caſp. Fritſchii, 1747, 8.
Alph. 1 plag. 22.

Permulta hic morum præcepta, inſignia prorſus & egregia, ſed nec pauciora in utramque partem exempla, reperiemus. Sane dolendum eſt, literatiſſimos hodieque viros de tribus capellis, de conjectura quadam ficulnea, quaſi de ſalute Græcorum contendere, ac, rem ipſam deſerentes, auſu maxime impio, petere perſonas. Jam diu ſunt exploſi Belgæ quidam, Angli, & Helvetii, in ſterquilinio palmam quærentes, inque aliorum honoris buſto condere ſibi tropæum laborantes. Nos Germani antea in ſcholas converrere ſolebamus, ut ineptiarum, ita rixarum ejusmodi, colluviem; licet eadem alia loca multo magis ſcaterent. Nunc aliquatenus evadere videmur, ſapientiores. Perſpicere cœpimus de fundamentis, deque humo, ſuccos, vel in altiſſimas arbores, ſurgere, neque per ſe afflictis perſonis, quales, in ſcholarum pulvere, maximis in rem publicam meritis, immenſis laboribus, minimos honores, vix exigua per ſeſe emolumenta, conſequuntur, haudquaquam eſſe addendam afflictionem: præſertim cum noſcamus, quam immerito talibus accuſationibus premantur ac ſupprimantur. Gratulamur hominibus perſpicacitatem illam, naſum, ſapientiam; ſed cur animum haud vincunt Philoſophi? Cur ſuæ ipſorum gloriæ non curioſius conſulunt Critici? Cur muneri ſuo vel ipſi ſubinde Theologi? Omnino miramur, ſi quidem denſiſſimas umbras in plena literarum luce volitare videmus, inque meridie noctem obſervamus intempeſtam. Hauſimus illas meditationes ex præceptis morum, quæ Cel. Autor paſſim in hoc libro inſperſa voluit, attamen ita, ne quid earum ad præſentem, utiliſſimam ſane Criticis, controverſiam applicemus. Congreditur autem cum erudito quodam Noſter, cujus ipſe pro æquitate ſua nomen reticet. Quæſtio eſt de ætate ac fabulis *Phædri*. Publica propoſita diſputatione, Cel. *Chriſtius Phædrum* non agnovit, ſuppoſitas fabulas eſſe, profeſſus eſt. Alter, Vir itidem Celeberrimus, ſingulari ſcripto contrarium tuetur; a cujus impetu ſententiam hic ſuam liberare ſtudet Noſter. Uterque habet

Digitized by Google

habet rationes, in quas jam altius inquirere vel non vacat, vel non commodum eſt, ne forſitan in lapidem inopinato impingamus. Omnem igitur controverſiam illam ſartam atque integram relinquimus, inque gratiam lectorum alia iſthoc ex libro perquam curioſo, non ſine Autoris laude, obſervamus. Huc pertinent uon pauca, Latinam quæ linguam illuſtrant, ejusque puritatem, omnibus ſane commendabilem, attingunt. Commendabilem ſane tanto magis, quanto plures hodie polluta, quam cælata, lance res ſuas proponere malunt; ac, ne in verbis conſeneſcere videantur, barbariem reducunt. Quaſi vero crimen eſſet, tunicam elegantiorem induere Palladi, ne puellas inter agreſtes amittatur. De multis, quæ hunc in finem Cel. *Chriſtius* obſervat, vel unum atque alterum moneamus. Diſtinguuntur merito vocabula, eaque ceteris diligentius,quæ vulgus confundit, ac promiſcue adhibet. Ita *reperimus*, Pag. 70.
in quæ forte fortuna incidimus; *invenimus* autem quæſita; 71.
facere adhibetur, ubi adjectum ad notionem ſubjectam pertinet, ubi autem conſtituit atttibutionem, verbum eſt compoſitum uſurpandum. Sic & carpitur *tenere ore*, pro mordicus 72.
dentibus tenere, *libri ſenſus*, *curſus pelagius*, atque alia ſex- 74.
centa, jure omnia, nec ne, nobis haud ſumimus dijudicandum. Qui potius auctarium fabularum, uno ſolum obtutu, adhuc contemplari laboramus. Nimirum, quoniam antea de vetu- 118.
ſtis contextibus oratione ſoluta earum fabularum, quas, pro *Phædro Perottus*, Noſtro judice, ſcripſit, aliqua dixerat, hoc argumentum novitatis ejus operis, inter alia nihilo deteriora, habiturus, illiusque contextus, utut publicata per *Nilantium* parte, in paucorum ſunt manibus; faciendum putavit, ut in rem præſentem, qui hæc legunt, venirent. In exemplum igitur dedit aliquas de fabulis, quas antiquas *Nilantius* vocat, conjunxitque cum eis *Romulum* illius atque e regione *Phædrum* qualemcunque, & poſtremo ſenarios ſuos, ex eodem fonte, abſentibus *Phædri* libris, ſine negotio ductos. Obſervationes autem paſſim rem faciunt illuſtriorem. Noſtri verſus naturali pulchritudine ſurgunt, tales omnino, ut merito nobis ominari liceat, ſi perrexerit Cel. Autor, qua cœpit, via, primarium quendam inter recentiores fabulatores ei aliquando locum futurum.

MISCEL-

Digitized by Google

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VI Pars III.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1748, 8.
Plag. 12.

Viri Celeberrimi, *Jacobi Elsneri*, Theologi Berolinenſis, *Commentatio in difficillimum locum*, *Matth. XXVII*, *8*, principatum in hac *Parte* tenet, qua examinantur variæ Exegetarum in hunc locum ſententiæ, & prorſus nova proponitur. Initio quidem vulgata retinentur ac propugnan-
Pag. 391. tur verba, ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου. Credit vero Ven. Autor, reſpicere *Matthæum* ad Caput *Jeremiæ XXXII*, *25*, præeunte *Auguſtino*. Injicitur hic mentio argenti, quo ager ad Anathoth fuit emtus. Pretium agri pro viciſſitudine temporum variavit. Nullus e cultura ad poſſeſſorem fructus rediit utrobique. Locus Anathoth abfuit Hieroſolymis viginti ſtadiis, ſeu dimidio milliaris Germanici.
393. Ager haud procul disjunctus fuit a regione urbis, ubi *Jeremias* detentus fuit captivus. Sepulturæ locus aberat a civitatibus Leviticis, in quarum numero cenſebatur Anathoth (*Joſ. XXI*, *15*,) ultra bis mille cubitos. Ager, figulis deſtinatus, oſtenditur quidem ad auſtrum Hieroſolymæ juxta vallem
397. Tophet. At ex errore. Reſpicit ſimul *Matthæus* ad *Zachariæ* locum, licet pro more allegandi trito unicum modo Prophetam laudaſſet. Adjecit Autor nonnihil præterea, at-
401. tentiori mente erutum. Excipit eum *Petri Zornii Diſſert. poſthuma de Chriſto Deo, proprio ſanguine ſibi eccleſiam acquirente, ad Act. XX*, *28*. Notatur *Hugo Grotius*, qui ad divinitatem Chriſti propugnandam in annotationibus ad Codicem ſacrum friget. Defenditur lectio recepta & genuina. Ad
405. vocem αἷμα memorabilia exponuntur. Verbo περιποιήσασθαι deſignatur emtio in peculium proprium, in rem labore ſumtuque acquiſitam. Succedit *J. C. Harenbergii Continuatio* quar-

Digitized by Google

quarta Supplementi in Hadriani Relandi librum de Urbibus & vicis Palæſtinæ. Ipſi *Rababatora* eſt Beſer, urbs Rubenitidis. *Racmſes*, *Rameſſe*, habetur ab eo pro Heracleopoli parva ad alveum Bubaſticum contra Tanin verſus Orientem ſita. Locum *Riblat* pro Raphaneis Syriæ reputat. *Raſa* Idumææ recentioris locus videtur eſſe *Mareſa*, intra tribum Juda. *Rhaba 1 Macc. V, 37*, videtur fuiſſe Rhagaba, ſeu Argob, locus transjordanicus. *Rhaſa*, locus Idumææ ad Maſadam, *Mareſa* fuiſſe creditur. *Cadytis Herodoti* congruit urbi Hadad-rimmon, & Jenyſus vico Minoidi, a Gaza haud multum disjuncto. *Saba* hic memoratur quintuplex. Ad locum *Schaalim* emendatur *Joannis Lightfooti* locus. *Schavet Kiriathaim* a Machærunte diſtinguitur. Termini terræ, Patriarchis promiſſæ, ejusque ad ſeptentriones poſitæ, indicantur. *Silbonitis* regio eſt ſatis obſcura, ſiquidem Codices *Joſephi* in ejus lectione variant. *Sebonitidem* eſſe legendam, ſuſpicatur Autor, tractum deſignans urbis Sophanæ Gaditarum. *Secanjah*, *Sogane*, & *Cana* Galilææ, unicus ei eſt locus. Ad urbem, unde lacus Samochonites fuit dictus, invitat alios exquirendam. *Sibyllæ poſſeſſionem*, quæ in donationem *Conſtantinianam* intruſa fuit, exterminat. Ad *Sichemam* illuſtrandam eſt multus & copioſus. *Simeniar Joſephi*, hoc judice, eſt *Simron* Sabulonitidis. Mare mortuum vocari quoque ים סוף, approbat rationibus e ſacro fonte ſelectis. *Sebur* locus pro *Oſtracine* ab eodem habetur. Omittimus cetera, ad alia feſtinantes. Provocat lectoris attentionem Ven. *Pauli Erneſti Jablonski Obſervatio de Neitha, Ægyptiorum Dea, quam Græci Minervam interpretantur.* Sedes *Neithæ* erat Sais. *Minerva* Ægyptiorum priſco ævo appellata fuit *Neith*. Ejus nomen, virtus, ac poteſtas, non lingua ex Hebraica, non ex Græcorum mythologia, eſt explicanda. *Vulcano Solis & Neithæ* Ægyptii ſexum utrumque tribuere conſueverant. Per *Neitham* indicata fuit univerſa rerum omnium natura, immo cauſa Solis effectrix. *Minervam* Ægyptii pro ſapientia divina coluerunt, ac in modum præſidis artium & ſcientiarum, nec non opificis omnium, quæ mundus

Pag. 408. 411. 416. 426. 430. 433. 439. 445. 447. 467.

 com-

Digitized by Google

compleĉtitur, ſunt venerati. Digna eſt hæc tractatio, quæ
legatur attente, ſiquidem ſymbolica Ægyptiorum Theologia
admodum eſt obſcura, tenebriſque immerſa. Commendant
Pag. 489. ſeſe Philologis præterea *Jo. Jacobi Reiske Animadverſiones ad*
Petronii alteram editionem Burmannianam, quarum nunc ex-
hibetur *Pars III*. Summi dedecoris ſignum traditur in eo ſi-
tum fuiſſe, ſi quis alterum circumminxerit, vel matula irrora-
rit effuſa. Supplentur, reſtituuntur, & emendantur, varia *Pe-*
tronii loca, quæ medicinam poſcunt. Suffuſos pudore caput
operuiſſe, ne triſtia viderent ſpectacula, vel experirentur ludi-
bria ſui, nonnullis veterum locis docetur. *Morelli in Liba-*
492. *nium* annotationes exploduntur. *Blacticuloſus Petronio* reſtitui-
tur, ex Græcorum βλὰξ *ſtultus*. Eos, qui a *Jacobo* dicuntur
uſi annulo, fuiſſe omnes equites, negatur, cum etiam ſervi
501. annulum aureum in digito ſæpius geſtarint. *Scordalias* ſym-
510. bolum fuiſſe conviciorum ſordidorum, ſignificatur. *Lauram*
fuiſſe angiportum, tugurium, docuit Autor, addens anecdota
514. de *Danielis Heinſii* maligno, humili, & furaci, animo. *Buccæ*
ſunt paraſiti. Non vacat ſingulas attingere animadverſiones,
non ad *Petronium* ſolum, ſed ad alios paſſim Autores, jucunde
524. illuſtrandos, accommodatas. Vocat nos *Frid. Ott. Mencke-*
nii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica edi-
torum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairia-
ni, Decas tertia. Diſſeritur in ea de *Cornu Copiæ*, Venetiis A. 1501,
fol. evulgato, non per *Brugnolum* facto, ſed emendato, opere
Nicolai Perotti, Pontificis Sipontini, quod ſæpius fuit formis
543. publicis deſcriptum, primum quidem Venetiis A. 1489 Ad-
duntur de *Brugnolo* ipſo ibi ſatis multa. Diſſeritur in ea de
Joachimi Vadiani Oratione, Cæſaris Maximiliani I in hono-
rem A. 1515, 11 Calend. Aug. dicta, & Viennæ eodem anno
in forma, quam appellant quartam, luci expoſita, *Maittairio*
548. aliiſque inviſa & incognita. Exponitur in hac *Decade* porro
de *M. Chriſtophori Craſſi Oratione tumultuaria ad Principem*
Caſimirum, Marchionem Brandenburgenſem, ibidem A. 1515, 4,
edita. De *Caſimiri* virtutibus inibi haud contemnenda adjici-
untur. Quarto *Decadis* hujus loco apparet Volumen, Venetiis A.
1516,

Digitized by Google

ſ16, 8, editum, quo continentur *C. Suetonii Tranquilli XII* Pág. 553.
'eſares, S. Aurelii Victoris a D. Caſare Auguſto usque ad
'heodoſium excerpta, Eutropii de geſtis Romanorum Libri X,
'auli Diaconi Libri VIII, ad Eutropii Hiſtoriam additi. Mor-
tuum jam tunc fuiſſe *Aldum Manutium*, præmiſſa huic libro
o. Bapt. Egnatii Præfatio teſtatur. Falluntur itaque, qui,
ldum anno 1520 adhuc floruiſſe, docent. *Suetonio* paucas
ljecit *Egnatius* notas. Incertum, an editionem *Suetonii*
anuſcriptis ſuperſtruxerit. *Ariſtophanis Plutos*, Hagenoæ 556.
: Academia *Anshelmiana* A. 1517, 4. publicatus, longe eſt ra-
ſimus, quippe a *J. A. Fabricio* & *Maittairio* non viſus.
d eam illuſtrandam editionem faciunt, quæ Autori libuit
mmentari, appoſite monenti, *Petri Moſellani* cura & ſuaſu
omœdiam illam formis publicis fuiſſe deſcriptam. Eadem 560.
:itate præſtabilis eſt editio *Martialis*, Venetiis in ædibus
di & *Andreæ* Soceri A. 1517, 8, evulgata. Antiquiorem, ibi-
m adornatam A. 1502, editionem ignoravit *Fabricius*; hanc
'o *Maittairius*. Paucis inſpexiſſe datum fuit *Joannis Dan-* 563.
:i Soteria, carmen ad *Sigismundum* Dominum *de Erber-*
:n, Conſiliarium & Oratorem Cæſaris *Maximiliani*, Craco-
: A. 1518, 4, editum. Ejusdem generis eſt *Jacobi Sado-*
, *Leoni X* a ſecretis, *Oratio in B. Virginis ad Minervam*
oita 9 Id. Apr. A. 1518, 8, inſerta Operibus *Sadoleti*, quæ
:onæ A. 1738, 4, Tomis IV exierunt. Rarus eſt liber, cui 567.
ex contigit: *Trogi Pompeji externæ hiſtoriæ, in compendium*
Juſtino redacta. Externorum Imperatorum Vitæ, Autore
:ilio Probo, Venetiis, in ædibus Aldi & Andreæ Aſulani, ſo-
, *menſe Jan. 1522, 8.* Nil notarum huic *Trogo* & *Nepo-*
lditum. Præmiſſa fuit operi Præfatio *Franciſci Aſulani*,
ejus *Andreæ*, qui ſocer fuit *Aldi*. Decadem explet *Lucia-* 569.
'amoſatenſis Hermotimus, ſeu de Sectis Dialogus, ſane per-
n elegans ac feſtivus, Obſopœo interprete. Acceſſerunt *ejus-*
item *Dialogi amatorii quatuor, Chiliano Manſueto inter-*
:, & Plutarchi Chæronenſis de liberorum educatione libel-
Joanne Metzler interprete. Haganoæ, per Joan. Secerium,
1527, menſe Junio, 8. Editionem hanc ignorarunt *Mait-*

Digitized by Google

tairius & *J. A. Fabricius*. *Joannes Opſopœus* id interpretandi e Græco primum fecit periculum, ad plura deinceps ſpecimina converſus, haud ſane dignus, qui a *Lexico eruditorum* Lipſienſi vernaculo abeſſet. *Metzleri* memoria Vratislavienſibus eſt ſacra æque ac Lipſienſi Academiæ, quam, publice Græcas literas docendo, illuſtravit. Habes hic, Lector, ſummam eorum, quæ in hac *Parte III* copioſius pertractantur.

Pag. 573.

Nachricht von denen in der Hochgräflich-Zaluskiſchen Bibliothek ſich befindenden raren Pohlniſchen Büchern, &c.

hoc eſt,

RELATIO DE LIBRIS RARIORIBUS POlonicis, qui Celſiſſ. Comitis in Zaluskie Zaluski Bibliotheca inſunt, edita a JO. DAN. JANOZKI.

Pars II.

Vratislaviæ, apud Jo. Jac. Kornium, 1749, 8.
Plag. 9½.

In fronte ſtatim æri eleganter inciſus digniſſimum locum habet ille *Joſephus Andreas* Comes *in Zaluskie Zaluski*, ſupremus regni Poloniæ Referendarius, Abbas Villariæ, Betnaci, & Fontaueti in Gallis, Canonicus Ecclesiæ cathedralis Cracovienſis, Præpoſitus Collegiatæ Varſovienſis, &c. cui & opus ipſum, non ſine meritis laudibus, inſcribitur. Ad ipſam vero tractationem quod atinet, raritas librorum cum obſervationum ſelectu velut de prærogativa contendit. Speciminum ergo potius copia, quam inopia, laboramus. Occurrunt forte *n. 2 Conſtitutiones & decreta*, *condita in provinciali Synodo Gneſnenſi*, &c. Pragæ, 1590, 4, quæ ipſe Celſiſſ. Comes paulo ante, quam accepit, cum plurimis aliis eruditis haud mandata typis crediderat. Inſunt hic, poſt alia, Epiſtola *Sixti V*, qua decreta iſthæc confirmantur, & Orationes duorum Lojoliticæ Societatis aſſeclarum, *Laur. Arturi Faunteji* & *Antonii Ariæ*, quorum ille

Pag. 6 ſeq.

10.

Digitized by Google

ille demonſtravit, unde in Polonia hæreſes originem cœpe-
rint, & qua illis ratione ſit occurrendum, *Arias* autem bonæ
notæ ſacerdotis proprietates deſcripſit. Sed inprimis hancce Pag. 7.
Congregationem ſuis curis illuſtravit *Jo. Karnkowski*, antiſtes
Vladislavienſis, qui decreta illa non ſolum conſignavit, ſed
cujus etiam Orationem adhortatoriam atque epiſtolam paſto-
ralem eodem in Codice reperimus. Alioqui de Pontificio cœtu
is præclare mereri laboravit, ſingularibus *Pii V* & *Gregorii* 8.
XIII ad ipſum miſſis epiſtolis, quæ in Epiſtolis illuſtrium vi-
rorum, opera Reverendiſſ. Domini D. *Stanislai Karnkovii*,
Epiſcopi Vladislavienſis & Pomeraniæ, in lucem editis, &
Cracoviæ A. 1578 impreſſis, leguntur, ideo perquam laudatus.
N. 4 ſunt *Conſtitutiones Synodorum, metropolitanæ eccleſiæ* 20.
*Gneſnenſis provincialium. Autoritate Synodi provincialis
Gembicianæ, per deputatos recognitæ; juſſu vero & opera il-
luſtriſſimi ac reverendiſſimi Domini, D.* Jo. Wenzyk, *Dei &
Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiſcopi Gneſn. L. N. R. P. P.* 27.
editæ Cracoviæ A. 1630, 4, ubi *Wenzykii*, ut & *Foxii*, Oratio-
nes exhortatorias, notatu ſane dignas, præter alia, invenimus.
Num. 8 *Conſtitutiones & decreta, in diœceſana Synodo Plo-* 32.
cenſi, quam pro Sereniſſimo Principe ac Reverendiſſimo Domino
Carolo Ferdinando, *Dei gratia Principe Poloniæ & Sueciæ,
Epiſcopo Plocenſi,* &c. *Perilluſtr. & admodum Reverendus D.*
Simon Koludzki, *Præpoſitus Gneſn. habuit anno Domi-* 39.
ni 1643, ſine mentione anni & loci, 4. In Præfatione ſtatim
hic exſtant Epiſtolæ II *Caroli Ferdinandi*, Regis *Sigismundi*
filii, altera ad diœceſin Plocenſem, altera ad *Simonem Koludz-
ki*, qua Congregationis præſes conſtituitur, quam & poſterior
ſingulari oratione aperuit. *Num. 11 Clementis Janitii, Poetæ* 44.
*laureati, Triſtium Liber I, Variarum elegiarum Liber I, Epi-
grammatum Liber I*, plagulis 7, in forma octava, ſine mentio-
ne temporis ac loci. *Janicki* ille propter elegias præſertim
laudatur, quibus omnes hujus carminis virtutes, & perfecto
quidem modo, tribuuntur. Speciminis loco numero ſeptima 45
excerpitur, qua ſeſe Poeta cecinit. Laudantur vero etiam il-
lius Epigrammata & Carmina jocoſa, *Martialis* ſpiritu ſcripta.

Digitized by Google

Pag. 49. Autorem *Starowolski* laudavit in *Elogiis & vitis Scri-*
ptorum Poloniæ illuſtrium pag. 82 ſeq. ubi ſimul tanquam
50. antiſtitis Ermelandenſis, *Jo. Dantiſci*, & Culmenſis, *Tidemanni*
Giſii, amicus deſcribitur, laurum quoque poeticam a *Maximi-*
liano I adeptus; quod poſterius autem Noſter negat, cum ju-
nior ſit Poeta, quem potius a Romanorum aliquo Pontifice
coronatum, ex quodam, quo ipſe lauream ſuam alloquitur,
51. Epigrammate conjectat. Idem *Janitius*, quæ *num. 12* memo-
rantur, Vitas ſcripſit Archiepiſcoporum Gneſnenſium, quas dein-
52. ceps *Andreas Trzecieski*, Poeta, Orator, Grammaticus, Criti-
53. cus feliciſſimus, continuavit, cujus *Andreæ*, ut omnia ſcripta
rariora, ſic Poemata longe rariſſima, ſunt. In laudatis autem
Vitis cujusque Antiſtitis Elogium Epigrammatum forma pro-
ponitur, quibus vel laudantur, vel vituperantur. *Num. 13* eſt
Vigilantii Gregorii, Samboritani Ruſſi, *Cenſtochova*, Craco-
viæ, 1558, 8. Ut omnia carmina elegiaca *Gregoriana* lau-
dem merentur, ſic iſthoc inprimis, quo locum canit, ob ima-
54. ginem *Mariæ*, miraculis inſignem, celeberrimum. Au-
tor in Academia Cracovienſi ſanctiorem diſciplinam profite-
55. batur, ſimulque Canonicus erat. Sequuntur ſtatim *num. 14*
ejusdem *Ecloga I, in qua eſt jucunda R. D. Domino* Stanislao
Slomovio, *in Archiepiſcopum Leopolienſem electo, facta gratu-*
latio; Elegiæ IX, in quibus ſunt multa, ad Dei gloriam, &
clarorum virorum laudem, pertinentia, Epitaphia, res fune-
56. *bres comprehendunt*, Cracoviæ, 1566, 8; itemque *num.*
57. *15* ejusdem *Elegiæ & Epigrammata quædam*, ibidem,
1567, 8. *Gregorio* Poetæ conſecratum eſt, quod *num.*
16 laudatur, *Panegyricum* Simonis Goritii, *Pilsnani*, *de*
diva Anna, matre Virginis Mariæ, Carmen, Cracoviæ,
1568, 8. Adſunt etiam Orationes quædam funebres
77 ſeq. quam rariſſimæ: ut *num. 27 Sermo, habitus per Reverendiſſi-*
mum in Chriſto patrem Dominum Samuelem Macieiowski, *Epi-*
ſcopum Cracovienſem, & R. P. Cancellarium, in funere Sereniſ-
ſimi Domini Sigismundi I, *Regis Poloniæ*, &c. ſine mentione
loci, 8. Oratio, quod Autor in Dedicatione ad *Sigismun-*
dum Auguſtum memorat, Polonica lingua ſcripta primum
fuit

Digitized by Google

fuit ac habita, rogatu autem amicorum Latinitate donata. Idem ille ardorem oratorium & ornatum, alias ipſi ſolennem, hic minus oſtendiſſe arguitur. *Num. 28 Oratio* Martini Cromeri, *in funere optimi & maximi Principis* Sigismundi, *ejus nominis primi Polonorum, Lituanorum, Ruſſorum, Pruſſorum, & Maſoviorum, Regis*, &c. Cracoviæ, 1548, ad 7 Calend. Aug. 8. *Num. 29 Funebris Oratio, habita a* Stanislao Orichovio, *Ruteno, ad equites Polonos in funere* Sigismundi Jagellonis, *Poloniæ Regis*, Cracoviæ, 1548, 8. Is *Orzechowski* præ ceteris omnibus laudatur, qui *Sigismundum* celebrarunt, omnis ejus meditatio nova, omnis eloquendi ratio elata, omnis narratio ſingularis, omnis deſcriptio magnifica, omne exemplum exquiſitiſſimum, omnis comparatio præcellens, omnis ὑποτύπωσις majeſtate plena & decora, eſſe dicitur. Atque hæc eadem præſertim eſt Oratio, quæ *Demoſthenis Polonici* titulum Autori peperit. Additur *num. 31 Opuſculum de arte memorativa, longe utiliſſimum, in quo ſtudioſus Lector tam artificialibus præceptis, quam naturalibus medicinalibus documentis, memoriam, ſuam adeo fovere diſcet, ut, quæcunque vel audita, vel lecta, illi commendaverit, tanquam in cella penaria diutiſſime conſervaturus ſit. Impreſſum Cracoviæ ſub anno Dominicæ incarnationis* 1504, 4. Autor illius Anonymus, forſitan *Antonius Radunſchic*, (cui in *Bibliotheca univerſa Franciſcana Volum. I pag. 124. Joannes a Sancto Antonio*, & ante ipſum *Lucas Waddingius* in *Catalogo Scriptorum Ordinis Minorum pag. 37*, opus *de memoria conſervanda* tribuit,) in Præfatione memorat, quod, præco ſacer apud Cracovienſes, in templo *Bernardino*, ex umbone, artem ſuam memorativam, multis Academiæ Profeſſoribus ac ſtudioſis præſentibus, interpretatus fuerit. Ridicula eſt eadem ac per *loca, literas reales, perſonales characteres, imagines, & idola*, progrediens, *fructum pretioſum, ſtilum copioſum, nodum tædioſum, locum ſpatioſum, modum ſpecioſum*, ſcopi loco ſibi proponit. *Num. 32* occurrunt *Theophylacti Scholaſtici Simocati Epiſtolæ morales, rurales, & amatoriæ, interpretatione Latina. Cracoviæ*, 1509, 4, ut & *Modus epiſtolandi eximii medicinæ Doctoris & le-*

gum

Pag. 79. 80. 81. 83. 84. 85.

Digitized by Google

gum Licentiati, Jo. Urſini, Cracovienſis, cum epiſtolis exemplaribus & orationibus annexis, ſine mentione loci & anni, 4, de quibus libris fuſius egit *Gœtzius*, Abbas, Regiam Dresdenſem
Pag. 88. Bibliothecam deſignans, *Volum. II Collect. I num.* 4, 5. Porro *num.* 34 exſtant *Gratiæ ſeculares, ſummis Pontificibus, Regibus, Præſulibus, & protectoribus Societatis Jeſu in magno Ducatu Lituaniæ, ab alma Academia & Univerſitate Vilnenſi, ejusdem ſocietatis, exhibitæ, atque illuſtriſſimo Principi D. D. Alberto* Stanislao Radivilo, *M. D. L. Cancellario, gratitudinis ergo oblatæ*, Vilnæ, 1640, 4. Exhibentur hic potiſſimum ſex Orationes, Academiæ nomine a ſex membris Lojoliticæ Societatis habitæ. Priores duas ſiſtit etiam *Caſimir Wijuck Kojalowicz* in *Panegyricis* ſuis, Wildæ A. 1668
90 ſeq. in 8 editis, *num.* 1 & 5. Excipiunt Gratias iſtas *num.* 35 - 38,
100. *Starovolſci* Sarmatiæ Bellatores, Scriptores, Oratores; *num.* 41 Simonis Maricii, *Pilznenſis Jureconſulti, de Scholis, ſeu Academiis, Libri duo*, Cracoviæ, 1541, 8, quod ſcriptum, elaborationis pariter gratia, inprimis laudatur; *num.*
105. 42 M. Adami Romerii, *Stecizenſis, de ratione recte eleganterque ſcribendi ac loquendi Libri tres, e præſtantiſſimis ac diligentiſſimis proprietatis Latinæ linguæ inquiſitoribus recens collecti*, Cracoviæ, 1590, 8; ejusdem *de informando Oratore Libri III*, ibidem, 1593, 8; item *M. T. Ciceronis Orationes pro lege Manilia, pro S. Roſcio, Catilinariæ quatuor, antequam iret in exilium, poſt reditum in ſenatu, nona Philippi-*
106. *ca, pro M. Marcello*, Ad. Romerii, *Stez. Præpoſiti S. Nicolai Crac. Commentariis illuſtratæ*, Cracoviæ, 1610, 8. Horum librorum Autor, Romæ Doctor Theologus creatus, Præpoſitus obiit Cracoviæ A. 1616, a *Seb. Nucerino* funebri Oratione laudatus, nec minus in *Starowolskii Elogiis & vitis Scriptorum Poloniæ illuſtrium pag.* 202 *ſeq.* inque *Laudatione almæ Academiæ Cracovienſis pag.* 3 *ſeq.* Sufficiant hæc, unde pretium libri ac genium intelligamus, haud omnino dubitantes, fore, ut literariæ rei ſtudioſi tam Celſ. Poſſeſſori tantos theſauros gratulentur, quam continuandam hujusmodi expoſitionem atque illuſtrationem peroptent.

* * *

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Anonymi *Epiſtolæ VII theologicæ ac metaphyſicæ contra Ratiocinationes metaphyſicas Domini ***.* 333

Conſultatio de commemoratione Romani Pontificis in publicis ſupplicationibus, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio apud Græcos. 675

Anſaldi (*Caſti Innocentis*) *de Authenticis ſacrarum Scripturarum apud S. S. Patres lectionibus Libri duo.* 88

Joſephi, Ægypti Proregis, religio a criminationibus Baſnagii vindicata. 113

Benedicti XIV *P. M. Opera.* Tomus I & II. 1

Bengelii (*Jo. Alb.*) *Cyclus, ſive de Anno magno ſolis, lunæ, ſtellarum.* 174

Bode (*Chriſtoph. Aug.*) *Evangelium ſecundum Matthæum, ex verſione Æthiopici interpretis in Bibliis polyglottis Anglicanis editum, plurimis obſervationibus illuſtratum.* 611

Carpzovii (*Jo. Gottlob.*) *Apparatus hiſtorico-criticus Antiquitatum ſacri Codicis & gentis Hebrææ.* 99

Drieberge (*Jo.*) *Libri II, unus de bonis Novi Foederis, & futuro hominum ſtatu, alter de Baptiſmo & S. Cœna.* 341

Friſchii (*Jo. Frid.*) *Commentatio theologica de præmiis vitæ æternæ ſecundum teſtimonia N. Teſt.* 575

Gattici (*Jo. Bapt.*) *de Oratoriis domeſticis, & de uſu Altaris portatilis.* 491

Gavanti (*Bartholom.*) *Decreta ſacræ rituum Congregationis.* 148

Van Hoven (*Jo. Dan.*) *Vera & veroſimilia ſacra & profana.* 679

Kalinsky (*Jo. Gottlieb*) *Vaticinia Chabacuci, & Nachumi, &c. illuſtrata.* 459

Kochii (*Jac.*) *Commentatio de neceſſario nexu doctrinæ rationis & morum cum Chronologia.* 366

Littletoni (*Ge.*) *Obſervationes ad converſationem & Apoſtolicum officium S. Pauli.* 418

Lupi (*Marii*) *de Notis chronologicis anni mortis & nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti Diſſertationes duæ.* 280

Magagnotti (*Petri*) *Vita S. Bernhardi, primi Abbatis Claravallenſis.* 337

Mazochii (*Phil.*) *in cauſa Hilari Fide conſtituti actorum recenſio.* 627

Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miſcellanea Lipſienſia Nova.* Vol. VI

Pars I. 91

Pars II. 531

Pars III. 712

Merati (*Cajetani Mariæ*) *Decreta ſacræ rituum Congregationis.* 148

Morſcovii (*Petri*) *Politia eccleſiaſtica, quam vulgo Agendam vocant, tribus Libris explicata, ex recenſ.* Ge. Lud. Oederi. 151

Muratorii (*Lud. Ant.*) *Liturgia Romana vetus, tria Sacramentaria complectens.* Tom. II. 597

Novum Teſtamentum ex verſione D. Chriſtoph. Aug. Heumanni. 347

S. S. Patrum Apoſtolorum, Barnabæ, Hermæ, Clementis, Ignatii, Opera genuina, cura Rich. Ruſel. 605

Presbyterorum & Diaconorum Achajæ de Martyrio S. Andreæ Apoſtoli Epiſtola encyclica, Græc. & Lat. ex ed. Caroli Chriſtiani Woog. 639

Renati (*Joſephi*) *Hiſtoria vitæ inſignis Eccleſiæ Doctoris, S. Hieronymi.* 145

Schœttgenii (*Chriſtiani*) *Demonſtratio de Jeſu, vero Meſſia, ex veterum Judæorum Theologia puriori probata atque confirmata.* 350

Schœtt-

Digitized by Google

Schœttgenii (*Chriſtiani*) *Novum Lexicon Græco-Latinum in Nov. Teſtamentum.* 624
Schultens (*Alberti*) *Commentarius ad Proverbia Salomonis.* 5
De Soria (*Jo. Alb.*) *Epiſtolæ VII theologicæ ac metaphyſicæ contra Ratiocinationes metaphyſicas Domini ***.* 333
Tauzini (*Joſephi Mariæ*) *Lectio Academica de Lingua primitiva, & confuſione linguarum, quæ facta eſt Babele.* 95
Venema (*Herm.*) *Diſſertationes ad Vaticinia Danielis emblematica Cap. II, VII, & VIII, de quatuor Orientis regnis.* 153
Walchii (*Jo. Ge.*) *Introductio in Theologiam dogmaticam.* 569
(*Jo. Ern. Imman.*) *Introductio in Harmoniam Evangeliſtarum.* 682
Walli (*Guil.*) *Hiſtoria Baptiſmi infantum, ex Anglico in Latinum converſa a* Jo. Lud. Schloſſero. Pars I. 164
Woog (*Caroli Chriſtiani*) *de Presbyterorum & Diaconorum Achajæ Epiſtola de Martyrio B. Andreæ Apoſtoli adverſus Tillemontium Diſſ.* 467
Zeltneri (*Guſt. Ge.*) *Enneas Quæſtionum philologicarum.* 380

II. *Libri Juridici.*

Ægidii (*Petri*) *Inſtitutionum Caji Summarium, ex ed.* Gerh. Meermanni. 290. a
Cartii (*Th.*) *Catalogus Rotulorum Vaſconenſium, Normannicorum, & Francicorum, qui in ſcriniis Turris Londinenſis aſſervantur.* Tomi II. 97
Gavanti (*Bartholom.*) *Decreta ſacræ Rituum Congregationis.* 148
Klœkhof (*Nic.*) *Hiſtoria Juris Romani de bonis damnatorum.* 504
Meermanni (*Gerh.*) *Specimen Animadverſionum criticarum in Caji, JCti, Inſtitutiones, ſecundis curis auctius.* 290. a
Merati (*Cajetani Mariæ*) *Decreta ſacræ Rituum Congregationis.* 148

Digitized by Google

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi *Epiſtola ad Cl. Virum ****, ſiſtens quasdam obſervationes in Opuſculum D. B. L. Tralleſii, nuper editum: de Machina & anima humana &c.* 319

De Bononienſi Scientiarum & Artium inſtituto atque Academia Commentarii. Tomi II Pars II & III. 293

Cocchi (*Ant.*) *Narratio de morbo variolari, quo affecta eſt prænobilis Monialis D. Maria Livia, de Excellentiſſima Borgheſiorum familia.* 76

Lectio de Muſculis, & motu muſculorum. 122

Coopmans (*Georgii*) *Brevis deſcriptio febris intermittentis, epidemicæ anomalæ, mali moris, præcipue Franequeræ graſſatæ A 1748.* 231

Gmelin (*Jo. Ge.*) *Flora Siberica, ſive Hiſtoria plantarum Siberiæ.* Tomus I. 273

Heiſteri (*Laur.*) *Syſtema plantarum generale ex fructificatione.* 551

Hippocratis *Opera omnia, ex ed.* Steph. Mackii. Tomus II. 395

Kuhnii (*Henr.*) *Cogitationes rationales de origine fontium.* 583

Linnæi (*Caroli*) *Fauna Suecica.* 508

Mutoni *Tentamen artis dentariæ.* 22

Pohlii (*Jo Chriſtoph.*) *Caſus anatomicus obſervatus.* 473

Sabbati (*Liberati*) *Synopſis plantarum, quæ in ſolo Romano luxuriantur.* 550

Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *Hiſtoria naturalis Helvetiæ, cum Notis* Jo. Ge. Sulzeri. 539

Springsfeld (*Gottlob Caroli*) *Iter medicum ad Thermas Aquiſgranenſes & fontes Spadanos.* 386

Sulzeri (*Jo. Ge.*) *de Originc montium Diſquiſitio.* 539

Taglini (*Caroli*) *Epiſtolæ ſcientificæ de variis jucundis Phyſices argumentis.* 561

Tralles (*Balth. Lud.*) *de Machina & anima humana prorſus a ſe invicem diſtinctis Commentatio.* 315

Trem-

Digitized by Google

Trembley (*A*) *Commentarii, qui ſpectant hiſtoriam generis cujusdam Polyporum aquæ dulcis.* 433
Valcarenghi (*Pauli*) *de Saxis, acubus ferreis, vitreisque fruſtis, non exiguæ molis, plerumque per vomitum, aliquando etiam per inferiores partes, ejectis.* 619

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi *Problema, Analyſis ad id, ut ſolvatur, propoſitum.* 627
Eclipſis Solis, obſervata Viennæ Auſtriæ d. 25 Julii anni 1748. 665
Anſtriaci (*Dominici Conr.*) *de Calculo integrali Commentarii analytici.* Pars II. 277
De Bononienſi Scientiarum & Artium Inſtituto atque Academia Commentarii. Tomi II Pars II & III. 293
Diderot *Commentarii de variis rebus mathematicis.* 475
Euleri (*L.*) *Exercitatio de Vibratione Chordarum.* 512
Gulientii (*Jo. Pauli*) & *Jo. Franc. Seguierii Solis defectus, die 27 Quintilis Anni 1748 Veronæ e ſpecula Maffejana obſervatus.* 565
Lunæ defectus ex eadem ſpecula obſervatus die 8 Sextilis Anni 1748. 566
Kæſtneri (*Abr. Gotthelf*) *Theorematis Coteſiani de objecti, mediantibus quotcunque lentibus, aut ſpeculis, viſi, diſtantia apparente, demonſtratio analytica.* 26
Mosdorffii (*Gottlob Aug.*) *Tractatio catoptrico-dioptrica, in qua focus lentium & ſpeculorum ſphæricorum ope formulæ algebraicæ, utrique communis, determinatur* 79. 123
Oechlitii (*C. F.*) *Additamentum ad Analyſin Problematis Catoptrico-Analytici, in Nov. Actis A. 1748 pag. 601 expoſitam.* 236
Seguierii (*Jo. Franc.*) & *Jo. Pauli Gulientii Solis defectus, die XXIV Quintilis Anni 1748 Veronæ e ſpecula Maffejana obſervatus.* 565
Lunæ defectus, ex eadem ſpecula obſervatus die VIII Sextilis Anni 1748. 566

Struyck (*Nic.*) *Viæ cometarum ſecundum hypotheſin, quæ ſtatuit, illos curſu Parabolam circa Solem deſcribere.* 478

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, &c.*

Algarotti *Comitis Diſſ. critica de Spatio, quod Reges Romani in univerſum, & eorum quisque in ſpecie, in imperio exegerunt.* 283

Angelieri (*Ant.*) *Specimem hiſtoricum de ſtatu urbis Eſtenſis.* 330

Anonymi *Obſervationes de Vita Ciceronis.* 190

A D. Thoma Aquinate (*Innocentii*) *Pro cultu literarum in Hungaria, ac ſpeciatim in civitate diœceſique Nitrienſi, vindicatio.* 221

Atlas Ruſſicus, cura & opera Academiæ Imperialis Scientiarum Petropolitanæ. 49

novus Societatis Coſmographicæ. 193

Bandini (*Angeli Mariæ*) *Vita & Epiſtolæ Americi Veſpuccii, Nobilis Florentini, collecta & illuſtrata.* 480

Barrii (*Joſephi*) *Hiſtoria generalis Germaniæ.* Tomus V & VI. 51

Tomus VII & VIII. 196

Tomus IX & X. 243

Bengelii (*Jo. Alb.*) *Cyclus, ſive de Anno magno Solis, lunæ, ſtellarum.* 174

De Bononienſi Scientiarum atque Artium Inſtituto atque Academia Commentarii. Tomi II Pars II & III. 293

Carli (*Jo. Rinaldi*) *de Expeditione Argonautarum in Colchidem Libri IV.* 656

Cartii (*Th.*) *Catalogus Rotulorum Vaſconenſium, Normannicorum, & Francicorum, qui in ſcriniis Turris Londinenſis aſſervantur.* Tomi II. 97

Cellarii (*Chriſtoph.*) *Compendium Antiquitatum Romanarum, cum annotationibus* Jo. Ern. Imman. Walchii. 706

Celſii (*Olavi O.*) *Bibliothecæ Upſalienſis hiſtoria.* 669

Janozki (*Jo. Dan.*) *Relatio de libris rarioribus Polonicis, qui Celſiſſ. Comitis in Zaluskie Zaluski Bibliotheca inſunt.* Pars II. 716
Kochii (*Jac.*) *Commentatio philoſophico-chronologica de neceſſario nexu doctrinæ rationis & morum cum Chronologia.* 366
Lupi (*Marii*) *de Notis chronologicis anni mortis & nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti Diſſertationes duæ.* 280
Maffei (*Jo. Petri*) *Annales rerum, a Gregorio XIII, P. M. geſtarum.* Tomi II. 645
Melæ (*Pomponii*) *de Situ orbis Libri tres, ex ed.* Abrah. Gronovii. *Editio altera.* 453
Reichardi (*Eliæ Caſp.*) *Periculum Hiſtoriæ grammaticæ linguæ Germanicæ.* 389
De Rubeis (*Bernardi Mariæ*) *Diſſ. de Numis Patriarcharum Aquilejenſium.* 139
Salluſtii *Opera, cum politicis in eadem Diſſertationibus* Th. Gordoni. 178
Scheuchzeri (*Jo. Jac*) *Hiſtoria naturalis Helvetiæ, cum Notis* Jo. Ge. Sulzeri. 539
Sulzeri (*Jo. Ge*) *Deſcriptio memorabilium. in itinere, per quadam Helvetiæ loca A. 1742 inſtituto, obſervatorum.* 540
Velleji (*C. Paterculi*) *quæ ſuperſunt, ex ed.* Petri Burmanni. *Editio ſecunda.* 592
Viviani (*Ge.*) *Commentarii hiſtorici antiquæ & inſignis Academiæ Philergorum urbis Fori Livii.* 500
Xenophontis *de Cyri expeditione Libri VII, ex ed.* Th. Hutchinſoni. 411

VI. *Libri Philoſophici & Miſcellanei.*

Æſchyli *Tragœdiæ ſuperſtites, ex ed.* Jo. Corn. de Pauw. Tomi II. 673
Anonymi *Epiſtola ad Virum ****, ſiſtens quasdam obſervationes in Opuſculum D. B. L. Tralleſii, nuper editum, de Machina & Anima humana &c.* 319

Ano-

Anonymi *Epiſtolæ VII theologicæ ac metaphyſicæ contra Ratiocinationes metaphyſicas Domini ***.* 333
Sculpturæ & picturæ ſacræ, e Cœmeteriis Romanis erutæ. Tomus II. 443
Deſcriptio figurarum præcipuarum, a natura in pretioſa tabula marmorea depictarum. 567
A D. Thoma Aquinate (*Innocentii*) *pro Cultu literarum in Hungaria Vindicatio.* 221
Askew (*Ant.*) *Novæ editionis Tragœdiarum Æſchyli Specimen.* 438
Beverlandi (*Hadriani*) *Epiſtolæ XII.* 47
De Bononienſi Scientiarum & *Artium Inſtituto atque Academia Commentarii.* Tomi II Pars II & III. 293
Chriſtii (*Jo. Frid.*) *ad Eruditos quosdam de moribus, ſimul de Phædro, ejusque Fabulis, uberior expoſitio.* 709
Cocchi (*Ant.*) *Epiſtola critica de Manuſcripto quodam, in cera exarato.* 484
Cruſii (*Chriſtiani*) *Commentarius de Originibus pecuniæ a pecore ante numum ſignatum.* 423
Gordon (*Andreæ*) *Varia, Philoſophiæ mutationem ſpectantia.* 438
Gorii (*Ant. Franc.*) *Progr. de Symbolis literariis edendis.* 630
Van Hoven (*Jo. Dan.*) *Vera & veroſimilia ſacra & profana.* 679
Kochii (*Jac.*) *Commentatio philoſophico-chronologica de neceſſario nexu doctrinæ rationis & morum cum Chronologia.* 366
Kœnigii (*Sam.*) *Orat. inauguralis de optimis Wolfianæ & Neutonianæ philoſophandi methodis.* 663
Mazochii (*Alexii Symmachi*) *in vetus marmoreum ſanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ Calendarium Commentarius.* 527
(*Phil.*) *in cauſa Hilari Fide conſtituti actorum recenſio.* 627
Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miſcellanea Lipſienſia Nova.* Vol. VI
Pars I. 91
Pars II. 531
Pars III. 712

Muſeum

Muſeum, ad juvandas literas in publicos uſus apertum. Tomi I Pars I & IV. 688

Olivieri (*Annib.*) *Diſſ. de Diptycho eburneo Card. Quirini.* 45

Paſſerii (*Jo. Bapt.*) *Lucernæ fictiles Muſei Paſſerii.* Tomus I. 289

De Pauw (*Jo. Corn.*) *Notæ in Pindari Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea.* 646

Platonis *Dialogi V, cum Notis* Nath. Forſter. 20

Politi (*Alexandri*) *Orationes ad Academiam Piſanam.* 118

Richardi (*Eliæ Caſp.*) *Periculum Hiſtoriæ grammaticæ linguæ Germanicæ.* 389

Reimanni (*Jac. Frid.*) *Acceſſiones uberiores ad Catalogum Bibliothecæ theologico-ſyſtematico-criticum, editæ a* Jo. Wilh. Reimanno. 585

De Rubeis (*Bernardi Mariæ*) *Diſſ. de Numis Patriarcharum Aquilejenſium.* 139

Salluſtii *Opera, cum politicis in eadem Diſſertationibus* Th. Gordoni. 178

Saxii (*Chriſtoph.*) *Lapidum vetuſtiorum Epigrammata.* 703

Schœttgenii (*Chriſt.*) *Novum Lexicon Græco-Latinum in Novum Teſtamentum.* 178

Scott (*Dan.*) *Appendix ad Theſaurum Græcæ linguæ, ab Henr. Stephano conſtructum, & ad Lexicon Conſtantini & Scapulæ.* Tomi II. 441

De Soria (*Jo. Alb.*) *Epiſtolæ VII theologicæ ac metaphyſicæ contra Ratiocinationes metaphyſicas Domini ***.* 333

Tanzini (*Joſephi Mariæ*) *Lectio Academica ſuper Lingua primitiva, & confuſione linguarum, quæ facta eſt Babele.* 95

Tralles (*Balth. Lud.*) *de Machina & anima humana prorſus a ſe invicem diſtinctis Commentatio.* 315

De Vattel *Vacatio philoſophica.* 141

Vogt (*Jo.*) *Catalogus hiſtorico-criticus librorum rariorum. Editio tertia.* 589

Digitized by Google

* * *

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abulfedæ *Hiſtoriam Saracenicam Latine vertendi inſtitutum Reiſkii.* 536 ſeq.

Academia *Conimbricenſis deſcripta.* 4

Philergorum urbis Fori Livii deſcripta. 501 ſeq.

Accentuum *Hebraicorum origo.* 385

Græcorum antiquitas deſtructa. 589

Acus *nauticæ inventor quis?* 311

Acuſticæ *principia.* 476

Adolphi *Naſſovici Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 68 ſeq

Ægyptiorum *myſteria religionis illuſtrata.* 114

theologia illuſtrata. 532

Æquationes *differentiales, quarum membra ſunt elementa arcuum circularium, ad finitas reducendi, methodus.* 313 ſeq.

Æquilibrii *centrum explicatum.* 307

Æſchyli *nova editio promiſſa.* 488

loca quædam emendata. 489 ſeq.

In Æſchylum *variorum Notæ editæ.* 673 ſeq.

Aldrovandia, *herbæ paluſtris novum genus, inventa.* 312

De Alexandro III, *Pont. Max. Friderici Barbaroſſæ collum conculcante, fabula exploſa.* 62

Allium *an majorem floribus fragrantiam conciliet?* 562

Altaris *uſus in eccleſia.* 149 ſeq.

portatilis in antiqua & recentiori eccleſia uſus. 499 ſeq.

Amor *quid?* 142

Anatomicus *caſus ſingularis.* 473 ſeq.

B. Andreæ *Apoſtoli vita.* 640 ſeq.

dicati numi. 645

De B. Andreæ *martyrio Epiſtola Presbyterorum Achajæ examinata* 467 ſeq.

edita. 639. b.

Anevryſma *e læſa brachii in mittendo ſanguine arteria.* 290

Angliæ *Hiſtoria promiſſa.* 190

Anima *humana & machina prorſus a ſe invicem diſtincta.* 315

Animalia *Sueciæ methodice deſcripta.* 508 ſeq.

Anni

Digitized by Google

Anni *n igii ratio quæ?* 175 ſeq.
Aquæ *chalybeatæ & mercuriales deſcriptæ.* 299
Aquarum *Aquisgranenſium & Spadanarum examen.* 387
Aquilejenſium *Patriarcharum numi illuſtrati.* 139
Ab Aquinate (*Innocentius*) *notatus.* 221 ſeq.
Aquisgranenſium *aquarum examen.* 387
Arabicæ *linguæ in interpretatione S. Codicis uſus.* 6
Argonautarum *expeditio in Colchidem ex antiquitate illuſtrata.* 656 ſeq.
Askey (*Ant.*) *in edendo Æſchylo occupatur.* 488 ſeq.
Aſſentiri *quid?* 701
Athor, *Numen Ægyptiorum veterum, illuſtratum.* 92
Atlas *novus promiſſus.* 195 ſeq.
Atrium *gentium apud Judæos quid?* 106 ſeq.
De Azevedo (*Eman.*) *in Opera Benedicti XIV, P. M. merita.* 2 ſeq

B.

Baptiſmi *infantum hiſtoria plenior.* 164 ſeq.
De Baptiſmo *doctrina explicata.* 345 ſeq.
Barrius *modeſte notatus.* 212
Baſnagius *refutatus.* 113
Battierii *(Sam.) vita.* 702
Belli *civilis incommoda quæ?* 185
Benedicti *XIV, P. M. Opera collecta.* 1 ſeq.
laudes commemoratæ. ibid.
varia munera eccleſiaſtica. 3
imago, cum inſcriptione. 4
Bentleji *character.* 181
S. Bernhardi *vita deſcripta.* 337
Beverlandi *(Adr.) ſingularia nonnulla.* 48
Bibliotheca *Upſalienſis deſcripta.* 669 ſeq.
Circa Bona *damnatorum quid juris olim fuerit?* 504 ſeq.
Bunemanni *Lactantius laudatus.* 588
Burmanni *(Petri) in Vellejum merita.* 593 ſeq.

C.

Cæſarum *origo illuſtrata.* 680
Caji, *JCti, Inſtitutiones explicatæ & illuſtratæ.* 290 ſeq.
prænomen quale? 291
Calendarium *vetus marmoreum Neapolitanæ eccleſiæ explicatum.* 527 ſeq.

Cantus *fringillæ harmonicus unde?* 563
Caroli IV *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 74 ſeq.
V *Imp. hiſtoria expoſita.* 209 ſeq.
VI *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 263 ſeq.
Carpzovius (*Jo. Gottlob*) *laudatus.* 99 ſeq.
ejus Diſſertationes nonnullæ conjunctim editæ. 112
Catoptricum *Problema.* 236
Cellarii *Compendium antiquitatum auctum & emendatum.* 707 ſeq.
De Cellarii *Hiſtoria univerſali judicium.* 682
Centrum *æquilibrii explicatum.* 307
Chordarum *tenſio.* 477
vibrationes explicatæ. 512
Chriſti *annus mortis chronologice definitus.* 281
nativitatis annus definitus. 282
Chriſtianæ *religionis divinitas ex Pauli munere Apoſtolico demonſtrata.* 419 ſeq.
Chronologiæ *cum doctrina rationis & morum nexus.* 166 ſeq.
Ciceronis *vita & res geſtæ illuſtratæ.* 190 ſeq.
theologia qualis? 698
Cineres *rubentes.* 311
Civis *bonus a parricida quomodo differat?* 183
Civitatis *cæleſtis ratio quæ?* 681
De S. Cœna *doctrina illuſtrata.* 346
S. Cœnæ *verus & legitimus uſus.* 700
Cometa *anni 1739 obſervatus.* 305
Cometarum *via in hypotheſi parabolica.* 478
Congregationis *ſacræ rituum decreta collecta.* 149 ſeq.
Conradi IV *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 62
Conſtantii (*Dav.*) *vita.* 694
Coſmographica *ſocietas.* 193
Coteſiani *theorematis demonſtratio.* 27
Coteſium *quo eloquio Neutonus proſecutus ſit?* ibid.
Cuperi (*Gisb.*) *ad Wildium Epiſtola edita.* 690
Curva *ex dato quomodocunque per curvam radio oſculi invenienda.* 305
ex evolutione circuli genita. 477
Cyclus *quid?* 175

D.

Circa Damnatorum *bona quia juris olim fuerit?* 504 ſeq.

Da-

Danielis *de quatuor Orientis regnis vaticinia explicata.* 154 ſeq.

De Dei *exiſtentia controverſia deſcripta.* 333 ſeq.

Dentium *morbi quales?* 22 ſeq.
cura præſcripta. 23 ſeq.

De Deo *doctrina ex Scriptura S. explicata.* 569 ſeq

Diætæ *veteres deſcriptæ.* 530

Diodori *Siculi de Sardanapalo narratio cum vaticiniis Prophetarum comparata.* 460 ſeq.

Diptychum *eburneum Quirinianum ævo Antoniniano aſſertum.* 45 ſeq.

Doſithei *locus emendatus.* 292

E.

Eccleſiarum *in Polonia forma externa.* 152

Eclipſes *Solis & Lunæ obſervatæ.* 565 ſeq. 665

Eiſentraut (*Petrus*) *refutatus.* 440 ſeq.

Elaſtrorum *doctrina explicata.* 312

Eloquentiæ *utilitas commendata.* 679

Eſtenſis *urbis hiſtoria deſcripta.* 310

Evangeliſtarum *in rebus ſacris harmonia demonſtrata.* 683 ſeq

De Euchariſtia *doctrina Pontificiorum ex Liturgia antiqua illuſtrata.* 599 ſeq.

Euſtathius, *Dionyſii Periegetæ interpres, explicatus & illuſtratus.* 119

F.

De Factionibus *doctrina civilis explicata.* 182 ſeq.

Febris *intermittens epidemica anomala deſcripta.* 231 ſeq.
ejus curandæ modus. 233 ſeq.

Felleæ *cyſtis ductus qui?* 302

Ferdinandi I *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 244 ſeq.
II *Imp. facta deſcripta.* 252 ſeq.
III *Imp. rerum geſtarum hiſtoria.* 257

Ferreæ *particulæ, in corporibus reperiundæ.* 294 ſeq.

Ferrearum *particularum in ſanguine ſedes demonſtratæ.* 300. 313

Fide *conſtitutus quid notet in Inſcriptione antiqua?* 628

Figuræ *variæ, in marmorea tabula repræſentatæ.* 567 ſeq.

De Fœtu *novimeſtri ſingularia.* 308

Fœtus *extra utrum auctus.* ibid.

Fontium *origo explicata.* 564 ſeq.

Forſteri (*Nath.*) *in Platonis*

Dialogos Notæ quales? 20 ſeq.
Fractiones, *quarum numerator & denominator certis caſibus evaneſcunt.* 306
Friderici *Barbaroſſæ Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 52 ſeq. 62
II Imp. hiſtoria deſcripta. 59 ſeq.
III Imp. res geſtæ expoſitæ. 202 ſeq.

G.

Geld *unde dictum?* 430
Geographia *veterum illuſtrata.* 119 ſeq
Atlante Ruſſico promota. 49
In Geographiam *merita hæredum Homannianorum.* 193
Germaniæ *hiſtoria plenius deſcripta.* 52 ſeq
Germanicæ *linguæ hiſtoria tentata.* 389 ſeq.
Gmelin (*Jo. Ge.*) *iter in Siberiam deſcriptum.* 273 ſeq
Goodwini (*Th.*) *Antiquitatum Hebraicarum Compendium commendatum.* 100
auctum & emendatum. 101 ſeq.
Gordoni (*Andr.*) *fama adverſus Opſermannum vindicata.* 143 ſeq.
in Philoſophiam recentiorem merita. 438 ſeq.
Gordoni (*Andr.*) *Philoſophiæ recentioris ſtudium laudatum.* 442
Gordonus (*Th.*) *laudatus.* 179
Gorii (*Ant. Franc.*) *promiſſa literaria.* 630 ſeq.
Græcæ *voces, in Lexicis non obviæ, collectæ.* 241 ſeq.
in Novo Teſt. obviæ, collectæ. 624 ſeq.
Græcarum *literarum ſtudium cur inter nos refrigeſcat?* 699
Grævii (*Jo. Ge.*) *Epiſtolæ tres editæ.* 680
Gravitatis *corporum origo & leges.* 563
Gregorii *XIII, P. M. res geſtæ deſcriptæ.* 625. b.
Gronovii (*Abrah.*) *in Melam merita.* 453 ſeq.
Grynæi (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 691

H.

Hebræa *lingua noſtri temporis an ſit primigenia?* 381
Hebraicæ *antiquitates in novum ſyſtema redactæ.* 101 ſeq.
Hebraicarum *literarum an ſit ſignificatio hieroglyphica?* 381
Heinſii (*Nic.*) & *Rol. Mareſii de Antiquariis Epiſtolæ iterum editæ.* 95

Helve-

Helvetiæ *hiſtoria naturalis illuſtrata.* 548 ſeq
Henrici *IV Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 57 ſeq.
Luxemburgici Imp. hiſtoria deſcripta. 69 ſeq.
Herbæ *paluſtris novum genus inventum.* 312
S. Hieronymi *vita deſcripta.* 145 ſeq.
Hippocratis *nova editio ſub judicium vocata.* 396 ſeq
loca emendata. 399 ſeq
Hirzelii (*Jo. Henr.*) *vita.* 699
Hiſtoriæ *utilitas commendata.* 679
Homo *an machina?* 315
Homannianorum *hæredum perficiendi Geographiam. ſtudium.* 194
Humanitatis *ſtudiorum multiplex uſus.* 424 ſeq.
In Hungaria *ſtatus literarum deſcriptus.* 221 ſeq.
Huſſi (*Jo.*) *fata funeſta deſcripta.* 199 ſeq.
Huſſitici *motus deſcripti.* 200 ſeq
Hutchinſoni (*Th.*) *in Xenophontis de Cyri expeditione Libros merita.* 411
Hyperbolica *ſpatia, quæ juncta quadrabile ſpatium efficiunt.* 299

I.

Jeſus *verus Meſſias ex veteri Judæorum theologia demonſtratus.* 350 ſeq.
Ignatii *Epiſtolæ Græcæ editæ.* 606
Imagines *an quarto jam Seculo in eccleſia fuerint in uſu?* 447
Inclareſcendi *literis pruritus nimius notatus.* 689 ſeq.
Infantum *baptiſmi hiſtoria plenior.* 164 ſeq.
Inſcriptio *Neapolitana explicata.* 628 ſeq.
Inſcriptiones *antiquæ Helveticæ explicatæ.* 690
nonnullæ explicatæ. 705 ſeq.
De Integrali *calculus explicatus.* 277
In Jobum *Commentarius Schultenſii laudatus.* 6 ſeq.
Joſephi, *Ægypti Proregis, religio vindicata.* 113
Imp. res geſtæ deſcriptæ. 263
Patriarchæ vindiciæ ab accuſatione Morgani. 698
Jovis *&* *Martis conjunctio heliocentrica obſervata.* 305
Judæorum *veterum theologia Jeſum verum Meſſiam demonſtrat.* 350 ſeq.

Digitized by Google

Juris *Theſaurus novus promiſſus.* 272
De Juſtificatione *peccatoris loca Scripturæ conciliata.* 342

K.

De Kermanni, *Lutheranorum in Hungaria Superintendentis, morte fabula.* 228

L.

Per Lentes *quotcunque viſi objecti diſtantia apparens.* 27
Lentium *&* *ſpeculorum ſphæricorum focus communi formula determinatus.* 79. 123
Leopoldi *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 257 ſeq.
Lex *naturalis an ſine civili ſufficiat?* 142
Libri *nonnulli vetuſtiores deſcripti.* 93. 534. 714 ſeq
Librorum *rariorum catalogus.* 589 ſeq.
in Polonia editorum, notitia. 716 ſeq.
Lignorum *cineres rubentes.* 311
Lingua *primitiva quæ?* 96
Literarum *in Hungaria ſtatus deſcriptus.* 221 ſeq
Liturgiæ *antiqua Romana edita.* 597 ſeq.
Lucernæ *fictiles antiquæ collectæ.* 289
Ludovici *Bavari Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 70 ſeq.
Lutheri *geſta deſcripta.* 209
In Lutheri *verſione Novi Teſtamenti quædam notata.* 347 ſeq.
Lutherus *injuſte accuſatus.* 212

M.

Machina *&* *anima humana prorſus a ſe invicem diſtincta.* 315
Mackii (*Steph.*) *in Hippocratem merita.* 396 ſeq.
Magneticæ *acus inventor quis?* 311
Maittairii *Annales typographici ſuppleti.* 93. 534. 714 ſeq.
Mali *Punici deſcriptio.* 295
Manibus *ſublatis benedicendi mos illuſtratus.* 91
Manuſcripti, *cera exarati, deſcriptio.* 484
Mappæ *geographicæ quomodo conficiendæ?* 192
Marcæ *Venetæ quis olim valor?* 140
Mareſii (*Rol.*) *&* *Nic. Heinſii de Antiquariis Epiſtolæ mutuæ iterum editæ.* 95
Maris *altitudo an augeatur?* 293

Mar-

Digitized by Google

Marmorea *tabula, varias figuras repræſentans*. 567 ſeq.
Marothi (*Ge.*) *vita deſcripta*. 696
Marſilii (*Ferd. Aloyſii*) *Comitis ſcripta recenſita*. 303
Maſoræ *indoles & utilitas*. 385
Matthæi *Evangelium in Æthiopicam linguam converſum*. 612 ſeq.
Maximiliani *I Imp. res geſtæ deſcriptæ*. 206 ſeq.
Meermanni (*Gerh.*) *inſtitutum, edendi novum Theſaurum Juris, commendatum*. 272
Melæ (*Pomp.*) *loca emendata & illuſtrata*. 457 ſeq.
In Menſuris *Judæorum cubitus duplex uſitatus*. 110
Mercurii *& Solis congreſſus obſervatus*. 304 ſeq.
Meſſias *verus ex veteri Judæorum theologia demonſtratus*. 350 ſeq.
Micrometri, *maxime recepti, deſcriptio*. 302
Minerva *Græcis eadem, quæ Neitha Ægyptiis*. 713
Miſſa *quid olim notaverit?* 451
In Miſſæ *ſacrificio an Pontificis Summi nomen commemorandum ſit?* 676 ſeq.
Molæ *piſcis deſcriptio*. 301
Montium *origo illuſtrata*. 549
Morbi *ſingularis genus deſcriptum*. 77
Morſcovii (*Petri*) *Politia eccleſiaſtica edita*. 150 ſeq.
Poſt Mortem *ſtatus hominum repræſentatus*. 343
Motus *per attractionem communicatus*. 305. 308
Muſculorum *motus explicatus*. 122

N.

Neitha, *Ægyptiorum Dea, qualis?* 713
Neutoniana *philoſophandi methodus laudata*. 664 ſeq.
In Nitrienſi *regione ſtatus literarum qualis?* 229 ſeq.
De Nonimeſtri *fœtu ſingularia*. 308
Numi *Patriarcharum Aquilejenſium illuſtrati*. 139 ſeq.
B. Andreæ dicati. 645

O.

Odor *continuus cur nullum ponderis decrementum faciat?* 564
Opfermannus (*Lucas*) *de nimio Philoſophiæ Scholaſticæ ſtudio deriſus*. 441
Oratoria *domeſtica ex antiquitate illuſtrata*. 491 ſeq.
Ordines *Romanorum quales?* 680

 Orga-

Digitized by Google

Organum *novum muſicum* 477
Orientis *regna quatuor a Daniele præmonſtrata.* 154
Oſſium *colorandorum artificium per radicem rubiæ.* 299
Ottonis *IV Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 58
De Ovi *cicatricula Problema ſolutum.* 303

P.

Palæſtinæ *urbes & vici varii.* 531. 713
Parabolam, *non evidenter conſtat, optimam ſpeculorum cauſticorum figuram præber.* 128
Paſſer: (*Jo. Bapt.*) *Muſeum laudatum.* 289
Pauli *Apoſtolicum munus examinatum.* 419 ſeq.
vindiciæ adverſus Deiſtas. 420 ſeq.
De Pauw (*Jo. Corn.*) *notatus* 646 ſeq.
ejus in Æſchylum merita. 673 ſeq.
Pectorale *Pontificis Max. Judæorum illuſtratum.* 104
Pecore *rerum pretia olim expendi ſolita.* 428
Pecuni*a uſus quando primum inventus?* 427 ſeq.
Pendulinus *Bononienſium, avis, deſcripta.* 296
Ad Petronii *editionem Burmannianam animadverſiones.* 93. 534. 714
De Phædri *ætate ac fabulis controverſia.* 710 ſeq.
Philergorum *Academia in urbe Fori Livii deſcripta.* 501 ſeq.
Philoſophia *recentior commendata.* 440 ſeq.
Scholaſtica rejecta. ibid.
Philoſophiæ *recentioris inter Pontificios incrementa.* 438 ſeq.
Philoſophorum *recentiorum barbara ſcribendi ratio deriſa.* 535
Phtha *Ægyptiis idem, qui Græcis Vulcanus.* 532
Picturæ *ſacræ, e Cœmeteriis erutæ.* 443 ſeq.
Pindari *loca emendata & illuſtrata.* 648 ſeq.
In Pindaro *quid præſtiterit Pauwius?* 647 ſeq.
Plantæ *ſoli Romani deſcriptæ.* 550
Plantarum *Siberiæ hiſtoria.* 273 ſeq.
genera varia in ordinem redacta. 551 ſeq.

Pla-

Digitized by Google

Platonis *Dialogi V denuo editi.* 20 ſeq.
loca quædam emendata. 21 ſeq.
In Polonia *eccleſiarum forma externa.* 152
editorum librorum rariorum notitia. 716 ſeq.
S. Polycarpi *Epiſtola edita.* 606
Polyporum *aquæ dulcis natura indagata.* 432 ſeq.
Pontificis *Summi nomen an in ſupplicationibus publicis ponendum ſit?* 675 ſeq.
Præmia *vitæ æternæ qualia futura ſint?* 575 ſeq.
Primogenitorum *apud Judæos jus ſacerdotii illuſtratum.* 103
Problema, *Analyſtis propoſitum.* 627
Profaria *ars quid notet?* 690
In Proverbia *Salomonis Commentarius Schultenſii laudatus, & ſub modeſtum judicium vocatus.* 7 ſeq.
Punici *mali deſcriptio.* 295

R.

Reflexio *& refractio ex actione radiorum definitæ.* 81 ſeq
Reformationis *ſacrorum hiſtoria plenius deſcripta.* 209 ſeq.
Regum *Romanorum veterum Chronologia illuſtrata.* 284 ſeq.
Ad Reimanni (*Jac. Frid.*) *Catalogum Bibliothecæ acceſſiones.* 585 ſeq.
Reiskii (*Jo. Jac.*) *inſtitutum, Abulfedam Latine vertendi.* 536 ſeq.
In Relandi (*Adr.*) *de urbibus Palæſtinæ librum Supplementa.* 531. 713
Remiz *Polonorum deſcriptum.* 298
Ringierii (*Jo. Henr.*) *vita.* 693 ſeq.
Romanorum *Regum Chronologia illuſtrata.* 284 ſeq.
Romuli *hiſtoria an inter fabulas referenda?* 681
Rotulorum *Vaſconenſium catalogus.* 97 ſeq.
Rubia *oſſium nonnullis morbis mederi poteſt.* 299
Rudolphi *Habsburgici res geſtæ deſcriptæ.* 66 ſeq.
Ruſelii (*Rich.*) *in quædam Patrum Apoſtolorum opera merita.* 605 ſeq.
Ruſſicum *Imperium in Tabulis geographicis delineatum.* 49 ſeq.

S.

Sacramentaria *tria Romana edita.* 600 ſeq.

Sacrificiorum *patriarchalium origo divina.* 6, 6
Sacrificia *veterum Hebræorum illuſtrata.* 111
Salchlini (*Jo. Rud.*) *vita.* 702
Salluſtii *Opera Anglice reddita.* 178 ſeq
Sanguis *an ferreas particulas contineat?* 300
Saracenicæ *Hiſtoriæ Abulfedæ verſio Latina promiſſa.* 536 ſeq.
Sardanapali *res ex vaticiniis Prophetarum illuſtratæ.* 460 ſeq.
Schœttgenius (*Chriſtian.*) *ab Ugolino reprehenſus.* 288
Schultens (*Alb.*) *laudatus.* 5 ſeq.
ejus in Jobum Commentarius commendatus. 6 ſeq.
in Proverbia Salomonis Commentarius laudatus, & ſub modeſtum judicium vocatus. 7 ſeq
Scripturæ *S. in veteribus Patribus lectiones an authenticæ?* 88 ſeq.
harum diverſitas unde? 89
S. loca explicata, aut illuſtrata:

Gen. VIII, 20.	103
XI, 6.	96
XV, 9, 10.	103
13.	368
XXVI, 2.	103
XXXIX, 2, 5.	114
XLI, 12.	466
XLIX, 10.	110
Exod. III, 5.	112
6	344
14.	382
XII, 3.	103
12.	116
XII.	610
XIII, 1.	103
XVIII, 22.	109
XIX, 10.	164
22.	104
XXIV, 5.	ibid.
XXVIII, 4.	105
30	ibid.
XLV, 13.	ibid.
Lev. VIII, 8.	105
IX, 22.	91
XV, 29.	609
XVI, 26.	ibid.
Num. XI, 16.	109
XV, 15.	164
XXVII, 21.	105
XXIX, 11.	608
XXXIX, 11.	609
Deut. XVII, 8.	109
XXXII, 6.	10
Joſ. V, 15.	112
XV, 10.	368

Digitized by Google

Joſ. XXI, 15.	712	*Prov. X, 2.*	13
36, 37.	386	*3.*	13. 15
XXIV, 31.	109	*XI, 2.*	13
Judic. II, 7.	109	*7.*	ibid.
1 Sam. XXVIII, 6.	105	*14.*	ibid.
1 Reg. VII, 10.	110	*27.*	ibid.
15.	ibid.	*XIV, 28.*	ibid.
2 Reg. XIV, 25.	463	*3.*	ibid.
XVI, 9.	402	*7.*	ibid.
XVII, 6.	ibid.	*23.*	14
27 ſeq.	384	*XVI, 26.*	ibid.
1 Chron. V, 12.	103	*XVIII, 8.*	ibid.
2 Chron. VI, 42.	92	*XIX, 3.*	15
XIX.	109	*XXIII, 34.*	18
XXII.	10	*XXV, 5, 6.*	15
XXXVI, 20.	156	*10.*	14
Job. IX, 9.	177	*XXVI, 6.*	14. 16
XIX, 25, 26.	344	*7.*	16
XXXVIII, 31.	177	*8.*	14. 16
XLI, 21.	626	*22.*	14
Pſ. VII, 1.	465	*Eccleſ. XXXIX, 32.*	156
LXV, 8.	580	*Eſ. III, 24.*	91
CXII, 9.	577	*X, 16.*	465
Prov. I, 9.	9	*20 ſeq.*	466
25.	ibid.	*26.*	ibid.
II, 21.	ibid.	*XIII, 10.*	177
III, 8.	ibid.	*XIV, 3-23.*	466
15.	ibid.	*XV, 3.*	92
26	ibid.	*XX, 1 ſeq.*	436
30	ibid.	*XXIV, 21.*	161
IV,	11	*XXX, 31, 33.*	466
V, 14.	ibid.	*XXX-XXXIII.*	ibid.
VI, 3.	ibid.	*XXXIV, 4.*	161
13.	ibid.		
27.	ibid.		

Digitized by Google

Eſ. XL, 15. 366
26. ibid.
XLIX. 5. 386
L. 466
LII, 1-13. ibid.
LIII, 4. 352
LXIV, 5. 343
LXV, 17. 161
Jer. VIII, 18. 466
VIII. 467
IX. 466
XXV, 11, 12. 157
XXXII, 25. 712
Ezech. I, 3. 467
XX, 7, 8. 116
XL, 17. 107
20 ſeq. 107. 366
XLI, 8. 111
XLIII, 13. 110
Dan. II, 5-8. 154
31. 448
32. 155. 157 448.
33. 154. 159. 160
34, 35. 154. 162
36-44. 154. 160. 162
45. 162
Dan. III. 448
VII, 4. 154
6, 7. 160
Dan. VII, 7. 160
X, 7, 8. 160. 161
9 ſeq. 160. 162
10-14. 162
10-12. 154. 161. 162
19. 159
24. 160
25. 154. 161
27. 154
Dan. VIII, 3, 4. 155. 158
5-9. 154. 155. 159
13. 161
22, 23. 159
23. ibid.
VIII ſeq. 154
IX, 1. 157
XI. 2. 158
4. 159. 160
16. 160
41. ibid.
XII, 2. 344
3. 161
4. 175
7. 161. 162
10. 175
11, 12. 162
Amoſ. V, 8. 177
Mich. V, 1-5. 466
Nah. III, 8. ſeq. 463. 466

Nah.

Digitized by Google

Nah. *III*, *9.* 466
Hab. *I*, *9.* 476
II. 464
III, *12.* 176
Zeph. *I*, *8.* 466
II, *13.* 465
15. ibid.
Hagg. *II*, *6.* 161
Zach. *XII*, *10.* 386
XIV, *9.* 357
1 Macc. *I*, *59.* 161
IV, *52.* ibid.
V, *37.* 713
VIII, *2.* 161
Matth. *I*, *17.* 616
I, *18.* 531
20. 358
II. 283
6. 617
III, *1.* ibid.
IV, *4.* 618
V. 583
8. 460
12. 576
22. 618
25, *26.* 343
VI, *4.* 618
VII, *23.* ibid.
VIII, *32.* ibid.
IX, *2.* 626
24. 618
X, *41*, *42.* 576
XI, *44.* 531
Matth. *XII*, *32.* 343
XIII, *9.* 618
XV. 626
XVI. 283
6. 577
14. 619
18. 700
XVII, *2.* 619
XVIII, *17.* 153
XIX, *9.* 349
29. 619
XX, *1 - 16.* 579
30. 687
XXI, *28.* 619
XXV, *3*, *4.* 576. 619
14 - 23. 580
XXVII, *8.* 712
XXVIII, *19.* 165
Marc. *II*, *3.* 686
IV, *34.* 460
X, *21 ſeq.* 570
46. 687
Luc *III*, 531
23. 357
IV, *22.* ibid.
V, *8.* 608
18. 686
VI, *1.* 685
35. 576
XVI, *1 - 19.* ibid.
XIX, *13 - 26.* 580
XXI, *38.* 626
XXIV, *52.* 91
Jo. *I.* 383
10. 625

Jo. I, 13. 90
14. 88
45. 357
III, 3. 165
5. ibid.
14. 626
VI, 42. 357
VIII, 23. 625
IX, 39. ibid.
XI, 9. ibid.
51. 106
XII, 1. 379
25. 625
26. 626
34. ibid.
XIII, 1. 625
XIV, 17. ibid.
22. ibid.
23. 344
27. 625
30, 31. ibid.
XV, 18 ſeq. ibid.
XVI, 8. ibid.
11. ibid.
20. ibid.
28. ibid.
33. ibid.
XVII, 6. ibid.
9. ibid.
11, 16. ibid.
18. ibid.
21. 620
23. ibid.
25. ibid.
XVIII, 20. ibid.
Jo. XVIII, 36. ibid.
Actor. II, 27. 626
42. 598
VII, 25. 368
43. 116
IX. 419
XIII, 40, 41. 464
XV, 9. 345
28. 153
XX, 28. 712
XXII, 10 - 16. 419
XXVI. ibid.
Rom. II, 5. 577. 580
12. 577
V, 5. 343
VIII, 15, 16. ibid.
X, 9, 10. 581
XVI, 14. 166
1 Cor. I, 20. 626
II, 4. 421
III, 8 - 14. 576
10 - 15. 343
13. 178
19. 626
VII, 14. 168
VIII, 31. 626
X, 11. 353
XII. 422
XIV, XV. ibid.
XV, 8. 419
9. 422
29. 343
54. 460
2 Cor. I, 1. 419
V, 1. 344

2 Cor.

Digitized by Google

2 Cor. V, 5. 343
XI, 5. 422
XII, 12. ibid.
Gal. I, 4. 419
11 - 16. ibid.
12. 421
II, 3 - 5. 152
III, 17. 367
IV, 3. 626
V, 1. 152
VI, 14. 626
Eph. II, 2. ibid.
7. 353
III, 8. 422
18. 366
Phil. III, 4 - 8. 419
IV, 3. 166
Col. I, 1. 419
II, 8. 626
20. ibid.
1 Theſſ. I, 5. 421
IV, 17. 344
2 Theſſ. I, 6, 7. 58
1 Tim. I, 1. 419
12. 608
12, 13. 419
15. 608. 422
16. 422
II, 1. 598
IV, 7, 8. 580
VI, 17 - 19. 577
2 Tim. II, 2. 607
IV, 7. 92
Tit. III, 5. 345
1 Pet. III, 19. 166
21. 345
IV, 6. 166
2 Petr. I, 18. 460
20. ibid.
1 Jo. III, 1. 626
13. ibid.
IV, 3 - 5. ibid.
V, 4. ibid.
7. 153
Hebr. II, 5. 353
17. 92
VI, 5. 353
IX, 10. 92
26. 353
X, 38. 626
XI, 4. 111
Jac. I, 25. 580
Apoc. I, 5. 92
VI. 175
X ſeq. 176
XI, 2. 107
XII, 12. 175
14. ibid.
XIII, 5. ibid.
18. ibid.
XVIII, 18. ibid.
XX, 12, 13. 580
XXI, 6. 460
16, 17 175
XXI, XXII. 344
Sculpturæ *ſacræ, e Cœmeteriis Romanis erutæ.* 443 ſeq.
Siberiæ *plantarum hiſtoria.* 273

Sigismundi *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 198 ſeq.
Soni *in fidibus varii unde?* 561 ſeq.
Spadanarum *aquarum examen.* 387
Ad Speculorum *theoriam ſpectantia varia.* 124 ſeq.
Stephani (*Henr.*) *Theſaurus Græcæ linguæ ſuppletus.* 241 ſeq.
Succiæ *animalia methodice deſcripta.* 509 ſeq.
Syllæ *abdicatio politice examinata.* 183 ſeq.
Synedrium *magnum an ab antiquis temporibus obtinuerit?* 108 ſeq
Szathmari (*Mich.*) *vita.* 703

T.

Telluris *figura quæ?* 300
N. Teſtamenti *nova verſio Germanica tentata.* 347 ſeq
De Thermometris *Amontonianis obſervationes.* 299
Thermometrorum *correctio.* 307
Theſaurus *Juris novus promiſſus.* 272
Tillemontius *refutatus.* 468
Trallesius (*Balth. Lud.*) *refutatus.* 320 ſeq.
Tribunorum *plebis poteſtas in republica Romana.* 184
Tyrannus *deſcriptus.* 183

U.

Variolarum *ſingulare genus.* 77
Vaſconenſium *omnium documentorum catalogus.* 97 ſeq.
In Vellejum *Paterculum merita Burmanni.* 593 ſeq.
Venus *quo nomine ab Ægyptiis culta?* 92
Veſicantium *natura quæ?* 298
Veſpuccii (*Americi*) *vita.* 480 ſeq.
Vires *ex elaſtrorum pulſu ortæ.* 511
De Viribus *vivis ſcriptum.* 307
Virium *compoſitionis & reſolutionis cauſa phyſica.* 301
— *vivarum menſura definita.* 306
Ulphilæ *Codex IV Evangeliorum rariſſimus.* 671 ſeq.
Per Vomitum *ejecta a Virgine Cremonenſi ſaxa & fruſta ferrea.* 620

Voſſius

Digitized by Google

Voſſius (*Iſ.*) *diſcipulus Grotii & Salmaſii.* 47
De Voſſii (*Iſ.*) *morte ſingularia.* 47. 48
Upſalienſis *Bibliotheca deſcripta.* 669 ſeq.
Urim & *Thummim Judaeorum quid?* 105
Vulcanus *Ægyptiis Phtha dictus.* 532

W.

Wenceslai *Imp. infelix imperium deſcriptum.* 197 ſeq.
Wolfiana *philoſophandi methodus laudata.* 664
Wolfii (*Chriſt.*) *elogium.* 665
Woogii (*Caroli Chriſtiani*) *in Epiſtolam de martyrio B. Andreæ encyclicam merita.* 639 ſeq.

X.

Xenophontis *de Cyri expeditione Libri emendati.* 411 ſeq.

Errores operarum hi ſunt emendandi:

Pag. 73 *lin.* 3 pro *fruſta* leg. *fruſtra*; *pag.* 74 *lin.* 9 pro *Impernali* leg. *Imperiali*; *pag.* 77 *lin.* 4 pro *ægræ* leg. *ægra*; *pag* 96 *lin.* 1 poſt *Apatiſtæ* leg. *de Lingua primæva, & confuſione linguarum ſub Babele, Lectio Academica*; *pag.* 97 *lin. penult.* pro *nomini* leg. *nemini*; *pag.* 289 *lin.* 13 pro *Paptiſtæ* leg. *Baptiſtæ*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Digitized by Google